


UNIVERSITY OF TORONTO



3 1761 01479769 0







CÆSARIS BARONII
ANNALES ECCLESIASTICI

TOMUS TRIGESIMUS SEXTUS

Cet ouvrage, par les corrections et les additions considérables qui y ont été opérées, est devenu la propriété de l'Œuvre de Saint-Paul, qui se réserve tous ses droits. Toute contrefaçon ou imitation, quelle que soit la forme sous laquelle elle se présente, sera poursuivie rigoureusement, conformément aux lois.

Hoc in opere tam multa sunt aut correcta aut addita, ut id suum Consociatio Sancti Pauli reddiderit et, quidquid sui juris sit, sibi vindicet. Itaque, si quis idem aut furto ediderit aut quoquo modo erit imitatus, in crimine erit et de injuria postulabitur.

cel
3
CÆSARIS S. R. E. CARD. BARONII

OD. RAYNALDI ET JAC. LADERCHI

CONGREGATIONIS ORATORII PRESBYTERORUM

ANNALES

ECCLESIASTICI

DENUO ET ACCURATE EXCUSI

TOMUS TRIGESIMUS SEXTUS

1568 - 1569



59220
22/10/09

EX TYPIS CONSOCIATIONIS SANCTI PAULI

BARRI - DUCIS



PARISIIS



FRIBURGI HELV.

86, VIA DICTA DE LA BANQUE, 86

51, VIA DICTA DE LILLE, 51

13, VIA DICTA GRAND'RUE, 13

M DCCC LXXXII

SANCTISSIMO
AC BEATISSIMO PATRI
ET DOMINO NOSTRO
CLEMENTI XII
PONTIFICI MAXIMO

JACOBUS DE LADERCHIO

Congregationis Oratorii Presbyter, sempiternam felicitatem.

Sancta Romana Catholica Ecclesia, licet Regi sæculorum immortalis et invisibili perpetuo jugata, dum tamen a sponso suo peregrinatur, asperis durisque passionis ejus insistens vestigiis, nil fere modo ab eo audire meretur, quam illud¹: *Coronaberis de capite Amara, de vertice Sanie et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum*: ex insectatione videlicet sæculi potestatum, quæ quasi montes in superbia extolluntur, et malignorum spirituum, quibus montes ipsi, quasi leonibus et pardis cubilia præbent, ei oblata corona.

At, si unquam antea hujusmodi ipsam redimitam diademate videre licuit, tempora ea profecto fuerunt, quorum Tomus hic XXIII Annalium Ecclesiasticorum historiam exhibet, dum tantis sævissimarum pressurarum circumdatam undique demonstrat angustiis; ut jure merito, de cubilibus leonum, de montibus pardorum sermo ipsam ornatam fateri necesse sit; ad instar videlicet Sponsi sui, de quo Apostolus²: *Videmus JESUM, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum*.

Præclaræ autem coronæ hujus participem fuisse Pium V, utpote illum, qui in Ecclesiæ ejusdem summo regimine constitutus, unus propemodum diei et æstus pondus portavit, nemo non videt. Dedit quippe illum Dominus in civitatem munitam, et in columnam ferream; constituitque super gentes, et super regna, ut evelleret et destrueret, bellaretque adversus principes tenebrarum harum, ut minime prævalerent. Murum denique pro domo Domini posuit qui eum idcirco et³ *zona gloriæ circumcinxit* (ad phrasim divini Spiritus, de Aaron disserentis), *et in vasis virtutis coronavit*.

Cum vero sancti ejusdem Spiritus illud sit: ⁴ *Ne dicas: Quid putas causæ est, quod priora tempora meliora fuere quam nunc sunt?* additumque legatur hujusmodi interrogationem stultam esse, Pii Pontificis, quos descripsimus annos, iis meliores fuisse, qui nunc decurrunt, vel nostris vicissim illos deteriores decernere quis tuto audebit? Nihilominus, cum ab adeo sæva, ut ejusdem Pii ævo, hoc tempore Petri navis tempestate agitetur, ut pene fluctibus mergi videatur, uti tanto Pontifici, sic TIBI quoque BEATISSIME PATER, ex cubilibus leonum, et montibus pardorum præparatam gloriæ coronam inficiari quis poterit? *Tale est enim* (scribit Augustinus⁵)

¹ Cant. iv, 8. — ² Hebr. ii, 9. — ³ Eccli. xlv, 9. — ⁴ Eccli. vii, 11. — ⁵ Aug., t. X, Hom. viii.

dicere, saviora sunt tempora, quale est, si quis dicat saviora esse tempora olive cum fructus inde colligitur, quam cum in torcular mittitur. Quando enim pendebat in arbore, leta tempora videbantur, et non attendunt quia amara plena erat. Venit enim quasi asperius tempus, venit tempus torcularis, veniunt majores pressuræ: per peccata enim et crimina superborum, per avaritiam luxuriamque malorum majores pressuræ sunt generi humano. Omnes enim mali, et amatores mundi, quasi torcularia sunt. Sicut enim in torcularibus, et uva premitur et olive, ut vinum, et oleum reponatur in cavea; ita per malitiam malorum hominum qui boni et justi sunt multis tribulationibus corporaliter fatigantur, ut anime eorum, tanquam oleum et vinum recondi in æterna tabernacula mereantur.

Hinc sicut olim Davidem, quasi uvam et olivam injustis Saul, uti in torculari, circum obsessum insidiis, sermo divinus describens, his usus est verbis: *in modum coronæ cingebatur*: sic deinde ob recens exortas hæreses, quibus Ecclesia impetebatur, merito Innocentio II Pontifici Maximo Bernardus gratulatus est, scribens¹: *Ne quid desit coronæ tuæ, en hæreses surrexerunt.* Unde cum ab hæreticis et schismaticis, et desertoribus filiis, et ab innumeris præterea calamitatibus aliis jactata quoque, BEATISSIME PATER, TUI sacerdotii ævo, Ecclesia eadem conspiciatur. SANCTITATI TUE pariter gratulandum videtur, mihi que etiam censeo gratulandum, quod scripto mandare, ac humiliter glorioso NOMINI Tuo nuncupare debuerim dies, in quibus Sanctissimus Pontifex Pius vidit mala, annos, quibus sub Apostolici regiminis pondere humiliatus est: quo nihil aptius TUE SANCTITATI exhibere ea laborum communicatione valuerim, quæ, uti Pio, sic TIBI perpetuæ laudis, et gloriæ coronam promereri valebunt. Ad quid enim certamen forte dedit TIBI Omnipotens Deus, nisi ut vinceret, victorumque diademate redimereris?

Mihi proinde nil reliquum est, nisi ut ad cumulum meritorum, et Ecclesiæ utilitatem, TE Deus Optimus Maximus diu sospitem servet; ac tandem justus Judex, amplissimam TIBI justitiæ in futuro sæculo coronam reddat. Dabam in Ædibus Vallicellanis die Festo S. Augustini XXVIII Augusti, ann. MDCXXXI.

¹ Bernard. Ep. cxxix ad Innocent.

NERIO S. R. E. S. ADRIANI
DIACONO CARDINALI CORSINO

SSMI DNI NOSTRI CLEMENTIS XII PONT. MAX.
EX FRATRE NĒPOTI

JACOBUS DE LADERCHIO

Congregationis Oratorii Presbyter, Perpetuam Felicitatem.

Imperatorum veterum singulos singulis fere studiis delectatos memorant. Nam quos exquisita capiebat munditia, his purpuram, coronam, et alia id genus curæ fuisse: qui autem doctrinæ operam navabant, illos, vel poema fabulis commentitiis refertum, vel aliud genus scripti, quod animos posset permulcere, magni fecisse: qui denique artes belli sequebantur, hos telum directe concijiendo, bestias feriendo, vibrando hastam, aut strenue in equum insiliendo sese oblectasse. Atque in istorum gratiam omnes, qui eorum imperio subjiciebantur, sese insinuare magnopere laboraverunt. Et propterea quisque, quod gratum imperatori esse animadvertebat, illud studiose consecutus est. Alius enim lapidem pretiosum, comparatuque difficilem ei offerre; purpuram alius splendidius tinctam donare; hic vel poema, vel librum alterius generis dedicare; ille genus armaturæ peregrinum, et ad usum rei militaris aptum adducere solet. Atque in hoc popularis virtutis genere summum plane et maxime regale putabatur, conciliare imperatoris gratiam. De pietate autem, qui est verus imperatoris ornatus, a nemine tantopere laboratum est. *Hæc Sozomenus gravis auctor in præfatione Ecclesiasticæ Historiæ ad Theodosium Augustum verissime scripsit.*

Quæ vero subjungit, nulli magis, quam Tibi, CARDINALIS AMPLISSIME, congruere perspicuum est. Tu vero, inquit, imperator invictissime Theodosi, Dei juvante gratia, nullum non virtutis genus (ut complectar brevi) sedulo excoluisti: qui ut purpura et corona, quæ dignitatis tuæ effigiem oculis intuentium subjiçiant, corpus induis; sic animum pietate et clementia, quæ vere imperatorem exornant, præclare vestitum habes. Quin etiam tum poetæ, tum alii scriptores, tum complures ex numero eorum, qui tuo continentur imperio, ad te tuasque res gestas prædicandas laborem suum curasque convertunt.

Mihi idcirco laborandum non fuisse putavi, ut deernerem cui lucubrationes has Ecclesiasticorum Annalium, post BEATISSIMUM PONTIFICEM PATRUM TUUM potissimum in lucem emissas, nuncupare deberem; cum nimirum certo scirem, et pietatis charismata summe tibi cordi esse, et inter historicas narrationes nullam reperiri, quæ magis ad pietatem pertineret ea, quæ in universum Catholicæ Ecclesiæ gesta complectitur; et denum præclarissimum CORSINORUM genus peculiari titulo jureque eam sibi vindicare, quod longe antea avorum proavorumque tuorum egregiis facinoribus illustrata. Testatur id ab anno MCCCLXI, doctissimus PETRUS CORSINUS, primum ex Sacri Palatii auditore Volterranus, deinde Florentinus episcopus, qui apud CAROLUM IV imperatorem, Ludovicum Pannoniæ regem, Rodolphum Austriæ ducem, Joannemque Bohemiæ ac Moraviæ marchionem Apostolica legatione functus, ut illos fœdere jungeret ex voto id assecutus, victor in Urbem reversus, ab URBANO V Tit. S. Laurentii in Damaso S. R. E. cardinalis creatus, ad Portuensem etiam cathedram evehctus fuit: cum antea, ob egregiam dexteritatem agendi, quem prædicimus CAROLUS IV Cæsar eum non modo S. R. imperii procerem principemque creasset, sed successores quoque illius Florentinos episcopos dignitate eadem exornasset: ipsoque deprecatore, amplissimo privilegio Florentinum studium pariter decorasset. Nec huic impar extitit NERIUS CORSINUS (cujus præfers nomen exhibesque virtutes) qui pluribus egregie perfunctus Romanæ Ecclesiæ numeribus, ipse quoque ab ALEXANDRO VII sacræ purpuræ honore ornatus est;

demandatamque deinde Ferraricensem legationem (ut cætera prætermittamus), sic administravit, ut populorum omnium illius provinciæ animos, officiis atque benevolentiæ argumentis sibi devinctissimos effecerit.

Ut vero PETRUS, quum memoravimus, Florentinæ Ecclesiæ præsules una secum imperii principes fieri obtinuit, ita pariter eorum dignitatem auxit AMERICUS CORSINUS, dum omnium primus archiepiscopali honore a MARTINO V insigniri meruit. Deficiet plane dies, si cæteros commemorare vellem CORSINORUM stirpe progenitos præclarissimos præsules, ac episcopos, ut OCTAVIUM CORSINUM, Cameræ Apostolicæ Clericum, Tarsensem archiepiscopum, pro GREGORIO XV ad Galliarum regem nuntium, deinde provinciæ Fluminæ incorruptæ administrationis præsidem. NERIUM etiam CORSINUM Fesulanum episcopum, proxime subrogatum magno illi ANDREÆ CORSINO, qui cæterorum suæ gentis merita virtutesque longe superans, ab URBANO VIII Pontifice Maximo Sanctorum albo descriptus, emicat signis et miraculis gloriosus.

Præter heroes quibus CORSINA gens Ecclesiæ splendorem decoremque addidit, quis cætera quoque bona sua pari liberalitate eidem Ecclesiæ dicasse ambigere poterit? insigne certe pietatis specimen præbuit THOMAS ille CORSINUS PETRI cardinalis pater, cum Florentinæ Monialium S. Cati cœnobium fundavit: cujus aliorumque piissimorum majorum spectatissimam religionem filios eorum imitatos esse, luce clariora eorumdem ipsorum opera manifestant.

Hæc autem cursim dicta volui, AMPLISSIME CARDINALIS, ut unum illud ostenderem, Ecclesiasticam nimirum Historiam præclarissimorum proavorum tuorum gestis, dignitatibus, virtutibus adro esse refertam, ut jure merito CORSINORUM stirpis Historia ipsa videri possit: unde tanto benignius a te complecti, quanto æquius tibi oblatam censere debes.

Ita porro fore consido; Deumque precor, ut Te CARDINALEM AMPLISSIMUM præclara majorum vestigia prementem diu servet, in suæ Ecclesiæ perennem utilitatem, tuæque simul gentis continenti serie propagandam commendationem. Dabam in ædibus Vallicellanis die festo S. Augustini XXVIII Augusti, anno MDCCXXXI.

SUMMARIUM

TOMI XXXVI

MDLXVIII.

1-13. Pii V Constitutiones de residentia et beneficiis juxta normam a Concilio Tridentino præscriptam. 14-17. Pius vetat ad Ordines promoveri nisi beneficiis instructos, ex quo fit ut plures religiosorum familiæ sese reforment. 18. Novum Breviarium jussu Pontificis editum. 19. Præcipuo honore coli Pius præcipit Eucharistiam, dum ad infirmos defertur. 20-22. Bullam quæ dicitur *In Cena Domini* ab omnibus observari mandat. 23,24. Consultit Pius locis et personis Deo dicatis, declarat quo sensu intelligenda sint impedimenta publicæ honestatis, et in ordinem redigi curat Monumenta ad Romanam Ecclesiam pertinentia. 25,26. Novos creat cardinales, inter quos eminent Sucherius et Caraffa. 27-38. Ad pristinum decorem reducere Pontifex conatur religiosos Ordines, præsertim Minoritas, cooperante S. Carolo Borromæo. 39-42. Mandante Pio, Carolus Borromæus purgat hæresibus Italiam. 43. Leonardum de Marinis, visitatorem Apostolicum, Pius exstimulat. 44. Januensem rempublicam monet ut religionis rem majori curet studio. 45,46. Carolo Borromæo utitur, tum ad jurgia sedanda, tum ad disciplinam per synodos diocesanos restaurandam. 47. Concilium provinciale Ravenatense. 48,49. Romæ penuria et morbis laboranti large subvenit. 50-52. Veneta respublica, sibi ipsi tantum prospiciens, recusat præstare subsidia Pontifici, qui vicissim ipsi negat decimas Ecclesiasticas. 53,54. Jurgia inter Melitensem Ordinem et Pontificem. 55,56. Turcarum jugum excutere tentant Arabes et Ægyptii: navalis pugna inter Florentinos et Turcas. 57,58. Concertatio de dignitatis prærogativa inter duces Florentinum et Ferrariensem. 59. Rosa aurea decoratur a Pontifice Joanna Florentiæ ducissa et Margarita Austriaca. 60. Januenses increpat Pontifex quod Ecclesiam prius dirui permissam alibi non excitarint. 61-67. Astensis Ecclesiæ feudatorii a ministris Sabaudici ducis leduntur, favente episcopi seguitie, et alicuius hæreticis secreto inspirantibus. 68,69. Divinæ vindictæ signa Mantuæ et Genevæ. 70-78. Dissidia inter Tridentinum episcopum et archiducem Austriæ, illam Ecclesiam opprimere conantem. 79. Austriæ archiduci Pius denuntiat vexationes illatas in Colmariense capitulum. 80. Archidux sacerdotem scelestum morte plectit, et hæreticos insectatur. 81. Annuente archiduce, visitatio diocesis Aquileiensiis decernitur. 82-89. Patefacto imperatoris consilio de concedenda Austriæ populis Confessione Augustana, Pius Commendonum legatum suum in Germania creat, et jubet illum malo obstare, adhibitis remediis etiam acrioribus. 90-93. Litteræ Pontificis ad episcopum Pataviensem de non concedenda laicis communionem sub utraque specie. 94. Electo Basileensi præcipit ut consecrationem episcopalem recipiat. 95,96. Pragensi episcopo mandat ut suum opus impleat perfectius. 97-103. Abusibus qui irroperant in electione episcoporum fortiter obsistit Pontifex, et nisi magna cum cautela electos confirmat. 104,105. Concedit Pius ut Gaspar Francus, recenter ab hæresi conversus, ad sacros ordines promoveatur. 106. Grata Pontifici electio Coloniensis archiepiscopi. 107. Trevirensis archiepiscopus tandem tanquam princeps recipitur. 108, 109. Colloquium Altemburgense inter Lutheranos *molles* et *rigidos* hæreticis nocivum, Catholicis vero perutile. 110-112. In Anglia Puritanorum origo, mores, fautores, hostes. 113. Mariæ Scotiæ regina carere elabitur. 114,115. Nothus illam insequitur, et commissa pugna, reginæ exercitum profigat. 116,117. Mariæ ad Elizabetham sceedere statuit. 118,119. Mariæ Carleolam ducitur, ibique ut captiva tenetur. 120. Mariæ per litteras Catholicos ad deponenda arma inducit. 121,122. Judices ipsi testimonium reddunt de Mariæ innocentia, unde irascitur Elizabetha. 123. Dolose spargitur rumor de Mariæ nuptiis cum Norfolkio. 124,125. Elizabetham per fas et nefas omnia conturbantem Pius coercere tentat, mediante rege Hispano. 126-128. Sueticæ res per mortem Errici crudelissimi regis compositæ. 129. Polonos inter et Moscovicis bellum. 130-132. Confessionem Augustanam Gedanensis oblinere student a Sigismundo Polonia rege, quem Hosius de ipsorum fraudibus monere festinat. 133. Acta Elbingensia. 134-136. Hosti votis non obtemperant Elbin-

genses. 137-141. Elbingensium querelæ ab Hosio diluuntur. 142. Hosius frustra contendit ut ministri hæretic Elbinga ejiciantur. 143. Hosio ad comitia Lublinensia proficiscenti ingentes offeruntur comæcatus. 144. Calvinistæ Hosium calumniis impetunt. 145. De immunitate Ecclesiastica in Polonia Diploma regium. 146. Wladislaviensis episcopi zelus. 147. Chiovensis episcopum a sede sua dejecit Pontifex. 148. Deteguntur fraudes Gnesnensis episcopi. 149. Merlini Lutherani convicia in Pontificem. 150,151. Annae, infantis Poloniæ insignis pietas : ad comitia Lublinensia communitariæ litteræ Pontificis. 152-155. In Gallia inter Hugonottos et Catholicos pactæ pacis conditiones, neutri parti acceptæ. 156-158. Rex Carolus cancellarium Hospitalium ab officio deponit, jurisjurandi formulam omnibus subscribendam mittit ad provinciarum præsides, et apprehendere frustra tentat præcipuos ex Hugonottis. 159. Utrobique ad arma concurritur. 160-164. Omnium plausu excipitur edictum novum, quo nulla fides, nisi Catholica, admittitur. 165-167. Temporalibus et spiritualibus subsidiis Galliarum regi subvenit Pontifex. 168-170. Hæretici undequaque auxilia petunt, et inter se juramento obstringuntur. 171,172. Avenionensem ditionem ab hæreticorum insidiis servat cardinalis Armeniacus. 173,174. In Belgio ducis Albani nimia severitas, unde hæreticorum horrenda facinora. 175. Orangius in jus vocatus parere recusat : eadem inferunt orthodoxi hæreticis, et vicissim hæretici orthodoxis. 176,177. Albano jubente, nobiles captivi capite plectuntur; curiæ Calemburganæ ædificium solo æquatum. 178. Praelarum victoriam de Nassovio duce refert Albanus, de qua Pontificem certiore facit. 179. Pii ad Albanum littere gratulatoriæ. 180,181. E Germania in Belgium redit Orangius, sed mox solvere exercitum cogitur. 182-184. Orangius non patriæ defensor, sed proditor. 185. Proligium in Hispano milite : reformatio Ordinum in Belgio. 186-193. Quid sentiendum sit de captivitate et morte Caroli, regis Hispani filii. 194. Mors præpropera Elizabethæ Hispaniarum reginæ. 195,196. Bellum Granatense. 197,198. Causa Thomæ Caranzæ, insignis Toletani præsulis, Romam evocatur. 199. S. Theresia incipit reformationem Ordinis virorum Carmelitarum. 200. Pius mandat ut Eucharistia administretur capitali supplicio damnatis. 201-203. Portugalliæ regi Pius gratulatur de suscepta recenter administratione, et illum commendat cardinali avunculo. 204,205. Felix Portugalliæ status. 206-213. Pius urget conversionem hæreticorum necnon Ethnicorum in Indis Orientalibus et Occidentalibus. 214. Fieta egatio patriarclæ Syrorum. 215. Mors Pavini qui Baronius optaverat suo loco esse scriptorem Annalium. 216. S. Stanislaus Koska moritur : Pontificis severitas in prouepolem.

MDLXIX.

1-5. Carolus Borromæus Scalensium collegium visitare statuit, et a canonicis palitur repulsam. 6,7. Pontificis litteræ tum ad gubernatorem Albuquerqueium, tum ad Carolum ipsum de negotiis Scalensium. 8,9. Pii summa animi moderatio et prudentia. 10-13. Carolus divinitus servatur a cæde quam ipsi paraverant Fratres Humiliati. 14-16. Severis litteris perstringit Pius ducem Albuquerqueium, quem postea poenitente vinculis analthematis solvit, deprecante ipso Carolo. 17. Tristis exitus jura Ecclesiæ contemnentium. 18,19. Exigitur eo durius ab Albuquerque revocatio edictorum contra Ecclesiasticam jurisdictionem latorum quo benignius a Pontifice habitus fuerat. 20. Concilium Mediolanense secundum. 21. Bonifacii VIII Constitutionem contra offendentes S. R. E. cardinales Pius etiam ad non revelantes extendit. 22. Cardinalem Montium in arcem S. Angeli iterum includi jubet Pontifex. 23. Pius declarat cardinales comprehendi in Constitutione Pii IV adversus Custodinos. 24. Simoniacam labem implacabili animo persequitur. 25-39. Philibertum, Sabaudiarum ducem, Astensis Ecclesiæ jura violentem, ad meliores sensus Pius reducit. 40-45. Sacram Penitentiarum Pontifex denuo reformat. 46,47. Bulla qua constituuntur leges censuum licite exigendorum. 48,49. Basilicam Lateranensem super omnes orbis Ecclesias extollit Pontifex et laquearibus inauratis exornat. 50. Fabricam S. Petri in Vaticano privilegiis auget. 51. Canonicos S. Georgii in Alga Venetiarum ad votorum trium professionem adigit, eisdemque privilegiis dicit. 52. Congregationem Fontis-Avellanæ suppressit, et monasteria Camaldulensibus attribuit. 53,54. Binæ in singulis provinciis domus Recollectis Ordinis S. Francisci assignantur. 55. Sodalitates Rosarii privilegiis firmantur, et earundem creatio conceditur Ordini Prædicatorum. 56. Securitati officialium S. Inquisitionis Pius consulit. 57-63. Cellarium hæreticum comprehendi jubet, et ob ejaratam hæresim vivum comburere parit. 64,65. Mantuæ ducem apud regem Hispanum bonis officiis juvat. 66-70. Joannettus hæreticus propter apostasiam bis carceribus mancipatur, et tandem hæresi ejurata, in eustodiam æternam datur. 71-73. Mediolani Pallæarii vivus in ignem conjicitur. 74-76. Pius hæreticos ubique persequi et comprehendi curat. 77,78. Constitutio qua Hebræi a toto dominio Ecclesiastico, Roma excepta, ejiciuntur in penam suæ perfidiæ. 79-84. Componentur dissidia inter Corsicam et Januensem republicam. 85-88. Cosmus Medicæ creatur Magnus Dux Etruriæ. 89. Finalenses Carettum marchionem recipere detrectant. 90-94. Galliæ regem et principes incendit Pius adversus hæreticos, promissis auxiliis. 95-107. Magna apud Jarnacum Francorum Catholicorum victoria : Pontificis summa lætitia, et litteræ gratulatoriæ. 108. Comitum de Tavanæ pro archiepiscopo Bisuntino Pius gratiam concedere renuit. 109-113. Cardinalem Lotharingum et Galliæ regem monet Pontifex, ut victoriæ fructus rebus Ecclesiæ firmandis inservire faciant. 114. Pontifex Caroli regi suadet ut Bearniam et Navarram occupet. 115. Laudat Pontifex cardinalem Borbonium quod majorem Catholicæ religionis quam sanguinis rationem habuerit 116-118. Carolum regem et ejus matrem denuo stimulat Pontifex. 119-128. Auxiliares copias ad regem misit a Pontifice. 129. Caroli regis illustra religionis exempla. 130-133. Suffecto in locum Condæi demortui Henrico Benearniæ principe, Hugonotti ab Elizabetha Angli subsidia obtinent. 134-136. Dux Bipontinus arma jungit cum Hugonottis. 137-140. Bisuntini in fide confirmati, tum per Pontificis litteras, tum per detectam hæreticorum perfidiam. 141,142. Bipontini obitus : Anselotius veneno necatus. 143,144. Andegavensis proditorie ad necem quæsitus a Colino : variæ leves pugnæ. 145-148. Quibus de causis Pontifex nova subsidia ad regem Gallorum militem detrectaverit. 149-153. Meldensem episcopum licet a rege nominatum, confirmare renuit Pontifex ob hæresis suspicionem. 154. Dumblanensem episcopum,

Pius regi Gallo commendat. 155,156. Variæ Hugonottorum contra Catholicos velitationes. 157-160. Omnibus dignitatibus exiit Carolinus, cui sufficitur marchio de Villars; unde litteræ gratulatoriæ Pontificis ad Carolinum regem. 161-165. Præclara de hæreticis reportata victoria apud Monconturium. 166-170. Summa Urbis et orbis Catholici lætitia. 171-175. Nil experientia edocti Catholici rursus negligunt hostes persequi. 176-179. Avenionensis ditio ab hæresi præservata propter Pontificis prudentiam. 180-187. In Jesuitas coorta Avenione seditio. 188-194. Avenione jubentur excedere Judæi. 192. Valentina in Gallis Ecclesia periclitans litteris Pii in fide firmatur. 193. Virdunensis cleri pietas a Pontifice impense laudatur. 194. Dux Usensis cum Ecclesia reconciliatur. 195-197. Pontifex promovere conatur matrimonium inter Carolum Galliarum regem et filiam imperatoris, obstantibus licet principibus hæreticis. 198. Joanni de Atria Pius suadet dimittere Gallos captivos. 199-203. In Belgio Albani ducis sævitia, occasio rebellionis. 204. Mittit Pius ad Albanum ob res præclare gestas pileum et ensei prece sacrosatos. 205,206. Albanus aggreditur imponere episcopos novis sedibus, et inter eos Lindanum Ruremundensem, virum eruditione et pietate conspicuum. 207,208. Hosius Maximilianum laudat quod non concesserit Austriaci Augustanam Confessionem. 209. Olomucensis episcopus propter erectum collegium male mulctatur in sua civitate. 210,215. Salisburgensis præsulis studium, ejus meritis Pontifex ratam habet electionem Davidis in episcopum Ratisponensem. 216. Pii litteræ ad capitulum Argentinense de electione episcopi. 217. Ejusdem litteræ ad imperatorem de residentia canonicorum. 218-221. Tridentinæ Ecclesiæ dissidia componitur. 222,223. Abbati Modianensi deputatur munus visitandi diocesim Aquileiensem necnon Bambergensem. 224-232. Litteræ Encyclicæ Pontificis ad episcopos Germaniæ et Hungariæ. 233,234. Intermissio Apostolico conceditur potestas operam dandi regi Poloniæ. 235-241. Monita Pontificis ad episcopos in comitiis Lublinsibus congregandos. 242-244. Reclamante licet Pontifice, Sigismundus Poloniæ rex Albertum Borussiae ducem creat, et regale Poloniæ jus in discrimen adducit. 245-247. Obstitit Pontifex regi et episcopis Poloniæ, qui præscripta Concilii Tridentini labefactare tentant, nedum exequantur. 248-256. Permoesta Sigismundo regi Hosii præsentia. 257-260. Merlinus hæreticus, non Catholicis tantum, sed etiam Calvinianis intolerabilis. 261-263. Geduni commissarii regii non recepti, et utemque restituta religio Catholica: Gedanensium cum Danis res compositæ. 264-268. Ex comitiis Lublinsibus constituta concordia inter Lithuaniam et Poloniam, excogitatum fœdus inter imperatorem et Polonum, et plurimi ad veram fidem reducti. 269. Hosius Romam revertitur. 270-274. Angliam appellit Mortonium, ad ejus vocem Catholici insurgunt; Northumbriæ comitem sibi ducem eligunt. 275-280. Catholici se dant in fugam. 281-284. Maria Scotiæ regina ab Elizabetha durius habita. 285. Albano duci ruina Angliæ tribuenda. 286,287. Anglos Catholicos pecunia juvat Pontifex, et in illorum gratiam Duacensis Collegii fundamenta jacet. 288. Elizabethæ jugum exentere tentant Hiberni. 289. Romæ obit Pechamus, strenuus Ecclesiæ defensor. 290,294. Res Moscoviticæ. 292. Pax inter Danum et Suecum confirmata. 293-305. Hispanorum simulatas ex Granatensi bello exorta. 306-308. Reformationi Ordinum religiosorum rex Hispaniæ et Pontifex simul incumbunt. 309-312. Capituli Toletani querelæ ad Pontificem delatæ et responsio Pontificis. 313-315. In Muriæ regno cavet Pontifex ne plectantur innocentes cum sœntibus. 316,317. Valentinum episcopum pastorale munus deponere cogitantem Pius a sententia revocat. 318-325. Lusitanos episcopos objurgat Pius, eo quod seminarium non instituerint in sua quisque diocesi. 326. Erectioni novæ sedis episcopalis in oppido de Elbas obstant Elborensis et Ceptensis episcopi. 327,328. Providet Pontifex ne majores Ecclesiæ dignitates neophytis in Lusitania conferantur. 329. Cardinalis infans Portugalliæ, relicta Ulyssiponensi sede, ad Elborensium suam priorem Ecclesiam derit. 330,331. Laudat Lusitanum regem Pius quod reformationem Ordinum Militarum aggredi in suo regno statuerit. 332-336. Lusitani regis matrimonium urget Pontifex. 337,338. Æthiopia expeditio contra Turcas Sebastiani regi commendatur. 339. Siones rex Lusitanorum ope restitutus. 340,341. Brasiliæ proregem Pius hortatur ad Catholicam fidem propugnandam. 342. S. Ludovicus Bertrandus e novo Granatæ regno in Hispanias redit. 343. Joannis Avilæ et Xisti Senensis obitus. 344,345. Multa in hoc anno iræ Dei signa. 346. Urbini Concilium provinciale. 347. Pius, dato Diplomate, fovet studium Andreæ de Gaspare Corso erga captivos.

APPENDICES

- I^o Concilii Provincialis Ravennatensis Acta et Decreta.
 II^o Congregationis Fontis-Avellanæ vetera monumenta.

ANNALES ECCLESIASTICI.

PII V ANNUS 3. — CHRISTI 1568.

1. *Pii V Constitutiones de residentia et beneficiis juxta normam a Concilio Tridentino præscriptam.* — Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, Indictione undecima, incæpto reformationis insistens Pontifex, ut omnem assimilatæ excusationis speciem, quam animarum pastores comminisci possent, ne apud commissas sibi oves, juxta præscriptum sacri Tridentini Concilii residerent, adimeret, Constitutionem edidit, qua, quibuscumque indultis, etiam Apostolicis, abrogatis, invitos ac nolentes apud Ecclesias sibi traditas manere compulit. Paucis eam damus ¹, quam ipse pluribus exaravit:

« Hac nostra (inquit) perpetuo valitura Constitutione, omnes et singulos rectores parochialium Ecclesiarum, cujuscumque dignitatis, gradus, status, ordinis, etc. in quibuscumque regnis, provinciis, civilibus, diocesisibus, etc. consistentes, qui parochialem Ecclesiam, ac canonicatum, aut dignitatem, etiam post Pontificalem, majorem seu principalem in quibusvis patriarchalibus, aut metropolitanis, aut cathedralibus, seu collegiatis Ecclesiis, seu aliud quodcumque beneficium Ecclesiasticum, etiam quarumcumque dispensationum a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, seu etiam a nobis hæcenus quomodolibet impetratarum, ac litterarum Apostolicarum desuper expeditarum titulo, quas omnes hac præsentii Constitutione abolemus et revocamus, seu alio quocumque prætextu obtinent; cum prima et præcipua debeat esse cura animarum, eos ad residendum in Ecclesia parochiali, et ibi in divinis deservendum, debitoque eorum officio fungendum, omnino teneri et obligatos esse,

ac ad id per episcopos, et aliorum locorum ordinarios, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegatos, sub sententiis et censuris Ecclesiasticis, ac pecuniariis arbitrio eorum declarandis, ac etiam privationis dictarum parochialium et aliorum quorumcumque beneficiorum, pœnis, mora quacumque remota, cogi ac compelli posse et debere, auctoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus, præcipimus et ordinamus. Eos tamen sic residentes in Ecclesiis parochialibus, omnes et singulos fructus, redditus et proventus, etiam canonicatus sui, vel dignitatis, seu alterius cujuscumque beneficii, exceptis duntaxat quotidianis distributionibus, et aliis, qui ex justa causa absentes percipere non solent, lucrari volumus, etc. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, ann. MDCXVIII, octavo id. Julii, Pontificatus nost. ann. tertio ».

2. Adeo autem insectatus est Pius hujusmodi homines, qui sacrosancta spiritualis matrimonii inter se suasque Ecclesias solemniter contracti jura quodammodo violantes, sponsas suas, in longa quasi viduitate relictas, invisere, et apud illas, ut probos et providos patresfamilias decebat, residere non curabant; quod, cum audisset, canonicos, et alios, dignitates habentes, personatus et officia, in Sardinia insula, Ecclesiarum (quas partim rerum inopia depressas, partim etiam aeris inclementia desertas, jam pridem Apostolica Sedes proximis metropolitanis et aliis cathedralibus Ecclesiis providenter adjunxerat): non modo in illis, tanquam personali obsequio solutos residentiam detractare atque refugere; sed parochiales quoque Ecclesias in præbendas forle hujusmodi canonicatum institutas, vel prædictis dignitatibus, beneficiis et officiis applicatas, nullum

¹ Extat in Bull. Const. 65.

habere proprium vicarium, vel alium proprium sacerdotem, qui curam exerceret animarum: et rursus multas parochiales Ecclesias, sive pro præbendis habitas, sive dignitatibus, beneficiis et officiis non unitarum nec suppressarum Ecclesiarum incorporatas reperiri, quæ hujusmodi pariter vicariorum solatio destitutæ essent, intellexisset: tam pernicioso malo ac incuriæ (inquam) occurrere volens, Apostolica auctoritate, kal. Octobris hujus anni, dignitates omnes, etiam majores et principales, atque canonicatus, præbendas, personatus, administrationes, officia, cæteraque beneficia, omnium et singularum præfate insulæ Ecclesiarum aliis unitarum, vel etiam suppressarum, quæ parochiales Ecclesias uti præbendas habuissent, vel alias annexas, in quibus vicaria perpetua constituta non extitisset, extinxit, atque omnino abolevit.

3. Ipsas autem parochiales Ecclesias, sic ad primævum statum simplicem ac liberum revocavit, ut in earum collatione dehinc a locorum ordinariis faciendâ, Tridentini Concilii forma, quæ de parochialibus Ecclesiis super hoc fuerat præscripta, omnino servari debere imperaret; statuitque, ut quicumque dignitates, canonicatus, præbendas, beneficia et officia prædicta, sic extincta, etiam plura, et diversis hujusmodi Ecclesiis, ex dispensatione Apostolica aut alias obtinuissent; ex eo quod amplius non extitissent, nullum in præfatis principalibus Ecclesiis locum habere contenderent; sed singulas parochiales Ecclesias, tanquam simplices rectores retinerent, ibique præsentibus perpetuo residere, ac debita parochialia officia per se ipsos, ut æquum erat, exercere deberent: nec ulli omnino id effugere, aut immemorabili consuetudine, aliave prætensa juris cautione, etiam si ad solos episcopos eam curam pertinuisse objecissent, posse defendi voluit; sed eos, qui canonica monitione præmissa, in parochialibus ipsis Ecclesiis præsentibus residere neglexissent, censuris et pœnis omnibus contra non residentes, tam a præfato Concilio impositis, quam etiam suis, vel canonicis aliis sanctionibus subjacere mandavit.

4. Si autem de pluribus etiam diversarum diœcesum parochialibus, unica tantum præbenda constitisset, aut unico de illis, uni tantum dignitati, beneficio vel officio sic suppresso facta fuisset; singulos possessores, etiam qui plures ex suppressis parochialibus Ecclesiis obtinuissent, in una parochiali Ecclesia duntaxat, quam intra sex menses, post publicationem Apostolicarum litterarum suarum eligere debuissent, perpetuo residere, vita eis comite, denuntiavit; in cæteris vero omnibus tolerari voluit, dummodo ipsis vicarii idonei, a locorum ordinariis debito cum stipendio assignarentur. Illis tamen cedentibus et deceden-

tibus, singulos rectores in singulis Ecclesiis ordinari jussit, nisi forte loci propinquitas, vel rerum angustia non prohibuisset, aliave legitima causa superiorem connexionem passa fuisset.

5. De Ecclesiis porro parochialibus, vel in præbendas canonicatum erectis, vel dignitatibus, officiis et beneficiis non unitarum, nec suppressarum metropolitanarum, cathedralium, aliarumque dictæ insulæ Ecclesiarum perpetuo annexis, in quibus nullæ vicariæ, usque eo perpetuo institutæ extitissent: quoniam canonici et alii dignitates, officia et beneficia hujusmodi obtinentes, in ipsis metropolitanis, cathedralibus, et aliis Ecclesiis deservire tenebantur; ordinarios locorum quam primum providere præcepit, quemadmodum in generalibus, ac præfato Tridentino, Concilii ordinatum dignoscebatur; portione nimirum fructuum, etiam super certa re assignanda, ac per vicarios propria auctoritate percipiendâ; quæ tamen centum scutorum summam non transcederet; inferior vero minor quinquaginta non esse posset, quando tamen sine notabili principalis incommodo pluris esse nequiret; eam siquidem esse velle annonæ utilitatem edixit, ut sacerdos ex minori commode sustentari valeret. Edita est autem Constitutio¹ hæc kal. Octobris hujus anni.

6. Dum vero sic Pius residentiam eorum, qui animarum curam habuissent, urget, ac plura simul beneficia, quibus id onus injunctum esset, retineri prohibuit; ex his tamen nonnulla excepsisse, in suo Diario, sub die xiv Januarii hujus anni Alexander cardinalis Farnesius, his verbis testatur:

« Sanctissimus Dominus noster, dedit in titulum mihi Alexandro cardinali Farnesio, vicecancellario, metropolitanam Ecclesiam Montis Regalis, quam prius in administrationem habebam, meque illi in archiepiscopum præfexit et pastorem, curam, et etc. committendo, cum retentione omnium et quorumcumque quæ obtineo, ratione exem., et cum clausulis opportunis et consuetis.

« Et quia episcopatum Tusculanum obtineo, decrevit Sanctitas sua, quod sex episcopatus, qui sunt prope Urbem, nimirum Ostiensis, Prænestinæ, Albanensis, Tusculanæ et Sabinensis, non inducant incompatibilitatem, juxta formam alias traditam, tempore felic. record. Pauli Papæ Tertii ». Sic ibi.

7. At quia tam in Sardinia insula quam alibi, vel residere abnuentes, Ecclesiarum ministri, vel censu subtracto, ut vicariæ institui possent, dignitatibus et Ecclesiis potius cedere maluisse, quam eas retinere, rite censi poterant; ut huic malo Pius occurreret, hoc ipso anno

¹ Exstat in Bull. n. 74.

kal. Aprilis, alteram vulgavit ¹, quæ eas, quæ ab episcopis et aliis collatoribus admitti poterant beneficiorum resignationes, fusc his verbis explicavit :

« Episcopi et alii facultatem habentes eorum duntaxat resignationes recipere et admittere possint, qui aut senio confecti, aut valedudinarii, aut corpore impediti vel vitiati, aut crimine obnoxii, censurisque Ecclesiasticis irreliti, aut nequeunt aut non debent Ecclesiæ vel beneficio inservire ; seu qui unum aliud vel plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri ; religionem quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, si statim postea id reipsa exequantur : denique quis ex aliis casibus acciderit, qui Constit. felic. record. Innocenti Papæ III de dimittendis cathedralibus Ecclesiis edita continentur. Qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt vel non audent, in loco beneficii residere securi. Sed nec horum ullus sacro Ordini mancipatus, nisi religionem ingressurus, valeat ullo modo beneficium vel officium Ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, quo in vitâ possit commode sustentari. Ad hæc beneficiorum et officiorum permutationes admittere, quæ canonicis sanctionibus, et Apostolicis Constitutionibus permittuntur ».

8. Sic Pius ; qui in hac eadem insuper Constitutione cavendum esse episcopis monuit, cæterisque præsentatoribus et patronis, tam Ecclesiasticis quam laicis, quicumque essent, ut ne verbo quidem, aut nutu, vel signo in hujusmodi beneficiis et officiis, futuri successores ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione vel hortatu, designarentur ; aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercederet : præcepitque, atque interdixit, ne ipsi episcopi, aut alii collatores, de beneficiis et officiis resignandis prædictis, aut suis, aut admittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum, providere auderent ; quod si secus, ac etiam quidquid præter vel contra formam prædictorum fuisset a quocumque attentatum, id totum ex tunc vires et effectum non habere decrevit.

9. Morem etiam eum, seu potius corruptam consuetudinem ex sui muneris ore duxit Pontifex penitus evellendam, qua, etiam in Romana curia, quædam Simoniacæ pravitatis species beneficiorum irrepserat, quæ *Confidentia* vocabatur. Jam pridem hanc perniciem ipsum S. R. E. cardinalium collegium infecisse Pius papa Quartus cognoverat, cum nonnullos ex cardinalibus ipsis, nimia quadam facilitate, seu potius importunis amicorum et familiarium

precibus adductos, in hujusmodi *confidentiam* beneficia recepisse, et tunc frequenter recipere compererat. Illicitum ideo hanc beneficentiam exercendam seu amicitiam colendam modum, a tanto saltem collegio prorsus ducens eliminandum, cardinales eosdem in suo consistorio secreto, non semel admonuerat, huic aliena beneficia custodiendi rationi, ne assuescerent, neque illa hoc modo susceperint ; quin potius sine recepta dimittere vellent. Sed, cum, post crebras has monitiones, eorum aliquos nullum omnino ex iis fructum capisse, nec meliores evasisse audisset ; nec modo quæ custodienda beneficia susceperant, non dimisisse ; sed insuper eos aliosque nonnullos, etiam patriarchas, archiepiscopos, atque episcopos pessimum illorum sectantes exemplum, Ecclesias, monasteria, dignitates et beneficia alia, in eorum favorem resignata, cessa, vel alias dimissa, acceptasse, illaque in titulum, commendam vel administrationem, aut alias, auctoritate Apostolica concessa, quandoque in resignantium vel cedentium, seu etiam aliorum favorem capisse, vel alias dimisisse ; ac sibi propterea fructus Ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum, et aliorum hujusmodi beneficiorum, in toto vel in parte, et regressus sive accessus et ingressus, ad Ecclesias, monasteria, etc. sibi reservare curasse, ac obtinuisse ; ad hoc videlicet, ut *confidentes*, sic Apostolicarum decimarum, vel communis ejusdem collegii, et annata, aliorumque jurium Apostolica camera debitorum solutionem eluderent, atque alia in animarum suarum periculum perperasse : tot ideo malis, pro sui officii debito occurrere volens, Apostolicis suis litteris, Ecclesias, monasteria, ac hujusmodi beneficia, ipso jure a die receptionis earum vacare ac vacasse declaraverat ; ac fructus, reservationes factas, et regressus sive accessus et ingressus cessare ac cessasse decreverat.

10. Nihilominus, quia ipsemet Pius Quartus sibi ipsi et successoribus suis, ejusmodi, prout oportuisset, litterarum executionem non reservaverat, eo magis quod præfate *confidentia* inter cardinales, archiepiscopos, episcopos, aliosque potentes viros precipue essent ; illa ut inferiores judices eorum dignitates, gradum atque auctoritatem, vel metuentes, vel venerantes, contra illos inquirere non auderent ; vel forte, quia nullus fuisset, qui contra eos se instigatorem aut accusatorem ostendere voluisset : in justitia ideo super hæc crimina exhibenda, ac ministranda ac Pontificis illius exequendis mandatis, morose et negligenter processum fuerat.

11. Ubi igitur hæc Pius Quintus animadvertit, rite adhibitibus a prædecessore lethali ægri tudini remediis vim omnem conferre decrevit, ne morbus in totius Ecclesiæ perniciem, medici incuria, majores, in dies, sumeret vires,

¹ Extat in Bull. n. 58.

et tandem pæne insanabilis redderetur; edita sunt ab eo hoc anno MDLXVIII, die v Januarii, quæ sequuntur¹:

« Ut ad aures nostras, non sine animi nostri displicentia pervenit, ut nonnulli sacros canones, seu litteras Pii prædecessoris, etc. parvi pendentes non vereantur, in animarum suarum perniciem, Ecclesias etiam cathedrales et metropolitanas, monasteria, prioratus, et alia beneficia secularia et regularia in *confidentiam*, quam Simoniacam pravitatem sapere non ignorant, acceptare et retinere, seu illa in vim assertorum regressuum, sive accessuum et ingressuum, sic ut præfertur, eis concessorum, et effectum, ut aiunt, sortitorum, consequi et habere velle; Nos qui, post nostram ad Summi Apostolatus apicem, divina favente clementia, assumptionem, inter alias nobis imminentes curas, hoc precipue et maxime cordi habuimus, prout habemus, hujusmodi *confidentias* de medio tollere, et in sua pertinacia circa hujusmodi Ecclesiarum, monasteriorum et beneficiorum detentionem, seu asecutionem persistentes, nisi respiciant, debitis nobis visis penis plecti, ac unicuique, prout ex nostro universali et pastoralis officio tenemur, in his justitiam ministrare, et ne abusus, vel potius delictum ejusmodi, ulterius fidelium animas illaqueatas retinendo progrediatur, omni debito et celeri remedio providere volentes, etc. de Apostolica potestatis plenitudine, præmissorum omnium cognitionem, et litterarum prædictarum (nempe Pii IV) executionem nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus, canonice intransitibus reservantes, prout harum serie reservamus, omnes et singulas *confidentiarum* hujusmodi, contra quoscumque, etiam ejusdem S. E. R. cardinales, archiepiscopos, episcopos, et alios quoscumque, coram quibuscumque iudicibus, etiam ad hoc specialiter delegatis, etiam sacri Palatii Apostolici causarum auditoribus, ac S. R. E. cardinalibus, motas et pendentes, in eisdem statu et terminis, in quibus reperiuntur, ac etiam alias quascumque similitum *confidentiarum* causas, contra supradictos et alios quoscumque de cætero movendas, seu ad nos quomodolibet deferendas, per nos summarie et simpliciter, et de plano sine strepitu, et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, etiam per viam inquisitionis, seu ex nostro officio, aut alias nobis expedire videbitur, avocamus ». Sic ibi.

12. Itas pariter facultates abrogandas Pontifex censuit, quibus nonnulli Comites Palatini, ac alii quam plurimos, tam laicos quam clericos, tam jure civili quam canonico, et theologia, nullo aut non debito examine prævio, inhabiles et indoctos, doctores, licentiatos, et magistros creare consueverant, ut sic facilius ad dignita-

tes, cæteraque Ecclesiastica beneficia assume-rentur, eaque consequi possent; edicens hac ratione hujusmodi doctoralibus laureis insignitos, quoad dignitates cæteraque Ecclesiastica beneficia obtinenda, nulla gradus prærogativa frui nec posse gaudere. Idque constituit kal. Junii hujus anni; quo etiam, decima septima Augusti, vulgari aliam Constitutionem jussit², qua omnes et singulas facultates et licentias concedendi commissiones alienationum, vel permutationum, aut affrancationum quorumcumque bonorum Ecclesiasticorum, aut locorum piorum, cujuscumque valoris existentium, ac etiam summam annuam cujuscumque, ducentorum auri de Camera non excedentium, aut alterius minoris valoris in forma quæ dicitur *Si in evidentem*; tum camerario, tum clericorum Cameræ Apostolicæ collegio a Gregorio IX, Bonifacio IX, Urbano VI, Martino V, Nicolao V, Sixto IV, Innocentio VIII, Julio II, Leone X, Paulo III, Julio III, aliisque prædecessoribus Romanis Pontificibus concessas ac confirmatas, perpetuo revocavit; ut sic Ecclesiarum indemnitati, quantum posset, consulere ac providere; cum nimia facilitate, ac incuria in non modicum Ecclesiarum earundem detrimentum, ejusmodi facultates incaute impertiri agnovisset³. Ac eidem quoque camerario, ceterisque omnibus Romanæ curiæ iudicibus, tam ordinariis, quam delegatis aliis, Apostolicis litteris⁴, quinta die Januarii hujusdemmet anni publicis districte prohibuit, ac mandavit, ne in causis spoliatorum, vel illicitarum negotiationum per clericos factarum, inhibitiones aliquas, tam auctoritate sua ordinaria, quam etiam vigore rescripti extra Romanam curiam ad quasvis mundi partes, et contra quosvis collectores, decernerent ac relaxarent, nisi prius in ipsa Romana curia ad illas decerni videndum, Cameræ Apostolicæ generalis commissarius citatus fuisset; idque statuisse asseruit, quia frequenter evenisse animadvertisset, quod qui bona ad Apostolicam Cameram spectantia, et signanter spolia per clericos decedentes relicta detinerent, variis prætextibus et calumniis, dilationes et subterfugia querentes, illorum consignationem facere, et debitam satisfactionem impendere recusarent; et, ut se in hujusmodi injusta detentione confoverent, modo frivolas appellationes confingerent, modo inhibitiones summa malitia extorquerent, quibus causas ad iudices non informatos, et ubi non esset, qui causarum hujusmodi expeditioni vacaret, in gravem, non minus Apostolicæ Cameræ lesionem, quam animarum suarum præjudicium pertraherent.

Fructus autem beneficiorum, de quorum

¹ Extat in Bull. parvo Pii V. pag. 76.

² Extat in Bull. Const. 79. —

³ Extat in Bull. Const. 51.

collatione lis ac controversia exorta esset, lite eadem pendente, nullatenus a capitulo ac canonicis Ecclesiarum (ut mos erat) imposterum percepi voluit; sed penes personam fide ac facultatibus idoneam, per iudicem, coram quo causæ hujusmodi pendere repertæ fuissent, eligendam ac nominandam, deponi imperavit, ut ab ea deinde restituerentur cui postea de jure reddenda extitissent; ad hoc dato, tertio kalend. Aprilis, Apostolico Diplomate ³; cum prius, die nona Martii, ⁴ cupiens, pauperibus clericis et aliis benemeritis personis, de beneficiis Ecclesiasticis providere, omnia et singula Ecclesiastica beneficia cum cura, secularia et quorumvis Ordinum regularia, ubilibet existentia, episcopali, archiepiscopali, patriarchali etc. Sede vacante, dispositioni suæ reservasset.

13. Hac autem tantummodo mente, ut pauperibus clericis, virisque probis Ecclesiastica bona elargiretur ita decrevisse, educi facile potest, ex revocatione altera privilegiorum, ipsis Romanæ Curie officiis ac militiis concessorum, quam utpole incorrupti tanti Pontificis zeli, omni prorsus cupiditate expertis, insigne admodum monumentum, integram dare censuimus; dicit igitur ⁴:

PIUS PAPA QUINTUS

« Ad perpetuam rei memoriam.

« Sacrosanctum Ecclesie Dei statum integrum, et incolumentum præstare officii nostri cum sit; quæcumque illi detrimentum afferre noscuntur, nostra nos decet consideratione amovere.

« Sane tantæ tamque immoderatæ de rebus Dominicis, etiam extra ordinem Ecclesiasticum largitiones, his novissimis temporibus succrevisse perhibentur, ut jam optima quæque alieni sensim exhauriant, et quod, in fovendis multiplicandisque ministris Ecclesiasticis, fundandis seminariis, alendis pauperibus, recreandis infirmis, instaurandis Ecclesiis, fulciendis ædibus vetustate consumptis, educandis viris religione et doctrina claris, quibus Ecclesia ipsa tantopere dignoscitur indigere; id fere universum multitudo præripiat laicorum. Hinc manifesta nos impellit necessitas, ut, hac indomita cupiditate repressa, de communi Ecclesie salute consulamus. At, quia omnia incommoda statim ubique facile subducere non valemus, ea saltem, quæ nobis proxima sunt, et ante oculos frequentius obversantur, in primis tollere curabimus, ut cæteri omnes, cum venerit usus, æquiore animo patiantur. Itaque de nobis attributæ potestatis plenitudine, revocamus et abolemus omnia et quæcumque privilegia, facultates, dispensationes, et indulta Militum

S. Pauli, S. Georgii, Pii de Laurento, et de Lilio, necnon secretariorum, cubiculariorum et scutiferorum Apostolicorum, ac quibuscumque aliis Romanæ Curie et Apostolicæ Sedis collegiis et officiis, tam in dicta curia quam extra eam constitutis, ipsorumque personis necnon conclave, de pensionibus, fructibus et aliis rebus Ecclesiasticis, etiam ad certam et determinatam summam et quantitatem constitutis, per clericos conjugatos, bigamos et alios laicos obtinendis, eisdem per ipsos, ac aliis similibus per alios clericos, in alium vel alios transferendis, per quoscumque Romanos Pontifices, prædecessores nostros, ac nos et prædictam Sedem, tam in ipsorum institutione, quam deinceps, quandoque et quotiescumque, etiam per modum statuti perpetui, ac inili et stipulati contractus, et alias, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis restrictionibus, præservationibus, etc. Ita quod illorum sic revocatorum prætextu, laici, etiam extra conjugium et in cœlibatu viventes, ac bigami et clerici conjugati, nullas novas pensiones aut fructus, aut omnino alias res Ecclesiasticas habere, nec ipsi etiam, qui conjugati non sunt, si ad primas aut alias nuptias transierint, antiquas deinceps percipere; clerici vero et alii, matrimonium, etiam cum unica et virgine contracturi, postquam illud contraxerint, nec antiquas retinere, nec novas assequi possint. Decernentes, omnes transferendi facultates ex nunc, antiquas vero pensiones et alias reservationes, tam laicis quam clericis concessas, et quos ipsos clericos habere contigerit, per futurum contractum matrimonium hujusmodi, extinctas esse.

« Ac etiam revocamus et abolemus omnia et quæcumque privilegia, facultates, dispensationes et indulta, obtinendi et transferendi similes pensiones, fructus, et alias res Ecclesiarum, monasteriorum, et officiorum Ecclesiasticorum, sæcularium et regularium, S. Jacobi de Spata, Calatravæ de Alcantara, Jesu Christi, et S. Stephani, cæterasque militias, necnon S. Lazari Hierosolymitani, ac omnibus et singulis aliis hospitalibus, eorumque militibus fratribus, et personis, tam clericis, quam conjugatis, etiam modo et forma prædictis, et ex eisdem ac quibuscumque aliis fortioribus causis concessa, approbata, et etiam a nobis moderata et restituta; ita quod ipsi sive conjugati, sive bigami, sive clerici, sive etiam presbyteri, nullas de cætero recipiant, sed eas solas, quas nunc habent, sine facultate eas transferendi, retineant; et eæ quoque per futurum contractum matrimonii extincte censeantur.

« Omnes vero privatas dispensationes et gratias habendi et retinendi pensiones, fructus, et alias res Ecclesiasticas militibus et fratribus quibuscumque militiarum et hospitalium prædictorum, tam a nobis quam a prædecessoribus

¹ Extat in Bull. Const. 57. — ² Ibid. Constit. 55. — ³ Extat in Bull. Const. 73.

nostris et dicta Sede hucusque singulatim concessa, ita moderamus et restringimus, ut illarum vigore soli milites, et fratres non conjugati, nec bigami, novas deinceps pensiones, aut fructus, aliasque res Ecclesiasticas recipiant, et in celibatu viventes, illas et alias jam receptas dumtaxat percipiant. Aliis vero, etiam cum unica et virgine conjugati, si rursus matrimonium contraxerint, eas omnes, quas nunc habent, per hujusmodi contractum amittant, nec ille ipsis ulterius debeantur, simili facultate transferendi tam antiquas quam futuras pensiones, fructus et res hujusmodi omnibus prædictis, etiam non conjugatis, ex nunc penitus interdicta et suppressa. Sed nec ulli milites aut fratres, etiam simplices clerici vel presbyteri, prætextu hujusmodi dispensationum et gratiarum aliqua simplicia aut alia beneficia Ecclesiastica, sæcularia, aut aliorum Ordinum regularia, etiam nullum omnino onus ad servitium habentia, ut præstimoniam deinceps recipere et retinere possint.

« Ad hæc quoque revocamus et abolemus omnia et quæcumque privilegia, facultates, licentias et indulta magistris, et conventibus, aliisque personis, et locis militiarum, et hospitalium prædictorum, eorumque personis, etiam, ut prædictum est, concessa, confirmata, extensa et moderata, concedendi expectativas, reservationes et alias gratias præventivas ad prioratus, præceptorias, hospitalia, et alia beneficia, et officia militiarum, et hospitalium prædictorum. Itemque uniendi et incorporandi perpetuo vel ad tempus, et suppressendi beneficia Ecclesiastica, cum cura et sine cura, sæcularia, et quorumvis Ordinum regularia, etiam de jure patronatus laicorum, ex fundatione et dotatione existentia; aut etiam nullum penitus servitium, aut ordinem annexum, seu aliud onus quæcumque habentia, etiam ruinosa et deserta, ac etiam sponte a patronis oblata vel donata, illorumque fructus, res et proprietates applicandi et appropriandi militiis, et hospitalibus supradictis, seu beneficia ipsa, in monasteria, prioratus, præceptorias, beneficia, hospitalia, et alia loca militiarum et hospitalium eorundem erigendi et instituendi, ac alias commutandi et reformandi.

« Ac etiam omnes et singulas expectativas, reservationes et alias gratias præventivas, speciales et generales, necnon uniones, annexiones et incorporaciones perpetuas et temporales, suppressiones, applicationes, appropriationes, et alias depositiones hujusmodi beneficiorum et fructuum, per magistros, conventus, et alios prædictos, hucusque factas et concessas, ac etiam dicta Apostolica auctoritate et ex certa scientia confirmatas, quæ plenarium nondum suum sortitæ effectum.

« Præterea omnes et quascumque licentias

et facultates testandi, et alias quomodocumque disponendi, etiam ad certam et quantumvis modicam summam et quantitatem, de rebus, fructibus et bonis immobilibus, mobilibus et semoventibus, ad magistros, priores, præceptores, milites, fratres, et personas militiarum et hospitalium prædictorum; ratione illorum necnon præceptoriarum, hospitalium et beneficiorum Ecclesiasticorum, etiam sæcularium, et aliorum Ordinum regularium, ac pensionum, et fructuum quorumcumque provenientes; necnon facta hucusque, non tamen effectum sortita, vigore licentiarum et facultatum prædictarum, testamenta et alias dispositiones hujusmodi, etiamsi per easdem licentias et facultates disponatur, quod dimidia vel alia pars rerum et bonorum prædictorum militiis, hospitalibus, domibus et locis, unde illa provenerint, aut aliis piis locis relinquuntur. Decernentes omnes et singulas reservationes, assignationes, translationes, uniones, annexiones, incorporaciones, suppressiones, applicationes, appropriationes, testamentata, donationes, et alias dispositiones quascumque, quas, prætextu privilegiorum, facultatum, dispensationum et indultorum prædictorum, sic revocatorum, ac contra presentium tenorem, per quoscumque, etiam dicta Apostolica auctoritate, fieri, vel factas persequi contigerit; tanquam subreptas et extortas, nullius prorsus roboris et momenti esse; nec per eas jus, titulum etiam coloratum cuiquam acquiri, nec quemquam, quocumque tempore, quavisque causa restitutionem in integrum, reductionem ad terminos juris, aut quodvis aliud gratiæ remedium impetrare, aut etiam ab alio, vel aliis impetratis, aut motu simili concessis uti, etc. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo piscatoris, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, quinto id. Septembris, Pontificatus nostri anno III.

44. Pius vetat ad Ordines promoveri nisi beneficiis instructos, ex quo fit ut plures Religiosorum familiæ sese reforment. — Huic eximie diligentie, quam Ecclesiasticorum bonorum habuit, quæ tanquam Christi patrimonium, ministrorum ejus ac pauperum stipem rite consideravit, egregium quoque Pius conjunxit studium, ut qui Deo dicati ex altari vivere debebant, juxta Apostolicum monitum, se vere Dei ministros, ac mysteriorum Dei dignos dispensatores exhiberent. Quapropter, et hoc anno, tert. kalend. Septembris renovatam ab eo reperimus¹, contra quoscumque clericos, tam seculares quam regulares, nefandi criminis reos, quam in ipsis sui Pontificatus primordiis ediderat legem: et pridie id. Octobris, sacri Ordinis honori ac dignitati consulto prospici-

¹ Extat in Bull. const. 72

ciens, alteram sanxit¹, qua Tridentini Concilii decretum, de clericorum sæcularium ad sacros Ordines promotione (ut anno præterito innuimus), ad clericos quoque regulares sive sæculares, religiosorum more, in commune viventes, ampliavit pariter ac extendit; cujus rei rationem his verbis attulit:

15. « Sane, cum non deceat, divino ministerio adscriptos, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, a sacro Tridentino Concilio inter alia decretum fuit, ne quis deinceps clericus sæcularis, quamvis alias moribus, scientia et ætate esset idoneus, ad sacros Ordines promoveretur, nisi prius legitime constaret, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficeret, pacifice possidere, vel alias ordinari non posset, nisi, juxta decreti ab ipso Concilio desuper editi formam et tenorem.

« Cum autem nulla in hujusmodi decreto religiosorum clericorum mentio facta fuerit, ac propterea nonnulli, uli moleste accepimus, certorum Ordinum religiosi, seu canonici, vel clerici intra claustra monasteriorum, seu domorum, more regularium in communi viventes, qui, nunquam, seu nonnisi ad certum tempus professionem emittunt, et ex claustro exire vel dimitti, ad sæculum redire libere et licite possunt, religionis prætextu titulo sufficientis beneficii, nec juxta dicti decreti tenorem, ad sacros Ordines se promovendi prætendunt, et a nonnullis episcopis passim promoveantur; atque inde plerumque illud inconvenientis eveniat, ut sic promoti, et e claustro exeuntes, et per sæculum vagantes, vel mendicare vel sordidum quæstum exercere, non sine ipsorum dedecore, ac Ordinis vilipendio, et quamplurimorum Christi fidelium scandalo cogantur.

« Nos igitur, qui singulorum Dei ministrorum honorem et decus, quantum in nobis est, sinceris exoptamus effectibus, motu proprio, et ex certa nostra scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura sanctione, decretum prædictum de clericis sæcularibus loquens, ad omnes et singulos, etiam cujuscumque Ordinis clericos religiosos, sive sæculares, more religiosorum viventes in communi, non professos, harum serie extendimus et ampliamus; ac religiosi et aliis prædictis non professis, ut ad sacros Ordines promoveri, necnon omnibus, et singulis venerabilibus fratribus nostris, patriarchis, archiepiscopis et episcopis gratiam et communionem Sedis Apostolicæ habentibus, ut Ordines ipsos hujusmodi religiosi personis impendere, nisi observata forma dicti decreti, nos, virtute sanctæ obedientiæ, et sub indignationis nostræ pœna, interdiciamus et prohibemus, et contrafacientes

per annum a præstatione talium Ordinum ipso jure suspendimus ».

Sic ille, qui, ut hanc legem firmiter statueret, paulo post, nempe quint. decimo kal. Decembris hujusmodi anni, Apostolicum aliud decretum confecit¹, quo districte præcepit, ut omnes et singuli priores, præpositi, aliique præsidentes generales, provinciales, et conventuales, necnon canonici, et Fratres S. Georgii in Alga Venetiarum, ac Heremitarum B. Hieronymi, alias B. Petri Pisarum, et omnium ac quarumcumque aliarum congregationum ac Ecclesiarum, domorum et conventuum in communi, et sub obedientia voluntaria, et extra votum solemne religionis viventes; quorum habitus a sæcularibus presbyteris fuisse distinctus; qui religionem amplecti, et professionem regularem solemnem emittere voluissent; id in suis quisque conventibus et domibus, intra viginti quatuor horarum spatium, post Apostolicas litteras ei significatas, palam et sponte deliberare ac declarare voluit. Hinc convocato quamprimum per singulas hujusmodi congregationes, generali vel alio supremo, juxta cujusque morem, capitulo, ibique electa una sub qua degeret regula ex approbatis, in quam major pars vocum ipsius congregationis consensisset; trium votorum substantialium professionem regularem solemnem intra mensem emitteret, et juxta eam regulam, tam ipsi quam illam congregationem deinceps ingressuri, atque professionem emissuri, perpetuum deferrent Altissimo famulatum.

Qui vero, excursu jam anni spatio, in ipsa congregatione morati, intra prædictum tempus profiteri refugissent; detracto religionis habitu, ac redditus, etiam in vinculis, si opus fuisset, receptorum et administratorum omnium rationibus, ejici, nec deinceps in ullis ejusdem congregationis domibus amplius conversari permitti districte imperavit. Et si forte aliqui in eo quo tunc statu erant contra suum hoc mandatum persistere contendissent, singulos eos omni dignitate, officio, administratione et beneficio privavit, et ad futura percipienda perpetuo indignos decrevit; illosque excommunicationis quoque sententia eo ipso incurrenda percussos edixit.

16. His Pii decretis plurimæ, quæ extabant, hujusmodi congregationes, et solemne religionis votum emittentes, et ex approbatis eam, quam potissimum profiterentur, regulam deligentes, humiliter obtemperarunt; quas inter recensetur ea S. Majoli, alias de Somascha, quam Hieronymus Emilianus, patribus Venetus olim fundaverat, quæque solemnibus se Religionis votis constrinxit, et S. Augustini regulæ se subjecit; cujusque obedientiam præclaris en-

¹ Extat in Bull. Const. 75.

¹ Ibid. ut supra.

comiis Pontifex commendavit, ut patet ex Apostolicis ipsiusmet Litteris, paulo post, nempe die vi Decembris hujus anni datis, quæ in Bullario ¹ habes. At cum Societate Jesu plus negotii fuit, nec tam facile res composita, ut habes ex ipso Sacchino ², ejusdem Ordinis Historiographo, qui post relatum de promovendis ad sacros Ordines quæstionem, de qua plura anno præterito, sic tandem a S. Francisco Borgia rem transactam refert: « Ut levissimum incommodo, paulo accuratiore delectu fierent sacerdotes ii, qui trium saltem votorum professione ea causa obstringerentur. Ex quibus deinde legerentur idonei, suo tempore vota quatuor e Societatis legibus editur. ». Ita ille, et quidem quoad primam Pii Constitutionem; nam quoad secundum quod memoravimus decretum ³: « Hæc autem dum fiunt (subjungit) et sua sponte hominibus ad fingendos amplificandosque sermones propensis, et Diabolo instigante, ut imminuta Societatis existimatione, laborum ejus quasi aciem hebetaret; mirum est rumores quam circum multi et varii et quanto cum strepitu volitarent. Ili Pontificem reformandos suscepisse Jesuitas aiebant. Ili proprium genus vestium et cucullam velle eis injicere; quidam Collegia redditibus spoliare; alii totum velle Ordinem extinguere, in eumque conscriptos in veterum quempiam, ac nominatim Augustinianorum conscribere. Alii alia pro moribus, utque cuique, vel exulceratis aliunde animus, vel fingendi libido, ac levitas suadebat, etc. ». Sic Sacchinus. Verum, licet plura inania, falsa tamen non fuisse hæc omnia inconsulti vulgi ratiocinia, ipsum Pii Decretum ostendit, quo hujusmodi religiosorum cætus solemnia vota emittere, et alieni ex approbatis regulis nomen dare, ut diximus, nec ipsa quidem Societate excepta, præceperat. At quidquid fuerit, certum est, sic falsa veris inconsultam plebem immiscendo, commodi plurimum Societati attulisse; nam rogato Borgia a Francisco cardinali Paceco re ad Pontificem delata, is, ut pio ducebatur consilio, quæque agitabat, non ad perniciem, sed ad hujus Ordinis majorem perfectionem pertinere censebat, ubi hæc audivit se ab insectanda Societate alienum penitus declaravit: utque malo in eam animo non esse coram ostenderet, ab ea expetere de cætero illa destitit, ad quæ Congregationes cæteras compulsi.

17. Inter hæc autem magnum plane etiam videri potuit, Clericos Regulares, ut Silos ⁴ narat, obtinere a Pio potuisse, privilegiorum a Paulo Tertio, Julio Tertio et Paulo Quarto ipsis concessorum, confirmationem. Sed cum pecu-

liari quadam benevolentia ejusdem Pauli Quarti posteritatem Pontifex prosequeretur, mirum prorsus non est, eos hæc impetrasse. At publicis siquidem supplicationibus sodalitatem hanc Pius exemit; nam licet ea prærogativa frueretur ante Tridentini Concilii decreta, iis tamen vulgatis (quod omnibus, præterquam perpetuæ clausuræ mancipalis, id privilegium abrogatum esset), cum aliis Ordinibus supplicantium agmina implere cæperat, donec, confirmatis (inquam) hoc anno privilegiis, pristinae immunitati restitutus hic Ordo fuit; valuitque exemplum, impetrata hæc ipsa, ab aliis clericorum sodalitatibus exemptione. Dominicane vero suæ familie fratres, cæteros mendicantes cœnobitas omnes, etiam antiquiores, justis de causis animum suum moventibus, ubique locorum antere decrevit.

18. *Novum Breviarium jussu Pontificis editum.* — Præclarum autem maximeque proficuum hominibus Deo dicatis, et Ecclesiae toti Pontifex contulit beneficium, cum, ex decreto sacri Tridentini Concilii, Breviarium Romanum, ad horas canonicas psallendas restituit ¹ ac approbavit. Divini hujus Officii formula, pie olim ac sapienter a Summis Pontificibus, sed præsertim a Gelasio et Gregorio primis constituta, a Gregorio vero Septimo reformata, temporis diuturnitate ab antiqua institutione deflexerat. Alii siquidem, veteris Breviarii constitutionem, multis locis mutilatam, alii incertis et advenis quibusdam commutatam, turpiter deformaverant; plurimi, specie officii commodioris affecti, ad brevitetatem novi ejusdam Breviarii a Francisco Quinonio tit. S. Crucis in Hierusalem presbyt. cardinali compositi, confugerant. Quia etiam in provinciis paulatim irrepserat prava illa consuetudo, ut episcopi in Ecclesiis, quæ ab initio communiter cum exteris, veteri Romano more Horas Canonicas dicere ac psallere consuevissent, privatam sibi suisque Breviarium conficerent. Ex quibus omnibus processerat, vel tam multis in locis divini cultus perturbatio, vel summa in clero cæremoniarum ignorantia, et quod innumeris Ecclesiarum ministri, proprio munere indecore, non sine magna piorum offensione, fungerentur.

Gravissime hanc publice orandi varietatem tulerat Paulus papa Quartus, eamque emendare decreverat; ideoque provisione adhibita, ne ulla in posterum novi Breviarii licentia permitteretur, Canonicas Horas ad pristinum institutum redigere studuerat. Al, cum, re infecta, ipse evivis sublatus esset, et a Pio Quarto Tridentinum Concilium, antea pluries intermissum, revocatum fuisset; ad ejusdem Concilii Patres res ipsa delata est, qui, cum eam doctis quibusdam ac piis hominibus conficiendam de-

¹ Extat in Bullario Const. 78. — ² Sacchin. Histor. Societ. pag. 3. lib. 3. — ³ Ibid. ut supra. — ⁴ Silos Histor. Cleric. Regul. to. 1. lib. 12. pag. 488.

⁴ Extat. in Bull. Const. 71.

mandassent, priusquam absolverent, Concilio finis impositus est; quapropter, ex ipsius Decreto, denuo ipsa ad iudicium et auctoritatem Romani Pontificis defertur, qui, adscitis Romam iis ipsis, quos Patres elegerant, nonnullisque aliis in Urbe idoneis adiuuctis viris, rem perficiendam curaverat. Sed cum huic cogitationi Pius Quartus intenderet, et ipse e vivis eripitur, opere rursus infecto.

Ad Apostolatus igitur apicem evectus Pius Quintus, quod prædecessores duo Pontifices complere minime potuerant, hoc anno tandem perfecit; cum enim ab iis, qui negotio præpositi fuerant, vel a se, vel a superioribus Pontificibus, non semel cognovisset ac intellexisset, in novo conficiendo Breviario, ab antiquis Breviariis præcipuarum Urbis Ecclesiarum ac Vaticanæ Bibliothecæ ratione non discessisse, gravesque præterea aliquot eo in genere scriptores secutos esse; ac denique, remotis iis, quæ aliena et incerta visa essent, de propria summa veteris Divini Officii nihil omisisse; Apostolicis Litteris sept. id. Julii datis ¹, opus probavit, ac Romæ imprimi, impressumque vulgari iussit: iisdemque litteris tam recens cardinalis Quiñonii, quam alia quæ irrepserant Breviaria, penitus abstulit ac abrogavit; illis tantum exceptis, quæ ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata, vel saltem consuetudine ducentorum annorum spatio continuata, fuis- sent recepta.

19. *Præcipuo honore coli Pius præcipit Eucharistiam, dum ad infirmos defertur.* — Paulo antequam, quæ ad sacrificium laudis, quod Deo persolvitur, spectant, ista componeret, ut ex Actis Consistorialibus cardinalis Farnesii habemus, summo studio omnimode debitam erga Sanctissimam Eucharistiam venerationem ac cultum restituere curaverat. In iis siquidem hæc sub die v Julii hujus anni habentur: « Sanctissimus Dominus noster dixit, magno animi sui dolore intellexisse, quod Sanctissimo Sacramento Corporis Christi, quando per Urbem ad infirmos defertur, non habeatur reverentia et respectus, qui tali tantoque Sacramento debetur: ideo monuit reverendissimos, ut quando evenerit, ut sanctissimo Corpori Christi occurrant, sive equestres sive in curribus fuerint, descendant, et sacratissimum Corpus Christi associet usque ad domum infirmi, seu si redit, associet usque ad Ecclesiam; ut suo exemplo inferiores moveantur ad debitum honorem et reverentiam tali tantoque Sacramento præstandos: et dedit exemplum, de serenissimo Philippo Hispaniarum rege Catholico, et eum admodum laudavit, qui id diligenter servat ». Sic ibi.

20. *Bullam, quæ dicitur: In Cæna Domini,*

ab omnibus observari mandat. — Sed quod præ aliis Pius hoc anno sanxit, sacro Ordini sacrisque rebus proficuum, Constitutio illa extitit, quæ Bulla in Cæna Domini nuncupatur, quod ex more die Cænae Domini Romæ publicari consueverit; ipsam siquidem, per universum Christianum orbem publicari ab archiepiscopis, episcopis, parochis, aliisque hujusmodi, quibus animarum cura commissa fuisset, districte præcepit, ut a cunctis Christi fidelibus omnino servaretur. At, cum in ea inter cætera caveretur, ut Ecclesiæ ministri ubique a tributis, vectigalibus, aliisque oneribus, quæ subditi regibus et principibus pendebant, liberi essent, pœna excommunicationis iis proposita, in quorum ditionibus illa exigenterent, cum absolutionis prohibitione; id grave principibus visum est, quod ipsorum auctoritatem et censum laud parum imminuere agnosceretur. In Gallia nihilominus, pro vetusta nationis pietate, et promulgatam eam legem, et in usum ex parte inductam fuisse, scribit Gabutius; quod jampridem ex antiquissima consuetudine, ipsam religiose recepisset ac eam observare consuevisset; ut, præ aliis dignoscitur ex ea Pauli Tertii, egregiis dilucidationibus D. P. Rebuffi de Monte Pessulano Jur. Doct., ac Comitum in Parisiensi Universitate jura Pontificia publice profitentis ac in supremo senatu advocati illustrata, ac cum privilegio regis edita vigesima die Martii anni mxxx expedito, ipsique Pontifici Max. dicata; ac demum a Vidovæo anno mxxxvii typis impressa. Verum Hispani ac Veneti, non modo non ferendam, sed nec quidem illam vulgandam esse censuere: quapropter hi, per Paulum Teupolum, suum apud Pontificem legatum, propria jura atque instituta acriter tueri aggressi sunt. Respondit Pius, quæ decreverat, ad compescendam quorundam regulorum licentiam statuuisse, quod hi novis vectigalium oneribus clerum opprimere niterentur. Apparet autem, ex quadam ejusdem Teupoli relatione, quæ in amplissima Chisiana Bibliotheca servatur ¹, quod hic in Pio se observasse scripserit, firmissimum quidem propositum quoquo modo Ecclesiastica jura tuendi; ipsum vero ab alieno jure invadendo, animo prorsus alienum semper deprehendisse; quo Thuanus os obstruat, qui a Pontifice tentatum præfata Constitutione dicit, ut Ordinis Sacri immunitates, vel cum principum detrimento, ampliaret.

Verum gravioribus negotiis (ut Mauroce- nus ² narrat) deinde Pontifex impeditus, alio avocatur; et paulatim ardore animi restincto, ea, qua primum rem aggressus fuerat, vehementia resedit, nihilque de principum jure immutatum est; adduntque Thuanus, Hadria-

¹ Extat. in Bull. Const. 65.

¹ Ex Bibli. Chisian. relat. Teupo. p. 150. — ² Maurocen. Histor. Venet. pag. 344.

nus, et alii, non modo in Pii animo pristinum cum fervorem refriguisset, sed qui sacrum Ordinem levare instituerat, eundem, ex bellorum ob religionem occasione, novis ad antiqua cumulatis oneribus, gravari permisisset. Verum id nihil ad rem Constitutionis, qua nimirum laici sacro Ordini pedagia imponere propria auctoritate prohibentur; non vero Pontifici interdicitur, ut in laicorum beneficium, publica praesertim ex causa, ea imponi permittat ac jubeat.

21. Et id quidem quoad Venetos; nam quoad Hispanos, ex praefata Constitutionis publicatione, nondum obducta quae praeterito anno recensuimus, in Neapolitano praecipue regno, controversiarum vulnera reserata sunt; et rursus nova sibi inflictata indoluerunt, ut narrat his verbis Gabutius: « Quod quidem, dum sedulo curaretur, (publicatio nempe praefata Bullae), ecce tibi Ludovicus Requesensis, Major Castellae Praeceptor, in aula Pontificia regis Catholici legatus, ejus nomine, cum Pio exposulare cepit, primum, de inusitata ipsius Constitutionis in regnis ejus divulgatione, praesertim vero Neapoli, absque regio exequendi concessu; dein, quod omnibus sacras confessiones excipientibus Pius imperavisset, ne absolverent eos qui Constitutionem ipsam violassent; in ea quoque adjecta fuisse multa, quae, cum neque in antiquis, neque vero in iis, quas vel Julius III, vel Paulus, vel Pius, uterque eo nomine IV, ediderant, continerentur, admodum gravia viderentur esse; sententia summam adhibitis, ac verbis generatim significantibus, quae populis confusionem afferrent; praesertim, ob decreta sub anathematis poena in eos qui nova imponerent vestigalia; ex quo publicae quietis exoriretur perturbatio, nonnullis civitatibus ea pensitare recusantibus. Caeterum, quod ad jurisdictionem attinet, regem habere vetusta et Apostolica decreta, legitimaque jura, titulos, et possessionem antiquissimam atque immemorabilem. Pontificiae auctoritatis usum temperandum esse ad rationem justitiae, quae nemini quod suum sit tollit immerito. Neque vero minus regem dolere, Sancti Lazari Militiam, se inscio, in regna sua inductam fuisse; aliaque praeterea multa edicta publicata, ac praesertim illud super iniquis Ecclesiasticorum bonorum alienationibus editum.

« Illis autem querelis Pontifex respondendum putavit, non quidem, quod de rebus a se gestis rationem laicis principibus reddere se oportere arbitraretur, sed ut ostenderet, quae regi ea de re fuerant relata, a nonnullis proficisci, qui propriis ducti commodis, ut assolet, corruptelas suas lutari conabantur, quarum ipse quamplurimas, certa schedula descriptas, misit ad regem. Haec se cavere oportere, nullo

alio consilio, nisi, ut rem Christianam, pro munere sibi divinitus commisso, tueretur, animarumque salutis hujusmodi tollendis erroribus, Catholicae disciplinae ac pietatis in populos inducenda, consuleret. Caeterum quo longius latiusque, quam aliorum principum patentes ditones ipsius regis, eo magis quoque illum, pro regnorum suorum incolunitate subijci debere Deo, ejusque in terris vicario, Romano Pontifici. Constitutionem vero editam in Dei Caeae Domini, jam antiquo more receptam, licet in Urbe tantum a nonnullis Pontificibus evulgatam, tamen ubique terrarum, veluti alias etiam generales Constitutiones vigere; atque olim, seu principes viros, seu populos, qui violatae Constitutionis hujus quoquomodo sese reos agnovissent, delicti veniam a Romano Pontifice simpliciter postulasse. In omnibus porro vel expiationum vel Jubilaeorum generalium Litteris, in universas Christiani orbis partes dimissis, et item in iis, quae Confessionalia vocant, ejusdem Constitutionis mentionem jamdiu perpetuo factam reperiri. In Diplomate praeterea de facultate, quam in Hispania Cruciatam appellant, petentibus illis regibus, aliquando concessa, praecipue nominatam esse hujusmodi Constitutionem; quippe quae mortales omnes, quotquot Christiano nomine censentur, sua obligatione devinciat, neque generalibus verbis vim ejus comprehendi consuevisse; quod et a Paulo II et a Sixto IV declaratum esset. Ut igitur cautius rebus consuleretur, in veteri ipsius Constitutionis editione consuetudinem increbuisse, patriarchis, archiepiscopis et episcopis praecipienda, ut in suis quisque Ecclesiis eam evulgarent. Quod cum hoc tempore intellegeret ipse minime praestari, ac propterea in ea re ipsi Constitutioni derogari, ob idque anathematis laqueis jacere homines irretitos, voluisse se animarum exitium avertere, quas praesertim haud excusaret ignorantia. Porro sacerdotes admonere muneris sui, ad verum legitimumque Pontificem pertinere: ut ii lepram a lepra discernere, ac de peccatis, praesertim quorum est absolutio Summo reservata Pontifici, recte judicare queant; quod, si quid est privilegii quod clam sit ipsis sacerdotibus, eosdem de his edoceri, principum ministris grave esse non debere. Verba vero, vel nuper adjuncta, vel in antiquis Litteris inusitata, haud debere dura cuiquam videri. Siquidem id jam in more positum esset, nonnulla videlicet in iis vel admere vel adjicere pro varietate temporum ac corruptelarum qualitate. Quod autem regio uteretur exequendi concessu, neque id, neque aliam ullam laicorum facultatem vim aliquam habere in Ecclesiasticis Decretis exequendis; neque sacris habendis concionibus, quarum facultatem ab laicis petere intolerabile prorsus esset. Laicis enim etiam religiosis, quod docent

¹ Vit. Pii V. lib. 3, c. 2.

sacri Canones, super Ecclesiis, personis et rebus Ecclesiasticis nullam attributam esse facultatem, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. Quæ res patent, utpote sacrosanctis legibus ac Conciliis jam satis explicatæ et constitutæ. Illud vero de tributis atque portoriis adjectum esse, quoniam in eo sæpius graviter peccaretur, nimirum, cum, vel a non habentibus potestatem, vel eis qui per privilegia sunt immunes, quales sunt Ecclesiastici omnes, vel nullo jure sibi subjectis, vel denique contra sanctas leges imperantur. Itaque principibus legitima potestate præditis non prohiberi, quin ex sacris legibus, subjectis sibi populis æqua ac tolerabilia imponere tributa possint. Ac, licet in Litteris Pontificiis, absque alia declaratione, ne nova imponantur onera caveatur, ejusmodi tamen declarationem haudquaquam esse necessariam; utpote quæ nunquam adhibita fuerit, ubi de iis quæ pedagia vocant tributis agitur, quæ res a sacris legibus jam satis explicata videtur. Quocirca, non popularem excire tumultum, qui potius ex immoderatis oneribus a principibus impositis exciri solet; sed rationem ac viam tradere, qua possint tranquillitatis ac religionis in officio homines contineri, et quos oporteret, commonere muneris sui, consilium sibi fuisse. De Apostolicis vero privilegiis regibus concessis, nihil sibi compertum esse, neque ex auctoritate sua injusti quicquam esse committendum. Videre tamen se hujusmodi privilegia male passim usurpari, indeque multa fieri contra jura sive humana, sive divina, et quicumque niteretur vel etiam uti soleret privilegiis, eum haud dubie debere illa proferre et aperire. Cum præsertim Pontifex Summus, unus et legitimus sit privilegiorum omnium ab aliis Pontificibus concessorum, et interpret et iudex: qui ubicumque errata et offensiones compererit, pro suo munere debeat, absque alia quæstione, labentibus rebus providere. Verumtamen velle se tantum, ut hisce rebus boni præficerentur administri, per quos omnia bene gererentur, ac de omnibus certior fieret ipse rex, isque intelligeret criminum ad divinum retinendum cultum judicandorum jus in auctoritate esse Romani Pontificis, Jesu Christi vicarii, non in arbitrio laicorum principum, quibus nequaquam a Dei Filio dictum esset: *Pasce oves meas*: sed ipsos, tanquam pascentes agnos, permittere debere, se a B. Petri successore duci et gubernari, nisi velint, se extra Christi gregem abduci atque abigi, per speciemque privilegiorum Ecclesiasticam subvertere hierarchiam. Cæterum, (quando illud a pietate regis egregie Catholici longe abesset) ipsomet rege procurante sperare se rebus bene consultum iri. De S. Lazari Militia, Apostolici muneris esse ejusmodi Militiam instituere vel extinguere, prout Pontificibus opportunum esse

videretur, quas etiam illius regnis jam ipse concesserat alibi que sustulerat; neque vero posse regem, uti Catholicum, contra quicumque decernere. Eam vero Militiam ab se propterea restitutam fuisse, quod illi milites Sedi Apostolicæ, ubi et quoties vocati essent, contra quoscumque Romanæ Ecclesiæ hostes vel rebelles armati inservire, atque opem ferre suis impensis, ex officio suo decretoque Apostolico deberent ».

22. Ista apud Gabutium, qui mox addit, regem vere Catholicum, pro singulari sua pietate, administris suis in Italiæ ditionibus id sibi esse consilii per litteras declarasse, ne quid in sanctas leges committeretur: quinimo, si quid commissum esset, corrigeretur: Neapolique internuntio Pontificio, et loci, et omnibus præcedendi datam prærogativam, eique perinde atque Hispaniensis oratori debitos honores habendos esse. Sed quoniam regis jussa ministris ejus minime facientibus, id impune prætermitti observavit Pontifex, sacri interdicti legibus in eos agere constituisse narrat; ac asserit, quod fecisset, nisi ab amplissimis viris, ipsius regis studiosis, ea de sententia deductus fuisset, plerisque suadentibus, mitissima quæque remedia tentanda prius esse, quam tam acre medicamentum adhiberetur; sic enim facilius, se quod cupiebat, consecuturum, illud vero severitatis consilium demissis, suadente præsertim Hieronymo cardinali de Corregio, refert Catena. At Campana accidisse narrat, non hoc anno, sed sequenti, et quidem probabile est, hoc anno quo edita Constitutio est, de ipsa quidem quæstionem agitari cœptam, ac cætera subsecutis annis evenisse. At gravissimum contra Turcas fœderis negotium, mox luctuosus ipsius Pontificis obitus, ejusdem consilia omnia anteverit. Justitia autem Dei (forte ob hunc sanctarum legum contemptum, revelata quodammodo visa est, in regno Neapolitano, in quo (ut Campana narrat) Augusto mense, tam atrox sævaque tempestas exorta est, tantique ponderis et magnitudinis grando cecidit, ut agros non modo, sed domos quoque ac arbores vastaverit ac confregerit, hominibus pluribus et gregibus interfectis. Indecorus nihilominus ille mos, quod quorundam dignitatis ac conditionis virorum cadavera in ligneis capsulis serico ornatis passim eminenti loco, per Templorum parietes suspenderentur, Pontifice jubente, in ipso regno penitus sublatus est¹; cunctisque in Ecclesiis ac templis Neapolitanis hujusmodi monumentis depositis, cadavera humi sunt condita.

23. *Consultit Pius locis et personis Deo dicatis, declarat quo sensu intelligenda sint impedimenta publicæ honestatis, et in ordinem redigi curat monumenta ad Romanam Ecclesiam perti-*

¹ Mombrit. Res. Histor. Neapol. par. 3. lib. 20. pag. 26.

nenia. — Communi vero sollicitudini, qua bonis ac personis Deo dicatis consulere Pius studuit, peculiarem etiam piorum locorum ac personarum curam adjunxit: ut apparet ex Constitutione ¹, de legatis ad Ecclesiam beate Mariæ Lauretanæ pertinentibus, decima die Martii hujus anni edita, quæ in Bullario extat; et ex jurisdictione ac facultate tradita ², quarto idus Februarii hujusmet anni, S. R. E. cardinali prorectori monasterii S. Catherinæ de Rosa nuncupati, in quo pauperes puellæ, quæ in periculo pudicitia subvertendæ essent, recipiebantur. Uti vero puellarum pudicitia magis cavet, sic dubitationes circa sponsalia vel matrimonia super impedimento publicæ honestatis, de quo decretum habebatur Tridentini Concilii *Sess. 24, num. 5*, declarandas censuit, kalend. Julii, data Constitutione altera ³, qua edixit decretum Concilii hujusmodi omnino intelligendum esse, et procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio contracto; sed in eo, in omnibus casibus et gradibus, quibus de jure velere ante prædictum Concilii decretum introductum fuerat impedimentum, durare adhuc statuit ac decrevit. Quo ferme tempore, ut Synagogæ suæ Sathanæ similem illi Pii sollicitudinem præ se ferret Beza, Genevæ, librum edidit, de repudiis et divortiiis, ut Rescius ⁴ narrat his verbis: « Extat a Philippo examen editum eorum, qui audiuntur ante ritum publicæ ordinationis, qua commendatur eis ministerium Evangelii Wilteimb. MCLXVII. In quo etiam, ut ait, de impedimentis, de lineis et gradibus Matrimonii, et de appellationibus caput singulare admisit; quæ tamen omnia illi ipsi, et irriserant initio nascentis hujus Evangelii, tanquam gravia conscientiarum onera, et libertati Evangelicæ contraria, et e suis Synagogis exposerant. Sed veritas, olei habet rationem et naturam, *supernatare*. Similem librum edidit Genevæ Beza MCLXVIII de repudiis et divortiiis ». Sic ille.

24. Paterna autem misericordia, cum Pius pauperes prosequeretur, carcerum in Urbe visitatoribus amplam admodum jurisdictionem, die XIX Julii elargitus est ⁵, rationemque præscripsit, qua ære alieno gravatos, liberos abire permittere possent. Et, e contrario considerans impunitatem scelorum incitamentum esse malorum, iisdem districte prohibuit, ne homicidii aut aliorum capitalium delictorum reos, nisi in casibus a jure expressis, e carceribus liberarent, nec extra carceres audirent, aut levius punirent. In levioribus autem delictis reos confessos aut convictos, non relaxarent neque liberarent, nisi prius sententiæ aut condemnationi, quam eis infligendam et imponendam duxissent, paruisent, et executioni demandassent.

Contra notarios etiam, et alios, reorum responsiones depositionesque testium quomodolibet propalantes, vel eis, aut testibus in secretis carceribus delentis, aut aliis pro eis nuntium deferentibus, gravissima edixit, Constitutione altera ¹, die decima tertia Julii vulgata; ac quarto kalend. Septembris, ut de scripturis, litteris, instrumentis, monumentis omnibus ad Romanam Ecclesiam pertinentibus certior deinceps ratio haberetur, et quæ neglecta jacebant in integrum restituerentur, ac transportata vel ablata aut intersersa revocarentur; jussit eorum omnium, quæ in Palatio et Apostolico Vestiario, Bibliotheca etiam Vaticana, et Arce S. Angeli asservabantur ²; quæque in archivis, chartophylaciis, armariis, Ecclesiis, monasteriis, aliisque publicis vel privatis Urbis et cæterarum provinciarum et civitatum Apostolicæ ditionis locis reperiebantur, breviarium sive compendium cum indice idoneo confici, ac dispersa repeli, ut brevuario eidem adscriberentur; hujusmodi demandata cura Carolo, episcopo Montisfascensis, et Honuphrio Camajano Arelino, cameræ Apostolicæ præsentibus.

25. *Novos creat cardinales, inter quos eminent Suherius et Caroffa.* — Spirituali ac civili Ecclesiæ bono ita intendit Pontifex, novos sibi adscire etiam operarios, qui una secum in vinea Domini excolenda laborarent, optimum censuit: quapropter non. kal. Aprilis hujus anni in sacrum cardinalium collegium presbyteros duos tolidemque diaconos cooptavit ³; nempe Didacum Spinosam Hispanum, Hispanicæ Inquisitionis generalem inquisitorem ac episcopum Gerguntinum; Hieronymum Socherum, seu de Souchier, Gallum, Claravallensem abbatem, ex Ordine Cisterciensi, et hi quidem presbyteri fuere. Diaconos vero Joannem Paulum ab Ecclesia seu de Ecclesia, Terdonensem, quem supra memoravimus: et Antonium Carafam Neapolitanum creavit. Hanc autem Pii promotionem præstantissimorum ipsorum electorum merita commendarunt; nam Spinosæ, cui Pontifex titulum S. Stephani in Cælio Monte attribuit, in Peruano regno Inquisitionis tribunal ad repellendos errores primus erexit, et Marchionatus titulum, pro suis, a Philippo rege oblatum, Ecclesiastica vere modestia respuit, et palatium demum in patria, eodem etiam suadente rege, evehere noluit, memorabile illud edicens: « In Ecclesiasticum principem opus marmoratum non cadere, nisi ad Dei cultum ». Cumque rex instaret, hac tantum conditione paruit, ut regis insignia ædificio apponerentur, tanquam jussu regis tantum extracto. Socherus vero in Tridentino Concilio, summo studio Ecclesiæ causam et Romanæ Ecclesiæ dignitatem ita defendit,

¹ Bul. Magn. Const. 56. — ² Ibid. Const. 59. — ³ Ibid. Const. 62. — ⁴ Resc. in Atheis. de Sac. Ord. pag. 73. — ⁵ Ibid. Constit. 63.

¹ Ibid. Const. 67. — ² Ibid. Constit. 70. — ³ Ex Ciaccon. de Pio V, tom. 3. pag. 431.

ut cardinalium Hosii et Borromæi præconia meritis fuerit. In colloquio Poissiaci adversus Bezam strenue certaverat; et in regni comitiis, tum Parisiensibus, tum Aurelianensibus res novas circa religionis statum ac dogmata molientibus, ac potissimum, ne Calicis usus laicis concederetur, se fortiter opposuerat. Respuit ille, religiosa humilitate oblatam a Pio dignitatem: at eam subire coegit Pontifex, scripta ad ipsum hæc Epistola:

« Dilecto filio Hieronymo, abbati Clarævallis, electo S. R. E. cardinali ¹.

« Dilecte fili etc. Leclis litteris tuis et cognitissimis rationibus, quas attulisti, cur tibi commodius esse existimes manere in ordine tuo, quam suscipere munus, ad quod te superioribus diebus de consensu fratrum nostrorum promovimus, modestiam quidem et probitatem tuam amavimus, sed excusationem non esse accipiendam duximus. Nam, quod existimas, promotionem hanc impedimento tibi fore ad agendam curam monachorum tuo regimini commissorum, et monasteria, quæ abs te visitari, ut a Clarævallis abbate debent, visitanda, ea res sese aliter habitura est quam censes. Cardinalatus enim dignitas adjumento potius erit ad officium illis tuum majore cum auctoritate præstandum, et ea, quæ monasteriorum necessitas exposcet, agenda. De iis vero, quæ in eo esse debeant, qui ad hoc munus assumatur, quæ tibi deesse describis; laudamus quidem istam humilitatem tuam, sed non est tuum de te, quam sis ei muneris idoneus, judicare. Nostro acquiescere iudicio debes, et ita cogitare, per ministerium nostrum te a Deo vocatum esse; quandoquidem te nec opinantem, in curam et sollicitudinis nostræ partem, non sine diligenti deliberatione assumpsimus, ad servendum nobiscum Dei honori, et sanctam ejus Ecclesiam, tam gravi et turbulento tempore regendam, qui potens est, et ea, quæ dedit tibi dona augere, et quæ in te requiri forsitan possint, addere: pro cuius obsequio et honore nullos debes vel animæ vel corporis labores subterfugere; sed ejus vocationi, confisus ipsius gratiæ et auxilio, humiliter obedire. Debes vero etiam, sicut charitatis officium postulat, vicem nostram dolere, qui hæc ætate nostram nullo gravius sustinemus: ad quod ferendum, tua et similium ope indigemus. Accepto igitur, quod ad te misimus, hujus honoris insigni, omni excusatione omissa, constitutis prius, quambrevissimo tempore poteris, monasterii tui rebus, ad pileum rubrum, summum ejusdem dignitatis insigne, a nobis ipsis accipiendum, fac te ad nos, primo quoque tempore, conferas. Quod ut facias, in virtute S. obedientiæ tibi mandamus. Ad nos aulem, cum, Deo juvante, perveneris,

tum, non modo in universum de religione constituenda tecum communicabimus, sed de ea proprie in Cisterciensi Ordine, in quo penitus prope collapsa videtur, restituenda. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die octava Maii MDLXVIII, Pontificatus nostri anno tertio ».

26. De hac ipsa justissima vi Sucherio a Pio illata, agit Genebrardus in Chronico ¹; ipse vero Sucherius, ut idem tradit, non vivens tantum, sed etiam moriens, quæ erant Ordinis sui ac regularis ejusdem observantiæ curare non prætermisit; quapropter, Pio annuente, ad abbatiam quidem Cisterciensem Nicolaum Bucheratum, ad Clarævallensem autem Lupinum Myræum, ejusdem Ordinis religiosos, magnis virtutibus instructos, nominavit; ne illæ, nimirum, profanis, more Gallico, prostituerentur, et hos bolos e principum corvorumque aulicorum, frustra renitentium, faucibus fortiter eripuit. S. Matthæi in Merulana titulum mox Pius ei contulit; quantaque bonos omnes Sucherii hæc ad cardinalatum evectio lætitia affecerit, æstimare liceat, ex sequenti ad illum a magno illo Stanislao cardinali Hosio ² scripta Epistola:

« Longo jam tempore (inquit) non audiebantur, ex Christianissimo Galliarum regno, nisi tristissima quæque; nam et arma parcidialia contra regem ac dominum suum a subdilis, qui fidem illi suam jurejurando obstrinxerant, esse sumpta, et in longum bellum trahi, quod cito confectum iri sperabatur, et parum æquis ac honestis ad extremum piorum conditionibus pacem esse factam renuntiabatur, quæ non minorem animis multorum, quam ipsum bellum perturbationem attulit. Ecce autem, inter hæc tam tristitia, cumprimis lætus adventi nuntius, qui te, S. D. N. iudicio, quo nihil potest esse limatius, in senatorum totius orbis Christiani numerum relatum esse diceret. Quem autem non ornavit, prudentissimus uniuscujusque meritorum æstimator hic, quando te ornavit? Litteras ornavit sacras, præsertim virtutem, ornavit pietatem et sanctimoniam ornavit, quam, in te orando, spectasse solam, et aliis ostendere voluisse videtur, qua ratione viam ad summos honores munire sibi deberent. Sat scio, quæ est animi tui modestia, non in hac præsertim tanto rerum omnium perturbatione, nulla de re minus quam de hoc honore cogitabas. Verum tanto major est D. N. S., et tua laus, quod ille nihil aliud, in te orando, spectavit, præter multa præclara Dei munera, quibus affatim es ab illo cumulatus, et tu, sola virtute tua ambiente, tantum hunc honorem es consecutus, quem tibi gratularer, nisi scirem, plus ex eo laboris et molestiæ, quam voluptatis

¹ Apud Gabu. Epist. lib. 2. Epist. 7.

¹ Genebrardus in Chronico. lib. 4. sub anno 1569, pag. 756. —
² Epist. Hosii Epist. 102. pag. 218.

ad te pervenisse; nam quanto sublimiore loco positus es, tanto plus curarum et sollicitudinis accessit. Quamobrem Ecclesiæ potius gratulabor, quam ego cumprimis felicem judicarem, si multos tui similes haberet in orbis Christiani senatum cooptatos; in primis autem gratulor Christianissimo, quondam etiam florentissimo, regno vestro, quod, si unquam antea, nunc maxime talium virorum subsidiis, qualem esse te persuasum habemus, indigere videtur. Deum precor, ut, cum tibi, tum Ecclesiæ universæ, præsertim vero Christianissimo regno vestro, feliciter honorem hunc tuum evenire velit; in quo, si quid valebunt consilia tua, non dubito quin sint illius rationes multo meliori statu future. Quoniam vero, cum essemus Tridenti, summa fuit inter nos animorum conjunctio, cum essem unus ex his, qui tuas excellentes virtutes admirabantur; confido, non modo nihil decessurum de tua in me benevolentia, posteaquam auctus es et honestatus hac tanta dignitate, verum accessurum potius aliquid. Nec enim animum in me tuum, nisi de meo in te metiri possum, cum ejusdem Ordinis facti simus, eadem nos mutua benevolentia prosequi debemus, etc. Datum Helisbergæ VII Junii MDCXVIII ».

Et in gratulatoria altera ad Antonium Carafam¹, quem, ipso hoc tempore diaconum cardinale S. Eusebii Pium dixisse memoravimus, denuo et ipsum Clarevallensem summis laudibus attollit, et Antonium ipsum, et demum ceteros, quos Pontifex elegerat magnifice sic commendat: « Neque satis laudare possum (inquit) S. D. N. judicium, quem ad amplissimum totius orbis Christiani senatum, viros exiguis numero, sed quorum est vivida virtus, ascivisse video. Abbatem Clarevallensem familiariter novi, quo non puto, quod habeat Gallia, vel doctrina, vel omni genere virtutis virum excellentiorem; quamobrem, et ex te, et ex illo conjecturam capio, quales etiam sint reliqui duo, qui mihi, neque nomine, neque de facie noti haec fuerunt. Sed hoc mihi tamen certo persuadeo, quod Summus Pontifex noster, uniuscujusque meritorum prudentissimus aestimator, ex præcipuis totius orbis Christiani nationibus, juxta S. Consilii Tridentini sanctiones, quatuor elegerit, quos cardinales creavit; in quibus singulis quatuor, hæc simul omnes virtutes præcipue inessent, quas quibusdam cardinales vocare visum est: ut planum faceret omnibus, in illis augendis et honestandis, nihil aliud se, quam quatuor virtutes has spectasse etc. Datum Helisbergæ X Junii MDCXVIII ».

Et certe, quamvis inter alios, cardinalitia dignitate Antonium Carafam honestasse Pius visus esset, ut quem acceperat a Paulo IV, ho-

norem grato animo Carafis rependeret, lamen solam in eo spectasse præcipue virtutem, egregia ipsius Antonii merita ac insignes animi doctes ultro suadent; et in primis sacrarum Litterarum studium, et linguæ Græcæ, quam sub Gulielmo Sirleto peritissimo præceptore didicerat, insignis peritia, de qua hæc ipse Hosius¹ testatur: « Indicat hoc Theodoretus per te Latinus factus, ut eum elegantius Græce scripsisse non putem: quem ego magna cum voluptate neque minori fructu legi etc. » Neque isto deterior fuit ab Ecclesia, cui S. Pancratii titulum Pius attribuit.

27. *Ad pristinum decorem reducere Pontifex conatur religiosos Ordines, præsertim Minoritas, cooperante S. Carolo Borromæo.* — His munitis præsiidiis, magna quæque, ad commune totius Ecclesiæ commodum, facinora aggredi posse Pontifex censuit, ac præter ea quæ jam recensuimus, ad res, bona ac personas Ecclesiasticas pertinentia, optime statuta; minime sat habuit, nonnullas congregationes solemnium religionis vota emittere (ut diximus) coegisse, et ex approbatis, quam profiterentur, regulam sibi deligere compulsi, nisi religiones ipsas decursu temporis, ac refrigerante prima institutorum charitate, in deteriora prolapsas relevare contendisset. Hoc igitur anno ex Ordine fratrum Cruciferorum proprietatem, aliosque qui irrepserant circa administrationem, munusque officialium, abusus evellere studuit, nono kalend. Maii edita Constitutione², in qua fatetur perpetuum se habuisse sollicitudinem, ex quo ad regimen universalis Ecclesiæ vocatus fuerat, ut in suæ quisque regulæ observatione pie sancteque nutriretur et confirmaretur; ideoque Ordinibus pluribus, a vetusta disciplina declinantibus, nunc novarum Constitutionum editione, nunc antiquarum restitutione vel correctione, ita profecisse, ut jam non mediocres ex labore suo fructus, late per orbem progredierentur. Hinc summo studio, hoc ipso tempore, etiam incubuisse, ut ad meliorem frugem monachos Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Fontis Avellanæ, opera Julii, tituli S. Petri ad Vincula cardinalis de Ruvere, alias Urbini, ejusdem Fontis Avellanæ commendatarii, revocaret; ex ejusdem Pii Diplomate, quod sequenti anno in medium afferetur³, manifeste intelligitur.

28. Hoc autem anno, in primis contumaciam monachorum Carthusianorum Hispanorum puniri voluit, qua (ut supra diximus) Apostolicis, tam Pii Quarti prædecessoris, quam suis etiam mandatis, contemphis, quibus subsidium ad ædificationem Ecclesiæ S. Mariæ Angelorum in Thermis Diocletianis, conferre compellebantur; præstare adhuc obstinatissime detrectabant.

¹ Ibid. ut supra Epist. 103.

¹ In eadem Epist. ut supra. — ² Extat. in Bull. Const. 59. — ³ Vid. infra sub an. 1569.

Cum enim, hoc ipso tempore, ejus Ordinis comitia, ex more, in magna apud Gratianopolim Carthusia cogenda essent; illucque idecirco ex Hispanis Carthusianis duo, inter alios se conferre deberent, qui cæteris forte occasio errandi erant; ad eisdem Carthusiæ Generalem scribens Pontifex¹, ista præcepit:

« Dilecto filio, priori monasterii Magnæ Carthusiæ Gratianopolitanensis, Ordinis Carthusiani ministro generali.

PIUS PAPA V.

« Dilecte fili etc. Quandoquidem Joannes de la Para, monasterii del Paular, et Matthias de Toledo, qui procuratorem agit ejusdem monasterii, pertinaciæ suæ finem nullum faciunt, mandata Apostolica, sicuti nosti, contemptis pœnis et censuris quibusvis, exequi non sine maximo scandalo recusantes; tenore præsentium mandamus tibi, in virtute sanctæ obedientiæ et sub pœna privationis officii tui, ut in Capitulo proxime celebrando, eorum utrumque, si ad illud venerint, statim comprehendis, ac in custodiam dari, ac diligenter ac fideliter asservari facias, ne effugere aut emitti possint; nec eos sine expressa licentia Sedis Apostolicæ relaxes, sed de eorum comprehensione nos statim certiores facias, voluntatem nostram postea cogniturus. Sin autem ad capitulum non venerint, vel alter eorum non venerit; utrumque, intra trium mensium spatium, ex eo die, quo has litteras acceperis, computandum, ab officio absolutos esse declares, et quatenus opus sit, absolvas, diligenter curando, ne illis officiis ullo pacto immiscere se possint, sed aliis idoneis et huic S. Sedi fidelibus ac devotis eadem officia mandari cures, ut eorum exemplo cæteri Apostolicam Sedem revereri, et devotionem atque obedientiam debitam præstare discant. Moneamus autem, ut mandatum hoc nostrum nemini, priusquam ejus exequendi tempus venerit, notum efficias. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII Februarii MDLVIII, Pontificatus nostri anno tertio ».

Hic vero minime prætermittendum, sanctissimi prædecessoris sui Pii IV præclarum studium erga omni veneratione dignissimam S. Mariæ Angelorum Ecclesiam, quæ, ut innuimus, ex constructis sub Maximiani tyrannide, in Dialectiani honorem Thermis consurgit: Thermis (inquam) illis, in quarum constructione², ex quadraginta millibus confessorum et martyrum, qui toto septennio immensos labores exhausti, eidemque insudentes, triginta millia consumpti sunt, et reliqui, ad decem et amplius millia, opere completo, superstites, una cum Zenone tribuno, ad Guttam jugiter manantem trucidati, ad palmam pariter pervenere Martyrii,

tot illustrissimorum athletarum nobilissimam palestram; Pii V (ut dicere cœperamus) vestigiis insistentem Benedictum XIII, novis iisdemque pretiosissimis muneribus magis decorare ornareque voluisse; dum videlicet insignes picturas eas, quæ in Vaticana Basilica, tessellatis musivis operibus Petri Pauli Christophori insignis opificis cedere computæ sunt, munificentissime ei attribuit.

29. Ut reformatio autem anno præterito cœpta Fratrum Illuminatorum magis proficeret, sanctimonialium ejusdem Ordinis iisdem ablata cura, eam ad loci ordinarios transtulit Pius; ipsoque privilegio Societatis Jesu presbyteros decoravit, vel potius vetus restituit, quo illi sanctimonialium onere liberabantur. Labefactaverant illud, ut scribit Sacchinus¹, Panormitani cujusdam cœnobii virgines, omnibus annexæ machinis, ac demum Diplomate ex Pio IV Pontifice impetrato. Sed Pius V, rogante Francisco Borgia Societatis Generali præposito, non solum pristinam summa voluntate redintegavit immunitatem, sed etiam id privilegii genus valde sibi probari diserte professus est.

30. Caroli vero Borromæi totius Ordinis Minorum protectoris usus esse opera, ut Ordinem Minorum Conventualium ad rectam vivendi normam, a S. Francisco traditam redigeret. Et quia idibus Junii hujus anni Constitutionem² ediderat, in qua præter alia cujuscumque generis honorum possessionem ac proprietatem singulis ejusdem Ordinis fratribus districte admodum prohibuerat, multaque præterea de ratione vivendi et officiis eorumdem statuerat; Pontificis hæc mandata in capitulo generali apud Basilicam duodecim Apostolorum de Urbe coacto, ea quidem qua debuerat obedientia fratres receperant, sed nihilominus alia inter sese statuere cogitaverant, quæ ad religionis illius statum in sua integritate continendum maxime obesse Pontifex intellexit. Quapropter priusquam capitulum ipsum absolveretur, negotium universum ad arbitrium et auctoritatem generalis et provincialium magistrorum et definitorum Ordinis demandari jussit; et Constitutiones alteras ab iisdem ordinatas, et ab eodem generali magistro subscriptas, altera etiam Apostolica Constitutione³ decim. kalend. Augusti firmavit ac observandas præcepit; executionis ejus cardinali Borromæo onere imposito, aliisque episcopis, ad quos super hoc negotio peculiares litteras dedit.

31. At in ea quidem parte, quæ ad laxiorem videbatur pertinere disciplinam, quædam magni momenti Borromæus hoc anno fecit (ut Ripamontius⁴ aliique tradunt); quos inter Carolus a Basilica Petri, cum hæc acta fuisset

¹ Sacchin. Hist. Soc. ut supra. — ² Exstat in Bull. Const. 61. — ³ Exstat in Bull. Const. 66. — ⁴ Carol. a Basil. Petri Vit. S. Carol. lib. 2, pag. 57.

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra. — ² Baron. Anno 298.

anno post Illuminatorum reformationem narrat, erroris coarguit Bzovium, qui ipsa anno præterito, quo nondum Pontifex præfatas Constitutiones ediderat, perperam adscribit. Ad canonicæ siquidem vitæ æqualitatem, tum in victu, tum in vestitu, tum in habitatione servandam eos redegit; aliaque deinde (ut Giussanus ¹ refert) valde utilia præstitit per Alexandrum cardinalem Cribellum, quem in munere illius Ordinis regendi, ipso Mediolani commorante, pro se substituerat.

32. In reliquo autem Franciscano Ordine, quem de *Observantia* vocant, plus eidem laborandum fuit; nam cum jam multo ante horum custodes ac præfecti, abstracto paupertatis voto, cultibet proprietati sese dedissent, Amadæus quidam Ulissypontensis, vir religiosissimus, sibi, ob præcipuum sanitatem, non mediocrem Fratrum numerum plurimis ab hinc annis adjunxerat, et una cum iis asperiores veterum vitam revocare contenderat, qui ab eo idcirco Amadæorum nomen sumpserant. Pari quoque observantioris vitæ studio, alii se seorsim receperant e communi totius Ordinis corpore, ac Clarenorum sibi nomen indiderant. Et hi quidem, ut Amadæi, initio plurima pietatis ac sanctimonie specimina dedere: verum cum primis postea secundi, hisque alii et alii successissent, mox eadem illa vitia, quorum odio et cæteris priores desciverant, retulerunt; imo istorum novissima, juxta Evangelicum illud, facta sunt pejora prioribus; nam, quod inter eos certamen esse debuerat pietatis ac modestiæ, in deliciarum superbiaque contentionem excesserat, et uti ab universa Sancti Francisci familia disjuncti erant, sic perpetuis inter se collectationibus illidebantur.

33. Sciens igitur Pius, quod omne regnum in seipso divisum desolaretur, ut præclarissimum Ordinem ex eo discrimine eriperet, tollendas in primis Clarenorum ac Amadæorum peculiare hos cætus, ex quibus tunc non utilitalis modo aut regularis disciplinæ exempla procederent, sed potius scandala plurima prodirent, optime censuit; edita super hoc Constitutione ², cujus nonnulla hic inserere haud dubitavimus, suntque hujusmodi:

« Quoniam eadem familia (inquit) quæ una ab uno constituta fuerat (nempe a S. Francisco) in quasdam quasi partes paulatim ita concessit, ut jam non una, ne ipso quidem quo a patre suo vocata est nomine consistat, sed illa variis agnominibus, cum de illa vel illa parte agitur, sit distinguendum; propterea nos, ne animorum quidem aut mentis inter eos, quos exterius ita rebus sejunctos cernimus, interiori conjunctionem sperare tuto valemus; quin etiam,

quando in eam, de qua supra diximus spem erecti ab ejusdem Ordinis fratribus optima quæque, et maxima ad Dei gloriam, et militantis Ecclesiæ utilitatem, et optamus, et sane pro ea, quam in hoc præexcelsæ dignitatis fastigio collocati nostro muneri debemus diligentia exigimus, non sinimus carere cura, ne forte rebus illa neglectis, quod Deus Opt. Max. avertat, magna inde sensim incommoda subeamus.

« Id igitur, qua possumus ope, post petitum a Deo auxilium cavere volentes, atque hinc potissimum incipientes, Motu proprio etc. Amadæorum et Clarenorum etiam *della Becca* nuncupatorum, S. Petri in Monte aureo, et S. Hieronymi sive S. Bartholomæi in Insula de Urbe, aliarumque quarumlibet provinciarum respective fratrum Ordinis S. Francisci, eorumdem institutiones, congregationes, conventus, denominationes, nomina et vocabula quæcumque, necnon, quatenus regularibus Institutis Fratrum dicti S. Francisci Ordinis familiæ Minorum de Observantia vocatorum discrepant; eorum regulas, instituta, consuetudines, et ritus, modumque et normam vivendi interdiximus et prohibemus.

« Eos autem omnes et singulos fratres, qui ejusmodi se congregationum et denominationum erant, cum eorum omnibus domibus, Ecclesiis, oratoriis et locis quibuscumque, ubicumque consistant, Fratribus Ordinis Minorum familiæ de *Observantia* vocatis, eorumque congregationi aggregamus atque unimus. Et sic in posterum, ex nunc perpetuo aggregatos et unitos esse dicis de Observantia adhaerere; et eisdem quibus illi utuntur regula, regularibus institutis, professione, moribus, habitu ac vivendi forma, ac agnominibus et denominationibus uti, ac unam familiam tantum de cætero esse eisdemque generalibus seu provincialibus ministris, cæterisque superioribus aut officialibus, quibus illi subsunt, aut pro tempore suberunt, subjectos esse, et in eadem immediate cum illis obedientia, Deo servire, pure, ordinariè et uniformiter, nullaque prorsus re, nulloque discrimine sejunctos aut dissimiles habere decernimus.

« Quinimo, ut hæc puriore conscientia ac tranquilliore animo præstare valeant debeantque, et non aliter, eosdem priorum institutorum rituumque, et aliorum supradictorum, iis scilicet dumtaxat, quibus ab institutis et ritibus Fratrum de Observantia differebant, necnon, si quibus, quavis ratione aut modo jureve aut facto iis tenebantur, vel etiam tenentur, aut teneri se opinantur, promissione, professione, juramento, aut voto, quorum observatio scandalum aut perturbationem judicio superioris cæteris allatum esset; absolvimus et liberamus, mandantes ipsorum universis et singulis, ut præmissa non impediunt, neque eis ulla ex parte,

¹ Giussan. Vit. S. Carol. lib. 2, cap. 14. — ² Extat. in Bull. Const. 53.

ulla ratione, ulloque modo resistant vel adversentur; et nihil faciant vel experiantur aut tentent, quominus plene, aut celeriter, aut facile suos effectus consequantur: neque ut ea vitent, sæcularium habitu lateant; vel tanquam clerici sæculares, ad aliquos Ordines majores vel Minores promoveri præsumant. Neque vero ad alias Religiones aliosve Ordines, etiam paris vel actioris regularisque observantiæ transeant, sine licentia Sedis Apostolicæ speciali; sed præfatis Fratribus de *Observantia*, eorumque congregationi et obedientiæ adhæreant, et omnibus aliis supradictis quamprimum pareant et obsequantur reipsa. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDCXVIII, X kal. Februarii, Pontificatus nostri anno tertio.

34. Sic Constitutio, quæ licet scripta fuerit eo quod præfertur tempore, tamen executioni demandata minime fuit, nisi cum multo post (quamvis hoc ipso anno) cardinalis Borromæus in Pacis monasterio Mediolani, Clarenos una et Amadæos adesse jussit. « De his reliquo numero aggregandis ne constitueretur (inquit a Basilica Petri¹) principes viri multi primo sese interposuerunt, sine quorum intercessione, vel oblata sponte, vel postulata, quod maxime dolendum erat, vix quiddam in Ecclesia paulo gravius componi, corrigere potuit. Deinde vero, ne statutum quod erat efficeretur plus, voluntasque in primis Amadæorum ipsorum impediebatur. Carolus autem nihil a proposito declinans minime destitit, donec bono exitu rem concluderet. Aggressus ad litteras Pontificis quam ad eam rem proprie curaverat in cœnobio Pacis promulgandas, remque conficiendam, ea incurrit, ut uno verbo dicam, quibus tunc quidem sibi cedendum, et re infecta discedendum dolenter statuit; rediit tamen, remque totam confecit arbitrato suo; tum vero eorum qui restiterant, apud Pontificem ob ejus animum graviter offensum, deprecator fuit. Ea re peracta, conventum habuit, in quo promissæ cœnobii cujusque numero constituto, et rectoribus electis, salutaribus Constitutionibus oportune renovatis, provinciæ res composuit. Sic ille.

35. Quamvis autem, ut audisti, Pontifex districte prohibuerit, ne præfati Clarenii vel Amadæi ad alias Religiones aliosve Ordines, etiam paris vel actioris observantiæ, sine speciali Apostolicæ Sedis licentia, demigrare possent; scias nihilominus nonnullos ex ipsis fratribus, vel invito Pontifice, vel potius rem dissimulante, ad conventuales Fratres transivisse, quos tandem ibi licite permanere posse, Gregorius XIII, qui Pio V successit, Diplomate dato die xx Decembris anni MDCXXXI, misericorditer indulisit. Iisdem vero Fratribus Ordinis Minorum de Observantia, Diplomate altero die viii Janua-

rii hujus anni expedito¹, semper posse extra tempus Quadragesimæ et Adventus, in Feria quinta in qua aliquod non occurreret Festum aut ejus octava, recitare Officium SSmi Corporis Christi Pius V concessit.

36. Ad reformationem quoque Fratrum Tertii S. Francisci de *Pœnitentiâ* nuncupali in Congregatione viventium, ac tribus votis substantialibus adstrictorum, studia sua Pius contulit: quod ex multis, quæ Rodolphus Ostiensis episcopus, cardinalis Carpensis nuncupatus, ejusdem Ordinis protector Apostolicæ Sedis auctoritate fretus, in reparanda eorum disciplina præclare et salubriter ediderat, Religionem hanc non admodum profecisse agnovisset; ob quam causam, cum valde in Fratres ipsos commotum Pii animum rite censendum esset, eo res perducta est, præcipue apud Observantiæ Fratres, ut Tertium Ordinem Pium abolere (uti eos Amadæorum et Clarenorum) voluisse putaretur; cujus rei fama, in Hispaniarum præcipue regnis adoleverat. Quod ubi Pontifici nuntiatum est, ulpote qui non destructionem, sed correctionem tantum errantium vellet, ad delendam incondite vulgatam eam vocem, istam ad Rossanensem archiepiscopum suum, et sanctæ Apostolicæ Sedis apud Catholicum regem nuntium scripsisse Epistolam reperimus:

« Ven. fratri Joanni Baptistæ archiepiscopo Rossanensi, nostro et Apostolicæ Sedis in regnis Hispaniarum nuntio².

PIUS PP. V.

« Ven. etc. Generalem et alios ministros Ordinis Fratrum Minorum Regularis Observantiæ in Hispaniarum regnis consistentes, fraternitas tua certiores, his acceptis litteris, facere curet, nobis non esse in animo extingueri Tertium Ordinem S. Francisci de *Pœnitentiâ* vocatum, neque eorum habitum vel regulam immutare; sed tantum eos ad observantiam ipsius regulæ reformare; et si quorum excessus puniendi fuerint, eos debita animadversione corrigere. Proinde monebis ipsum generalem et alios superiores nomine nostro, ne eos molestia, ultra ea quæ ad reformationem pertinent, afficiant. Datum Romæ apud S. Petrum etc. xv Julii MDCXVIII, Pont. nost. ann. tert. ».

37. Plura igitur hoc anno, tert. non. Julii, Constitutione³ edita statuit et decrevit Pius, quibus idem Tertius Ordo, ad perfectioris vitæ normam revocaretur; sublatis in primis, quos ex ipso Ordine fratres iidem sibi elegerant, prælatis, eos Observantiæ superioribus subjecit, quibus potissimum illos reformandi munus demandavit. Visum est nihilominus Sixto V, qui post Gregorium XIII Pio successit, in quibus-

¹ Car. A Basilica Petri ut supra.

¹ Extat. in Bull. Const. 52. — ² Ex Archiv. Vatic. ut supra. —

³ Extat. in Bull. Const. 63.

dam Constitutionem præfatam esse moderandam, et inter cætera, cum Pius, ut diximus, officia ministratus et visitoris generalis ejusdem Ordinis extinxisset, ac ea in Fratres *Minores de Observantia* transtulisset, Sixtus, restituitis eidem familie propriis ministris et visitoribus, quæ Pius statuerat, revocavit.

38. Nec Fratres modo, sed etiam Sorores ejusdem Tertii Ordinis reformationis onus subire Pius voluit. Ediderat ipse, quam supra memoravimus, juxta sacri Concilii Tridentini decreta, de Monialium clausura Constitutionem. Ea lege minime se constringi in Hispania passæ erant, et quas prædiximus Tertii Ordinis S. Francisci sorores, et insuper Ordinis S. Joannis Hierosolymitani moniales. Re ad Pontificem delata, omnino a se statuta servari velle his litteris¹ edixit:

« Dilecto filio Antonio a Toletto priori prioratus regni Legionis Hospitalis S. Jo. Hierosolymitani.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili etc. Cum Constitutionem nostram edidimus super clausura monialium, confisi sumus, te, et alios, ad quorum officium ea observare et exequi quocumque modo pertinebat, debita diligentia, id quod divini honoris et animarum salutis causa a nobis, non sine matura deliberatione, statutum fuerat, exsecuturos. Cum autem audiremus, nondum eam abs te, quoad moniales attingit Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, prioratus tui ratione subjectis in usum adductam fuisse, sane id mirati sumus, nec potuimus non hac in re officium tuum desiderare. Quia vero minime ferendum est ab ipsis monialibus, quæ tam provide statuta sunt, non sine maximo salutis earum periculo negligi, volumus, et tibi in virtute S. obedientiæ districtè præcipimus et mandamus, ut litteris nostris super ipsarum clausura editis, quarum exemplum cum his litteris ad te misimus, in omnibus tibi subjectis exequaris. Ita ergo mandatum hoc nostrum fac ad effectum ducere studeas, ut præteritam tuam negligentiam in sequenti officio corrigas, et si quæ monialium ipsarum pertinaciores fuerint ad ea quæ statutum observanda, omnibus quæ necessaria fuerint juris factique remediis, illas, nihil nisi Deum respiciens, coge atque compelle. Datum Romæ apud Sanctum Petrum etc. die xv Januarii MDLXVIII, Pontif. nostr. anno tertio ».

In Vaticano Regesto, post hanc Epistolam ista habentur: « Scriptum fuit eodem exemplo priori prioratus Catalauniæ Hospit. S. Jo. Hierosolymitani, priori Castellano regni Aragoniæ, Hospit. S. Jo. Hierosolymitani. Eodem exemplo pariter scriptum fuit Ferdinando a Toletto priori

prioratus regni Castellæ, Hospit. S. Jo. Hierosolymitani, priori prioratus regni Navarriæ, Hospit. S. Jo. Hierosolymitani. Dilectis filiabus abbatisæ et monialibus monasterii Matris Dei oppidi de Alva Tertii Ordinis, seu de Pœnitentiæ Salamantina diœcesis. Abbatisæ et monialibus monasterii S. Elisabethæ Tertii Ordinis, seu de Pœnitentiæ Salamantina civitatis. Item abbatisæ et monialibus monasterii S. Barnabæ Zamorensis civitatis. Item abbatisæ et monialibus monasteriorum S. Marthæ et S. Martinæ Tertii Ordinis de Pœnitentiæ Zamorensis civitatis. Quibus omnibus scriptum fuit, sub eadem data ut supra, super Constitutione, de clausura monialium, ab eis observanda ». Hæc in Regesto Vaticano.

39. *Mandante Pio, Carolus Borromæus purgatus hæresibus Italianis.* — Pontifex vero sic omnia undequaque perlustrans, priusquam Carolo cardinali Borromæo, quam prædiximus Amadeorum ac Clarenorum unionem ac reformationem demandasset, aliam provinciam suscipere cogerat, de qua ista Carolus a Basilica Petri: « Addidit (inquit) Pontifex aliud quiddam, ad evellendas ex religioso Ordine pravas quasdam opiniones, quæ multis jam insite erant. Quod quidem Carolus, auctoritate Pontificia, iis, qui corrupto sensu essent, per varias Italiæ urbes prudenter comprehensis et conclusis, diligentissime curavit. Erant hæc, opinor, reliquiæ malorum illorum, quibus non multis ante annis Italia magno in periculo fuerat, utque remedium afferretur, Pius ipse Pontifex, Inquisitoris supremi tum officio fungens, egregie partes suas egerat.

« Præcipue concionatoris cujusdam impietate verbiisque, nefarium hæresis scelus conceptum, quod diu caluerat, in præcipua quadam Italiæ urbe hoc tempore apparuit. Inquisitor suo jure uti, in jus vocare, in custodiam dare, ob quorundam magnam potentiam minime potuerat. Duo Religiosi viri, ob eam rem crudeliter interfecti erant. Pontifex eo sua sponte Carolum misit. Pauca mandata, magnam auctoritatem attribuit. Eo nondum profecto, componi res cæperunt; neque id mirum, quia licet cum hominibus, quibuscum oportebat, nondum egisset, egerat cum Deo tamen, qui præsens est rerum omnium moderator: idque singulari quadam sacrarum precum contentione. Etenim per omnia monasteria omnesque Urbis Ecclesias precatiois tempora ita distribuerat, ut sine ulla intermissione die noctuque essent qui Deum pro gravissimo negotio orarent: quod genus precatiois sine intermissione, tunc primum ex ea, credo, oratione acceptum, quæ pro Apostolo Petro vincito habita scribitur, postea in gravissimis rebus sæpe adhibuit.

« Cum ad locum pervenisset (quo versus iter cœpisse Februario Mense hujus anni scri-

¹ Ex Archiv. Vatic. ut supra.

bit Giussanus ¹) veritate ac vi argumentorum, tum prudentia atque auctoritate, in primisque divina ope flexit potentum animos. Auctoritatem sacrosancti magistratus, sacrorumque ministrorum restituit, qui eum velut angelum a Deo missum advenisse prædicabant; ac tandem effecit, ut fontes, quorum salis magnus erat numerus, deprehenderentur, in carcerem ducerentur, publice hæreses detestarentur: alii condemnati potestati seculari permitterentur; civitas tanto periculo maloque brevi liberaretur, juvante per omnia Maximo Pontifice, in quo maximam equidem causam reperio, quam obrem Deo, quam majores possent gratias Pio Pontifici Itali agerent, præcipuo ejus munere agnoscentes, ut quæ pestis et corruptela tum morum tum animorum, ex fonte dissolutæ Ecclesiasticæ et monasticæ disciplinæ manans, quibusdam provinciis orta, illatae deleri nunquam potuit; sed majori in dies perturbatione perniciose grassata est, apud Italos facile sit extincta. Quod ego, cum a sollicitudine vigilantissimi Pontificis, tum a divina virtute profectum existimo, qua ex Romana illa Petra, in qua ædificata Ecclesia est, in propinquiores partes efficacius funditur etc.». Hactenus ille.

40. Verum, dum Carolus, mandante Pio, Mediolanum egressus, evellendis in Italia partibus hæresum spinis sedulo incumbit; Pius vicissim ab anno superiore Mediolani comprehensum hæreticum Aonium Palearium Verulanum, ac Romanum perductum, hoc anno illius causam jure cognosci voluit. Qua de re audiendus Thuanus, qui, postquam retulit (et quidem falso, ut suo loco diximus), ad ignem Petrum Carneseccam fuisse damnatum, statim addit: « Postea, et Aonium Palearium, cujus eruditionem singularem scripta ipsius testantur, eadem pœna affectus est Romæ, cum convictus esset, dixisse, Inquisitionem esse sicam districtam in litteratos ». De pœna inquirere superfluum est, an falsa Thuanus protulerit; sed tamen longe commentitia habenda sunt, quæ scribit de culpa, sine qua injuste a Pio extremo supplicio in Aonium ipsum animadversum fuisse contendit; quod quidem quam falsum sit, ex ipsiusmet scriptis et typis editis libris apparet. Ediderat Palearius libellum, in quo subdole lethale hæresum virus absconderat, eaque de causa incommodi aliquid ac molestiæ a duobus religionis viris apud Inquisitionis Officium passus fuerat. Rem adeo indigne tulerat, ut in Oratione ² Senis habita, et quidem ad Senensis Reipublicæ patres conscriptos, ista protulerit, quæ in medium producere non piguit, ut a nullo magis quam a Paleario, Thuanus Palearii encomiasticas mendacii coarguat, hoc modo:

« Indignum facinus, duo monstra religionis vagari tam libere in civitate, ut exhaustiant domos et furentur impuæ. Horum cum ego nomina detulidissem, susceptas mihi sensi inimicitias cum cæteris cucullatis, qui veluti sues, uno læso, gregatim ingruunt universi. Et quoniam hæc facta potius quam facta vobis videri volumus, P. C., actionis libellum, testium tabulas, subscriptorum chirographa produximus, ut levitatem accusatorum, testium improbitatem, subscriptorum impudentiam cognoscere possitis. E quibus accusatio? non pro religione, sed religio pro accusatione suscepta est; quæ vero a nobis dicta sunt et disputata, in eodem libello inclusimus, ut quisvis intelligere possit, ad omnia accurate fuisse responsum: de quibus egissemus in senatu libenter, nisi a forensi sermone abhorrerent quidem illa, et novum quoddam dicendi genus postularent, quod theologi alia prope lingua loquantur. In iis de serie et ordinæ ex omni æternitate fluenti. De republica ante mundi principia designata, constitutaque a Deo, cujus dux, auctor et moderator unus est Christus. De lege abrogata, et gravissimo jugo servitutis, disseruimus tantum, quantum tempora hæc misera, in quæ incidimus, permiserunt, non quantum certe optabamus: quod in illis aperiendis locus nullus sit periculo vacuus. Sunt enim homines acerbis, duri, criminosi, apud quos, ne parens quidem, et Deus salutis nostræ Christus, omnium gentium omnium populorum Rex, omni ex parte laudari potest; cujus ex morte quanta commoda allata sint humano generi, cum hoc ipso anno Thuoce scripsissem, objectum fuit in accusatione: Quid hoc indignum dici aut excogitari potest? Aiebam ego, ab eo, in quo divinitas inesset, vita cum sanguine, pro salute nostra, tam amanter profusa, nihil nos debere de cælesti voluntate dubitare, omnia nobis tranquilla et quieta posse polliceri. Affirmabam, ex monumentis vetustissimis et certissimis, finem malorum esse factum, notam omnem deletam iis, qui animo in Christum crucifixum conversi, ejus fidei se permitterent, acquiescerent promissis, spe pleni hærent in uno qui fallere nescit opinionem. Hæc ita amara, detestabilia, execranda sunt visa XII illis, non dico hominibus, sed feris immanissimis, ut scriptorem in ignem deturbandum censerent. Quæ pœna, si mihi subeunda est, pro testimonio dicto, quod testimonium existimari illud volo potius quam libellum; nihil est me beatius P. C. Neque enim puto Christianum esse hoc tempore in lectulo mori: parum est accusari et deduci in carcerem; virgis cædi, veste suspendi, insui in culeum, feris objici, ad ignem terrori nos decet, si his suppliciiis veritas in lucem est preferenda; quod nisi in Concilio spes bonis injecta esset, negotium felix et salutare, a Pontificibus, a Cæsare, a regibus, una

¹ Giussan. Vit. S. Carol. lib. pag. — ² Ex process. original. in quo Oratio eadem habetur pag. 384. et seqq. Cod. Ms. vero segn. 393. In Oral. edita. ut sup. 384.

susceptum iri, ut magnis concursibus omnium gentium, omnium nationum celeberrimi conventus peragantur; desperarem omnino tantarum perturbationum finem ullum unquam futurum. Desperarem posse fieri, ut sica ista districta in omnes scriptores de manibus eorum extorqueatur, qui vel levissimis de causis crudelissime ferire didicerunt; a quibus appetitus fuit aliquando vir omnium sanctissimus et integerrimus Sadoletus meus: qua re nihil multis annis sol vidit indignius. Horum, horum vulgarium, imperitorum hominum opera, P. C. Bernardinus Ocellus, vir dura illa ac horrida vita, admirabili illa abstinencia, istis ipsis diebus accusatus, quod vos non valde erectos videret, ad se defendendum et sustentandum de fuga consilium cepit. Hunc civis vester, Italia omni (quod magno cum dolore dico) expulsus et ejectus, in remotissimis ab Etruria nostra locis, vagatur solus et peregrinus. Quæ littora, quæ sylvæ, quæ oppida fortunata non sunt, quæ ille attigerit? Quos homines fore putatis eos, apud quos ille diutissime commorabitur? Qui fructum capere poterunt, ex consuetudine viri excellenti ingenio, et summa animi humanitate temperati? Nulla gens tam fera est, nulla tam barbara, nulla tam immanis, quæ ejus oratione flecti non possit.»

41. Eadem oratione¹, præter ista, quæ in laudem Ochini, pessimi hæresiarchæ, effutiit, ostendit etiam quo animo esset perversissimo erga alios hæreticos, quantique prava eorum dogmata faceret, dum scribere non erubuit: « Si sentire me cum Germanis theologis vis dicere, istud quoque perplexum est; nimirum in Germania theologii nobilissimi sunt multi; neque vero est provincia altera, in qua tam variæ et in omnem partem sententiæ diffusæ sint. Quamobrem, cum dicis, me cum Germanis sentire, nihil prope dicis. At tua maledicta, cum plenissima sint omnium ineptiarum, habent tamen aculeum: et quia abs te profecta sunt, venenum aspersum. Germanos vocas Oecolampadium, Roterodamum, Melancthonem, Lutherum, Pomeranum, Bucerum, et cæteros qui in suspicionem vocati sunt? Ego vero ex theologis nostris tam stupidum arbitrør esse neminem, qui non intelligat et fateatur permulta esse in his, quæ ab illis scripta sunt, digna prorsus omni laude: sunt enim graviter, accurate et sincere scripta; repetita, vel ex Patribus illis primis, qui præcepta nobis salutaria reliquerunt, vel ex commentationibus Græcorum, et nostrorum hominum, qui, etsi cum culminibus illis conferendi non sunt, interpretatione tamen non negligendi videntur. In his, quæ sunt ex commentationibus sumpta, qui Germanos accusant, Origenem, Chrysostomum, Cyrillum,

Irenæum, Hilarium, Augustinum, Hieronymum accusant: quos si ego mihi ad imitandum proposui, quid obtundis? Quid garris, quod cum Germanis sentiam? An si illi sanctissimos viros sequuntur, mihi eosdem sequi non licet?»

Et paulo¹ inferius: «Laudas (inquies) omnia Germanorum acta? Est profecto hæc interrogatio tuarum tam similis, quam quæ maxime: respondendum tamen est. Ego quædam probo; quædam non probo; nam, ut alia præteream, quod obsita multa barbarie, obvoluta nonnulla paupertate incredibili orationis, spinosa olim et offusa quædam tenebris, nunc Latinis litteris illustrata sint: non modo laudo, sed gratias etiam agendas Germanis puto, qui in ea re fuere diligentes. Jacobant divina studia, strata in cellulis hominum otiosorum, qui licet in sylvas se abstrusissent ut in hæc incuberent, ita sterbebant tamen, ut nos in urbibus et vicis audiremus: erecta prope sunt ab istis, cum Chaldaicis, tum Græcis, tum Latinis Bibliothecis restitutis, typis pulcherrime adinventis, theologis perhonorifice stipendiis decretis. Quæ res clarior? Quæ gloriosior? Quæ commendatior esse potest memoriæ hominum sempiternæ? Secutæ interim discordiæ civiles, intestina bella, populorum motus, seditiones, et mala cætera, quæ cum multis, mihi quidem, ob charitatem fraternumque animum in Christianos, sæpe incredibilem dolorem attulerunt. Quis ita non laudet? hæc non improbet? Est hic bonorum omnium communis sensus.»

Mala improbabat Palearius, quæ ex hæresibus processerant, bella nempe, seditiones et alia. Plenissime vero approbat omnia fere hæreticorum dogmata, quæ in præfatis Commentariis, libris, aliisque eorumdem hæreticorum scriptis continebantur; ut plane ex his et cæteris ipsis verbis appareat, nullum prope fuisse Oecolampadii, Lutheri, vel Bucerii, vel aliorum hæreticorum errorem, cui ipse ex animo non adhæserit. Cum Roterodamo irridet nostrorum theologorum studia, imo divinas Litteras eorum culpa abjectas dejectasque fateatur; eorundemque hæreticorum diligentiam tribuit, quod jam sepultæ denuo e tenebris emergerint, novis Commentariis, novisque editionibus elegantiori stylo exaratis. Eadem est et nostrorum temporum pseudocriticorum quorundam jactantia: quippe qui, ut venenum effundant quo pleni sunt, semper novis Operum Sanctorum Patrum editionibus student; totamque vim in verbis studiose locatis ponunt, interimque sensum verum, sententiarumque substantiam, vel non intelligunt, vel negligunt; vel, quod deterius est, sacrilege corrumpunt, ut una cum eis legentium quoque animos inficiant corrumpantque.

¹ Ibid. ut supra pag. 373.

¹ Ut supra pag. 374.

42. Sed præter ea, quæ in præfata Oratione ¹, dum sese purgare contendit, contra se Palearius impudenter fassus est; alia sunt plura, quæ in processu originali leguntur ab ipsomet male prolata, quæque hæreticum, omnique animadversione plectendum hominem perhibent. Nos summam ea dabimus.

« 1^o Negabat esse ac reperiri Purgatorium.

« 2^o Morem improbabat mortuos in Ecclesiis sepeliendi, alioque hujusmodi mortuorum fœlorem rejiciendum, antiquorum Romanorum more, qui mortuos extra Urbem sepelire censuerunt, affirmabat.

« 3^o Contemnebat, maleque sentiebat de statu et habitu monachorum, eos comparando sacerdotibus Martis, qui ferebant ancilia per Urbem, canentes et tripudiantes: et sacerdotibus Cibelis abscissis, et velut funatis colla contorquentibus, et Magis Gallorum; eosque ex vario habitu religioso irridebat.

« 4^o Videbatur attribuere justificationem soli fiduciæ in divina misericordia, remittente peccata per Christum ».

Cætera prætermittimus, quæ ex allatis ipsius scriptis quisque cognoscere potest. Acta cognitaque ejus causa est primo Mediolani a Fr. Angelo de Cremona generali inquisitore, qua in civitate, a senatu accersitus, Rhetoricam docebat, anno MDLXVII; deinde Romæ, quo se conferre, jubente Pio, compulsus est presenti anno MDLXVIII, ubi convictus, cum nihil afferre posset, quo propria pravitate defenderet; tandem in furorem versus, coram statutis iudicibus, in hæc verba erupit:

« Si DD. VV. habent tot testes idoneos contra me. nihil est, quod vobis et mihi molestiam diuturniorem afferatis; mihi certum est sequi consilium B. Petri Apostoli dicentis: *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem se judicanti injuste.* Judicate igitur et condemnate Anonium, et satisfiat obrectatoribus meis et officio vestro ». Hæc ille: ipsius mors in sequentem annum est rejicienda.

43. *Leonardum de Marinis, visitatorem Apostolicum, Pius exstimulat.* — Sub Pontificatus autem initium, nempe anno MDLXVI transtulerat Pius ab archiepiscopatu Lanciaensi ad Albensem episcopatum Leonardum de Marinis nobilem Januensem, jam antea Ordinis Prædicatorum alumnus: « His verbis (inquit Ughellius ²) publico in Patrum consessu a tanto Pontifice laudatum: ne videretur otiosus tanti meriti anlistes, ejusque eximias virtutes sub

medio latere, maturo consilio, ad eam regendam Ecclesiam destinavisse, ut sua pietate, doctrina, et in rebus agendis matura prudentia, errores, ob bellorum injuriam, viciniorum quoque sectariorum malitia, si forte in ea provincia disseminati fuissent, longius exturbaret ». Imo in Brevi, ad eundem Leonardum scripto, sub die XXIV Octobris præfati anni, ab eodem Ughellio relato, tam in regno Neapolitano, quam in aliis ditionibus, episcopatum viginti quinque Ecclesiarum Apostolicum suum visitatorem amplissimis eum cum mandatis elegit.

Verum, peracto hoc visitationis munere, cum Albæ tandem se recipisset Leonardus, munere suo segner perfunctum esse Pio delatum est; nam post fere biennium, nondum diocesim suam, ut par fuisset, totam lustraverat; imo cujusdam oppidi, ex quibus nonnulli a Catholica fide deflectere cæperant, irruenti morbo opportunam medicinam adhibere neglexerat. Eum igitur officii sui commonendum, sequenti Epistola ¹ duxit:

« Ven. fratri Leonardo episcopo Albensi.

PIUS PAPA V.

» Ven. frater etc, Audivimus te non satis diligenter officio fungi in diœcesi visitanda; multa enim oppida et loca restare, ad quæ nunquam accesseris. Id si ita est, tanto magis hoc in te mirari cogimur, quanto diligentior te in tali et tam necessario munere tuendo futurum fuisse speraveramus; quod autem multi, in oppido præsertim Garexio diœcesis tuæ, a Catholica fide deflectere cæperant (hoc enim quoque nobis relatum fuit) non mirum est aberrare oves, ubi non visitantur, aut minori cura custodiuntur. Non enim Lupi ipsi dormiunt neque cessant, sed ad eas rapiendas et devorandas semper vigilant, semper intenti sunt. Ita igitur commissum tibi gregem visitare, pascere et custodire stude, ut diligentiam tuam posthac laudare potius debeamus: meminerisque, ad Ecclesiam istam te idcirco translatum fuisse, quod, ubi majus ovibus imminebat periculum, ibi peritior et diligentior custos earum salutis præficiendus esse visus est. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX Augusti MDLXVIII, Pontificat. nostr. anno tertio ».

Leonardum his Pii monitis excitatum, ferventius deinceps, et hæreticos insecutum esse, et pastoralia alia munera exercuisse; ex his quæ de illo scribit Ughellius ² facile intelligi potest.

44. *Januensem rempublicam monet ut religionis rem majori curet studio.* — Dum vero tota Italia sic errorum perniciem omni conatu

¹ Ex proces. original. ut supra. — ² Ughellius Ital. in Epis. Alben.

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra. — ² Ughellius ibid. ut supra.

longe ablegare Pontifex curat: ægre admodum ipsemet tulit Januensem Rempublicam pari (ut sibi visum est) studio conatibus suis, quibus ubique excellens errorum tribulis diligentissime incumberebat, minime respondere. Quapropter paterne officii sui gubernatores ac duces admonendos existimaverat: cumque illi muneri suo, erga Catholicam religionem, pro qua tuenda amplificandaque majores eorum immensos labores, facinoræque subierat, ad Pium præscripsissent, se minime defuturos: Pontifex ¹ hoc illis responsum dedit:

« Dilectis filiis, nobili viro duci, et gubernatoribus Reipublicæ Genuensis.

PIUS PAPA V.

« Dilecti filii etc. Ex litteris vestris intelleximus, (quod tamen dubium nobis non erat) optime vos meminisse, quam egregia fuerint majorum vestrorum merita erga religionem Catholicam, quæ nobis quoque et omnibus aliis nota sunt: ac statutum vobis esse eorum vestigiis ingredi; id, quod ad hoc tempus, magna cum laude ostenditis. Quod cum ita sit, non solum vos enixe in Domino hortamur, sed ipsorum majorum vestrorum exempla excitare vos debent, ut tam insignem vestræ inclytæ patriæ laudem incolumem conservetis, et permittatis eos, qui divinam Majestatem tam graviter læserunt, et quantum in ipsis fuit, vestræ civitatis gloriam polluerunt, eo supplicio affici, quo cæteri ob simile crimen Florentiæ, Venetiis, in hac Urbe, et aliis Italiæ locis affici consueverunt: quod tamen eorum delicto, levius esse nemo inficiari potest. Qua in re, cum non Dei solum honos agatur, sed vestræ civitatis, præter existimationem et dignitatem, etiam quies atque tranquillitas, sicuti pro vestra prudentia intelligitis; non modo non recusare debetis, sed etiam expetere, ut tantum delictum quam severissime puniatur, præsertim cum principis maxime obstandum esse sciatis, in quibus quanto severius in eos qui deliquerunt animadvertitur, tanto cæteri vehementius deterrentur. Quod cum in rebus temporalibus servari debeat, tum multo magis in eis, quæ ad salutem animarum pertinent, quæ sunt rebus omnibus temporalibus, præsertim a viris tali pietate præditis, merito præponenda. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v Junii MDCXVIII, Pontificat. nostr. anno III ».

43. *Carolo Borromæo utitur, tum ad jurgia sedanda, tum ad disciplinam per Synodos diœcesanas restaurandam.* — Carolo cardinali Borromæo, cui expurgandi plures Italiæ urbes ab hæresum peste provinciam demandasse Pontificem vidimus; hoc ipso anno præcepisse etiam, ut Tridentum sese conferret, ad jurgia in illa

Ecclesia exorta componenda; patet ex ejusdem Pontificis ad ipsum Carolum datis Epistolis, quas suo loco et nos dabimus.

46. Initio autem hujus anni (ut Giussanus ¹ refert) Seralvi Marchio ab Hispaniarum rege, ad componenda dissidia, inter ipsum cardinalem, et regios ministros exorta, eum Mediolani convenit, multaque cum eo egit et questus est. Deinde, ut præterito anno innoimus, Romam profectus, ac Pontificem allocutus, cum regem ipsum jussa Pontificis facturum esse in se recepisset, negotium prævertit, quod deinde post multas hinc inde disceptationes compositum tandem fuisse narravimus. Interim vero Carolus diœcesanam Synodum Septembri mense coegit, in quo plura, tum ad cleri, tum ad populi utilitatem sanctissime sancita sunt, quæ libellis eo de genere confectis fusc continentur, ipsiusque Vitæ scriptores narrant; intendisse etiam animum ad episcoporum Concilium secundo celebrandum, scribunt; sed ejus tempus, Pontifice consulto, a Septembri mense, quo triennium a primo præterierat, ex ratione sacris decretis consentanea, in sequentis anni Paschales dies transtulisse, affirmant.

47. *Concilium provinciale Ravennatense.* — Julius etiam Feltrius (quem paulo ante memoravimus) de Ruvere, Ducis Urbini filius, cardinalis tituli S. Petri ad Vincula, atque archiepiscopus Ravennas, Concilium Provinciale coegit, cum jam ducenti et quinquaginta elapsi essent anni, ex quo in ea percelebri Ecclesiæ Concilia habita non fuerant. Magna idcirco ex eo utilis et profectus, tum ad clericorum reformandos abusos, tum ad populorum mores corrigendos; dignus plane qui summis laudibus commendetur Julius, utpote, qui tam solerter ibidem divina omnia, ad sacri Tridentini decreta restituere sategerit. Illius Acta, utpote quæ nunquam edita fuerint, ab illustrissimo Ravennati capitulo benignissime nobis tradita, in hujus Tomi calce danda censuimus.

48. *Romæ penuria et morbis laboranti, large subvenit.* — Interim vero Italia, hoc anno fame, peste ac bello, severissimis divinæ justitiæ flagellis contundi visa est; nam, ut refert Catena ², Urbs Roma præcipue gravi penuria, ex inclementia Cæli profecta, constricta est. ex qua pauperes haud parum attriti. Verum sibi non defuit Pius, qui ex Apostolico arario in Hadriani Mole de more asservato, centum anreorum millia deprompsit, ac in annonæ utilitatem transtulit; tum ex Sicilia, ex conducto infeudationis illius regni, nulla portorii solutione; tum ex Gallia, benigno Gallorum regis concessu, magnam in Urbem tritici vim comportari curavit. Quo facto statuit, ut id longe viliori pretio

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

¹ Giussan. Vit. S. Carol. lib. 2. cap. 12. — ² Caten. Vit. Pii V. pag. 58.

venderetur, quam ementi sibi constitisset. Quae de re quaestorem aëriarium, (ut sunt plerumque principum ministri, inquit Gabutius ¹, privatis dominorum suorum magis quam publicis populorum commodis intenti) expostulantem, atque hoc detrimentum, quod sane erat haud mediocriter, aëre ferentem, indeque lucrum aliquid affectantem, rejectit Pius, edicens: quod Reipublicae salutis gaudioque esset, id non damni, sed lucri loco ponendum: praestareque populum, rerum ad victum necessariarum copia lactantem, quam arcas otiosae pecuniae plenas intueri. Indignum enim rege, atque eo magis Summo Pontifice, quaestum ex omni occasione odorari, et lucellum in publico negotio quaerere. Dignum plane tanto Pontifice responsum, eique merito comparandum, quod Parmenioni dedisse Alexander Magnus refertur ², cum, nempe ab eo admoneretur, ut pro matre ac duabus virginibus flarii filii captivis, triginta millia auri talenta accipere vellet: « Et ego (respondit) pecuniam, quam gloriam mallem, si Parmenio essem. Nunc Alexander, de paupertate securus sum, et me non mercatorem memini, sed regem. Nihil quidem habeo venale; sed fortunam meam utique non vendo. Captivos si placet reddi, honestius dono dabimus, quam pretio remittemus ».

49. Pari quoque modo sese gessit, cum sub extremam Aestatem sparsi per Urbem morbi ingentem vim mortalium conficerent; nam deponente sibi tenuiorum curam sodalitate, quae abs Sanctis Apostolis nominatur, memor Pontifex officii in eodem genere biennio ante praestitit (ut Sacchinius ³ tradit); Societati Jesu id munus demandavit. Quod non gravate ipsa susceptum, pecuniam satis large Pio subministrante, ea cura Jesuitae, eoque labore, tum Confessariis ad curandas animas, tum decem ex suis delectis, qui bini in quinque gravius laborantes Urbis divisi partes, operi praesent, administrarent; ut simul inopis turbae calamitatis occurrerent, simulque Pontificis accuratissime satis voluntati facerent, qui in hoc quoque, quod sui officii erat, nil vel minimam praetermisit.

50. *Venetia respublica, sibi ipsi tantum prospiciens, recusat praestare subsidia Pontifici, qui vicissim ipsi negat decimas Ecclesiasticas.* — At belli formido praeter aliis Pontificis animum perstrinxit, cum crebris rumoribus perferretur, Halim, quem, maris imperio Piali adempto, Selimus Turcarum tyrannus, universae classi praefecerat, quam magno cum apparatu, milite, anno, tormentis instructam, numero ingenti emissurus videbatur, ad Aneonam oppugnandam venturum, praedivitis Lauretanæ Domus

eximia ornamenta atque opes direpturum. Pedibus mille idcirco Pius Aneonae praesidium auxit; et a barbaro hoste periculum quoque imminere Epidauris prospiciens, eorum salutis maxime consulendum censuit; ideoque, ut a Venetis triremes, ex Pontificiis ditionibus, remige ac milite instruendae traderentur, per Apostolicum suum nuntium, Hydruntinum episcopum petiit. Sibi etiam meluere Veneta ipsa respublica et Philippus Hispaniarum rex, cum passim vociferaretur, Turcicam classem, vel ad Guletam in Numidia oppugnandam, vel ad Melitam rursus invadendam venturam; vel Neapolitani regni oras, assuetis incendiis, direptionibus ac crudelitibus depopulaturam. Veneta vero Respublica, quamvis pacem nuper cum Selimo pepigisset, attamen (ut Maurocenus ¹ narrat) gentis mores edocta, quae ad Chium, superiore anno, acciderant, secum reputans; cum praesertim de Cypria expeditione sermones Bizantii in vulgus non modo dispergerentur, sed de ea insula invadenda, multa apud proceres agitentur, in non modicam et ipsa suspicionem venit, eamque auxerant, quae in Tamasso, praecipua ejus regni urbe, deprehensa sunt; a sceleratis ac proditoribus siquidem quibusdam hominibus ingens subterraneus cuniculus excavatus fuerat, qui ad Turcicae classis conspectum, igne concepto, ac horrenda strage edita, hostibus aditum patefaceret. Cum etiam non deessent, qui Ascrivium in Riconici sinus faucibus situm, ejusdem reipublicae urbem, Turcas invasuros opinarentur.

51. At, quamvis tot indicibus edocta, Cyprii regni incolunitati cavendum censeret, attamen Pontificis, quas diximus, postulationibus minime acquiescendum existimavit Respublica, qua de re audiendus Maurocenus ¹: « Senatus vero (dicit) licet quaecumque Epidauriis adversa accidissent, opportunitate ac situ urbis et portuum ad Rempublicam universamque Italiam spectare intelligeret, attamen, ne acerrimi in se hostis arma lacerasset, cunctatione utendum, neque quidquam praeproperè decernendum censebat: cum praesertim quaenam Pii mens esset, Patres non lateret, qui acerrimo in Turcas, perpetuos Christianae reipublicae hostes, odio incensus, nihil magis exoptabat, quam ut principes, illius gentis assiduis incrementis expegefacti, in eam socia arma converterent, rescissaque Venetorum cum Ottomanis regibus amicitia, aditus ad commune foedus inendum patefieret. Venetis vero a bello cum potentissimo hoste suscipiendo, tum ingens ac fere immensa Turcarum potentia, tum ea quae superioribus annis postremo cum Solimano bello acciderant, remorabantur. Itaque, ut nihil quod ad imperium maritimum tutandum necessa-

¹ Gabut. Vit. Pii. lib. 6. cap. 4. — ² Curt. lib. 4. — ³ Sacchin, ut supra. Gabut. ut supra et alii.

¹ Maurocen. Hist. Venet. lib. 8.

rium foret, prætermittendum; ita ab iis abstinentium, quibus pacis leges turbarentur, Respublicaque ad bellum traheretur, existimabant ». Sic ille. At satius fuisse Reipublicæ, vel postulacionibus vel Pii voluntati assentiri, quam barbaræ fidei se inniti, quæ subsecuta sunt facile declararunt, cum humanæ illius prudentiæ commentum, maximo ejusdem Reipublicæ et totius Christiani orbis detrimento Selinus eluserit, et optimum Pii consilium, sero licet, exitus manifestaverit.

52. Addit Maurocenus ¹ haud parum molestiæ tunc Patrum animis accessisse, cum ex auctis exaggeratisque sacerdotum opibus, majorum pietate ac munificentia, nihil ad Rempublicam tuendam adjumenti pervenire animadvertissent, civiumque ac subditorum fortunis, quorum sæpe multi egestate atque inopia premebantur, tantam impensarum molem sustineri, eorum tantummodo sanguine Rempublicam Ecclesiasticosque viros immunes niti; ideoque per Paulum Teupolum, oratorem suum, sacerdotum saltem decimas ac veteri consuetudine obtinere contendisse; doletque id a Pontifice negatum. Verum, sicut majorum pietati ac munificentiæ detrudere quodammodo visus est, quod ii divina potius quam terrena et sæcularia spectantes, sacerdotes opibus auxerint; sic jure quodam inclytam Rempublicam sibi vindicare studuisse, quæ jam pridem Deo donata fuerant a majoribus; nil prorsus ad ipsius contulit gloriam, eum a veterum studiis, quibus Ecclesiam locupletarunt, nimis ea recentiorum, qui illam jam adeptis spoliare connterentur, aberrare demonstretur. Illud pariter, quod Venetos deprehenderit Pius, in fidei hostem sacros eos proventus impendere minime voluisse; prudentem dispensatorem a sententia deterruisse decimas concedendi censendum est, cum sacro usui mancipata, in alios usus traducere non licere cognosceret. Quodque res sese ita habuerit, evidentissime testatur munificentia illa, qua novis vectigalibus Ecclesiasticis impositis, eandem postmodum Rempublicam contra communem tyrannum communivit.

53. *Jurgia inter Melitensem Ordinem et Pontificem.* — Cognito Selimi apparatu, Melitensis quoque militiæ magister et ipse veritus, ne per has ambages, classis ad suæ insulæ expugnationem contenderet, mature aggressus fuerat novam urbem denuo communicare, missoque Equite Boninsegno ad Philippum regem, qui auxilia peteret, omnes militiæ equites ad kalendas Martii esse in insula jusserat; nihilque prætermiserat, quod ad diuturnam obsidionem perferendam opportunum judicaverat. Melitensium autem equitum ipse magister, innumeris in Ordinem ac se collatis a Pio beneficiis, ma-

gnum aliquod rependisse sibi visus est, cum Pontificis votis nimirum annuens, licet extero, nec sine incommodo, Francisco tamen de Guævara æque Ordinis militi, Præceptoriam S. Justini de Perusia hoc tempore contulisset. Quod quidem jucundum admodum Pio fuit, qui idcirco ad eundem Vallettam scribens ¹, postquam ipsius in se studii ac obsequii memorem futurum dixit, in magnam totius Ordinis utilitatem ac usum cessurum esse subjunxit, quod prioratum Urbis cardinali Alexandrino pronepoti suo ipsem contulisset.

At, præter expectationem accidit, ut avaritia, suorumque jurium servandorum, etiam contra fas et jus, sollicitudine nimia acti, ac innumerabilium præterea beneficiorum a Pio acceptorum immemores, attributum Urbis prioratum cardinali Alexandrino, quem ipsimet antea, ut suo loco diximus, in protectorem elegerant, Joannes de Valletta ipsiusque Ordo adeo ægre tulerint, ut contra Pontificem insurrexerint, ac non parva molestia eum affecerint; utpote, qui illius honori ac famæ undique temerario ausu detraxerint. Rem ordine digestam accipe ex Gabutio ², his verbis:

« Sed inter hæc, cum alter efluxisset annus, ex quo sacra militiæ Melitensis Ordo, summis votis, pro eximia sua in hunc Pontificem pietate, cardinalem Alexandrinum, protectorem sibi delegerat, prioris in Urbe titulum ejusdem Ordinis, ex obitu Bernardi Salvati cardinalis tunc vacantem, cum annuis redditibus, qui tum erant circiter sena aureorum millia, ipsi Alexandrino Pius assignavit, nonnullis annuis, ut mox dicemus, pensionibus reservatis. Sed, cum hujusmodi collationem Joannes Valletta, illius Ordinis magister, ægerrime ferens, per litteras ad papam datas, ea de re graviter expostulasset, perlectis litteris Pontifex, si res integra fuisset, ab ea se temperaturum indicavit: quin etiam, ne quid in ejus viri, vel Ordinis, quos ipse valde diligeret, offensionem fecisse videretur, actum rescidisset, nisi Josephus Cambianus, tunc militiæ Melitensis apud Sedem Apostolicam orator, privatas et occultas Vallettæ querimonias publicas fecisset, ejusque secretas ad Pontificem litteras querelarum plenas, per Urbem, imo per orbem, evulgasset. Quæ res hominibus sermonem dedit, et Pontificis existimationem animumque graviter offendit, plerisque, uti fit, ex fama potius quam ex facto, rem perperam judicantibus. Itaque Pius quidquid fecisset, jure se fecisse ostendens, Cambianum, ut imprudentem rumoris auctorem, ab Urbe confestim jussit abscedere, eodem amplius non rediturum. Cæterum non esse cur Valletta, aut quispiam alius, se ob id offensum arbitraretur: nam, si quid

¹ Ibid. ut supra.

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra. — ² Vita Pii lib. 6. cap. 14. p. 231.

detrimenti in eum Ordinem inde recideret, id non injuria factum, imo plurimis et maximis in eum collatis beneficiis antea se cumulate compensavisse : ipsius sacræ militiæ privilegia decretaque honorifica, quatenus per Tridentini Concilii sanctiones licuisset, denuo se libenter comprobasse ; et ad eam insulam ac militiam variis communiendam præsiidiis sartamque lectam conservandam, ingentes, ut ostendimus, sumptus fecisse. Ac licet pro summa sua potestate possit vacantia beneficia, cui liberel, digno tribuere, tamen templo canobioque Boscensi, abs se extracto, ipsius Hospitalis Ordinis præceptoriam S. Joannis, cui ab Urba vicino torrente nomen est, a Boscho parum distante, cum attributa cuperet, ac pro ea amplum, quod Apostolica Sedes in Sicilia diocæsi Mazariensi habebat sacerdotium, Abbatie nomine, sub titulo S. Mariæ Palmarum Silvestrium, (vulgo Jummarum), in commutatione ipsi Ordini tradere designasset ; id se, pro sua modestia, ne quemquam offenderet, facere noluisse : nisi prius consultis, ac summa voluntate consentientibus, cunctis sacris illis militibus Italicis nominis, atque adeo totius concilii Melitensis. Neque vero hæc se exprobandi, sed approbandi causa commemorare ».

Hæc Gabutiis, qui addit super ipsius prioratus cardinali Alexandrino attributi fructibus, tres pensiones duorum millium aureorum annuorum Pium imposuisse : unam quingentorum, Jo. Paulo Ecclesiæ, civi Derthonensi, jurisconsulto clarissimo, quem ipse, ex regio senatu Mediolanensi, ob singularem ejus integritatem et jurisprudenciam, in amplissimum, ut diximus, cardinalium ordinem legit ; alteram pariter quingentorum, Paulo Ghislerio ; tertiam vero aureorum mille, Philippo, Sebastiano, Antonio, Michaeli et Joanni, bonæ indolis adolescentibus consanguineis suis, ac Paganini Ghislerii Boscensis naturalibus filiis, singulis ducentis assignatis.

54. Cæterum quæ Pius, ut dignitalis suæ ratio petebat, et in Cambianum fecit, et in Melitenses dixit, dicta ab eo factaque fuisse, more Sanctorum, qui, ut docet Gregorius ¹ : « Dignantur, sed non dedignant ; desperant, sed non desperantes ; persecutionem commovent, sed amantes. Quique, et si foris increpationes per disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per charitatem servant » : manifeste declarant, quæ hoc ipso anno in Melitenses equites contulit beneficia. Cum enim in Vaticano Regesto ² sub die decima octava Maii, data recensentur Epistola ad Joannem Valettam scripta, in qua de prioratu Romano cardinali Alexandrino a se tradito loquitur ; certe post eam, ac jurgia quæ ob eandem causam Pium inter et

Melitenses intercesserunt, editam a Pontifice fateri necesse est, Constitutionem illam ¹, quæ sub die xxix Novembris hujusmet anni, in Magno Bullario adnotata habetur ; qua exemptiones, libertates et privilegia, a superioribus Pontificibus, Hierosolymitano S. Joannis Ordini concessa, non modo confirmat, sed quodammodo auget. Nam, cum diversi locorum ordinarii, parochialium Ecclesiarum rectores, ac multe capitulares personæ, ejusdem militiæ magistris, bajulivos, castellanum empostæ, priores, præceptores, milites et personas, diversis oneribus contra eorum privilegia pergravarent ; idque sibi omnino licere, ex Tridentini Concilii decretis assererent : Pius nullatenus id ipsis permissum edixit, et ex præfatis Tridentinis decretis labefactum non iri Melitensium immunitatem ac privilegia declaravit. « Quæ, si unquam (inquit) a primæva erectione dicti Hospitalis, nunc præcipue favore et complemento digna sunt, cum ipsi pro fide Catholica defendenda, non modo facultates et fortunæ, verum etiam eorum vitam et sanguinem perdere non dubitarunt ». Sic Pius.

55. *Turcarum jugum excutere tentant Arabes et Ægyptii ; navalis pugna inter Florentinos et Turcas.* — Verum metus, qui de Turcarum aggressionem, tam Melitenses quam alios hoc anno incessit, qui in Arabia Turcis ipsis adversa accidere, ut præfatus Maurocenus ² refert, suscepto magna expectatione conatus, inanes reddidere : nam gentes, quæ in ea provincia prope Erythræum mare degunt, Ottomanorum principum jugum excutere nitentes, ingentes tumultus conciverant. Bassam regionis præfectum, compluresque illius strenuos milites, interfecerant. Seditio insuper, pro totam Ægyptum, ad Memphim usque, se diffuderat ; Lusitanique regis auxilliis finitimis freti, minis et viribus Arabes augebantur. Inde Selimus ab Europeis expeditionibus aversus, eo imperii sui vires conferre, maritimas ac terrestres copias in Alexandria mittere coactus est. Quocirca Halis, ut diximus, maris præfectus, quinque atque octoginta triremium classe, Mare Ægæum atque Ionium emensus, Corcyram amice prætervectus, Aulonem usque profectus, nulla re egregie facta, in Orientem iter deflexit.

56. Infaustum vero fuisse hoc anno facinus, quod Florentini ducis Cosmi triremes aggressæ sunt contra eosdem Turcas, Hadrianus ³ refert ; nam vi tempestatis actæ, nec Hipponæ, ut constitutum sibi fuerat, in ora Africa potiri potuerunt, et in singulari certamine cum quinque Turcicis triremibus, victrices licet evaserint, una ex illis capta ; sic tamen eas barbarus furor exagitavit, ut victæ potius visæ sint. Quod dam-

¹ Homil. 34, in Evang. — ² Regest. Vatican. ut supra.

¹ Exlat. in Bull. Const. 77. — ² Maurocen. ut supra. — ³ Hadrian. Hist. lib. 20, pag. 1429.

num, ut reficeretur, jussit idem dux Cosmus e littore solutas rursus hostes conquirere; qui aggressi, navibus in littore relictis, sese in fugam dedere, ac in proxime adjacentes sylvas sese receperunt.

57. *Concertatio de dignitatis prerogativa inter ducem Florentinum et Ferrariensem.* — At inter eundem ducem et Ferrariensem Alphonsum, non minor concertatio, de dignitatis prerogativa, eodem tempore exarsit. Diu ante agitata ea causa fuerat, ut ipse Hadrianus ¹ refert, nempe sub Pio IV, et quamvis citatus, nunquam tamen Ferrariæ dux adduci potuerat, ut procuratorem vel alium Romam mitteret, sed ut a Cæsare et in Cæsarea aula lis terminaretur, omni ratione contenderat. Tanquam in contumacem nihilominus in Ferrariensem ducem proferri sententiam a Pontifice volebat Cosmus, quod ex æquissimo jure, et utraque audita parte, litem dirimi exoptaret. Id tamen modo verebatur, cum Pii animus suboffensus, quod Ferrariensis, contra Ecclesiæ jura, sal conficere ac vendere auderet, eum Romam uti Ecclesiæ subditum Apostolicæ cameræ administrari in jus vocaverant. Ut sibi Pontificem benevolum redderet, omnem moverat lapidem Ferrariensis, et præcipuorum principum officii ejus delinire animum studuerat. Maximilianum Cæsarem certe non modo pro Ferrariensi duce ad Pontificem scripsisse, sed ad ipsum quoque misisse imperiale suum consiliarium, qui ejusdem ducis causam ageret, manifeste docent, a Pio ad Maximilianum eundem, quæ sequuntur scriptæ Epistolæ ²:

« Charissimo in Christo filio nostro, Maximiliano, Hungariæ et Boemiæ regi illustri, in Romanorum imperatorem electo.

PIUS PAPA V.

« Charissime etc. Nobilem virum Frigefridum Preiner, consiliarium tuum, cum litteris tuis ad nos venientem, libenter vidimus, et de negotio nobilis viri, ducis Ferrariæ, diligenter nobiscum agentem, attente benigneque audivimus. Eum sane principem, nos, cum propter alias causas multas, tum in primis propter affinitatem, quæ illi cum tua Majestate intercedit, diligimus, et in rebus ei gratificari cupimus, quoad quidem officium nostrum patitur. Debet autem ille quoque iis contentus esse, quæ æqua sunt: nam nos, nec ab eo, nec ab ullo alio feudatiorum hujus Sanctæ Sedis, quicquam unquam, nisi justum sit, requisituri sumus. Ex ipso autem Preiner, qui plene instructus redit, et ex nuntio nostro, quid de ea re egerimus, majestas tua cognoscet. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV Julii MDLXVIII, Pontific. nostr. anno tertio ».

Alphonsum autem, ingenti pecuniarum vi a cardinali Ferrariensi oblata, obtinere contempsisse, ut alibi, quam in Romana curia præcedentiæ potissimum causa cognosceretur, tradunt.

58. Verum quod frustra ab Alphonso tentatum, id ipsum facile a Cosmo impetratum est; nam obtinuit, ut Pontifex de Maximiliano, non ut Cæsare, sed tanquam arbitro assentiretur, ea tamen lege, ut intra certum tempus, de ea causa cognosceret; quo elapso, denovo ad Romanam curiam revocaretur, et juris ratione eam dijudicaret. Maximilianum autem, acceptis Pontificis litteris, iratus est, quod, in sententia ferenda, modus ei et conditio præscriberetur, nec ad se causam delatam fuisse, ut imperatorem, sed ut arbitrum; itaque, cum nec Ferrariensi, nec Florentino molestiam facessere vellet, rem de die in diem traxit, dissidium hoc amice componi desiderans: cum e contra Cosmus, antiqua Florentinæ reipublicæ prerogativa nixus, quam adjecto Pisano et Senensi imperio auctam, se duce decrescere ac minui pati se non posse arbitrabatur; non æquitatis via componi, sed ex partium jure decidi debere contenderet. Quod autem dicit Thuanus ¹, causam, nempe hanc, vere ad imperatorium tribunal pertinuisse, nullo solido fundamento innititur; nam omisso etiam quod asserit Hadrianus, ad Ecclesiasticum videlicet spectasse, quod omnium esset supremum, ideoque etiam Cæsareo majus; Romane Ecclesiæ insuper Ferrariensis cum subditus esset, Ecclesiasticæ idcirco potestatis erat ipsam dijudicare. Sed hoc perpetuum extitit Thuani ingenium, ut, ubi Pontificio juri detrudere posse existimaret, jus totum principibus adjudicaret; ubi vero de jure principum, contra hæreticos ac rebelles ageretur; jus nullum in principibus agnosceret, ac in subditos totum transferret; semper nefario stylo, ut Dei potestatibus, ita ordinationi resistere propemodum docens. Pontificem autem, tempore elapso, quo, ex conducto, sententiam Cæsar ferre debuerat, illud excogitasse, ut Cosmum nova dignitate exornaret, et sic Ferrariensi duci rite præponeret, inferius dicitur.

59. *Rosa aurea decorantur a Pontifice Joanna Florentinæ ducissa et Margarita Austriaca.* — Hoc autem anno, ex veteri Romanorum Pontificum consuetudine, Rosæ a se benedictæ munere Joannam Florentinæ ac Senarum principem, et Margaritam Austriacam, Parmæ ac Placentiæ ducissam, Pius ornare voluit, ad easque hujusmodi Epistolæ ² dedit:

« Dilectæ in Christo filiæ, nobili mulieri, Joannæ Florentinæ et Senarum principissæ.

PIUS PAPA V.

« Dilecta filia etc. Cum superiori anno, pro

¹ Idem ut supra. — ² Ex Archiv. Vatican. ut supra.

¹ Thuanus, Hist. libr. 44. passim. 540. — ² Ex Archiv. Vaticano.

veteri prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum instituto, Rosam auream solemniter benedixerimus, ut eam alieu mitteremus, nobilitati tue potissimum mittendam duximus, ad testificandum erga te benevolentiam nostram, et te, propter insignem pietatem, et singularem devotionem, erga Deum et sanctam hanc Sedem, hujusmodi, et quovis alio honore dignissimam judicantes. Materiam si spectes, munus haud magnum est; sed ipsius muneris significationem et nostræ voluntatis erga te indicium si consideres, pio admodum devotoque animo abs te suscipiendum. Sacrum vero munus, quod dilecto huic filio Achilli Feuzonio, cubiculario nostro, ad te defendendum dedimus, ut sacra etiam cum caeremonia, sicut decet, accipias, id tibi, post Missarum solemniam in Ecclesia, quam delegeris, celebrata ab aliquo prælato, nobilitati tue tradi volumus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIX Aprilis MDCXVIII, Pont. nostr. ann. tertio ».

Ad Margaritam Parmæ ac Placentiæ ducissam¹.

« Dilectæ in Christo filiæ, nobili mulieri, Margaritæ de Austria, Parmæ et Placentiæ ducissæ.

PIUS PAPA V.

« Dilecta etc. Benedictum nuper a nobis, solemniter et antiquo prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum more, Rosam auream, mittendam nobilitati tuæ duximus, ob indicium nostræ erga te benevolentiam et iudicii, quod de tua virtute, et in religionem Catholicam studio, et erga sanctam hanc Sedem pietatem semper fecimus. Parvum etc. ». Cætera habentur, ut in præcedenti ad Joannam, dataque recolitur sub iisdem anno, mense ac die. Missa tamen fuit per Petrum Sanctum Humanum J. U. D., ac Pii ejusdem cubicularium, de quo anno præcedenti mentio inedit.

60. *Janienses increpat Pontifex quod Ecclesiam prius dirui permissam alibi non excitarent.* — At in Corsica, cum, post Sanpetri mortem, sensim rebellium virtus ac robur defecisset, ut anno præterito diximus; rebelles ipsi, etiam quæ pacis erant, non serio tantum cogitare, sed etiam expetere cœperunt: cumque rem in commodum quoque suum cedere Januensis Respublica cognosceret, quibusdam conditionibus, pax tandem hoc anno composita est. Pontifex vero, qui eidem Republicæ indulserat, ut delere parochialem quamdam Ecclesiam, Apostolorum principi Petro sacram, posset, ea tamen conditione ac lege, ut alibi eidem Apostolo novum templum excitaretur; cum id a Januensibus nondum impletum audisset, amaro animo sequentes ad illos litteras² dedit:

« Dilectis filiis, nobili viro, duci et gubernatoribus reipublicæ Genuensibus.

PIUS PAPA V.

« Dilecti filii etc. Superioribus mensibus, cum a nobis per litteras postulavissetis, ut publicæ commoditatis, et ornandæ vestræ civitatis causa, vobis facultatem concederemus Ecclesiæ parochialis diruendæ, quæ sub nomine S. Petri dedicata est; nos, et pro paterno amore, quo Republicam vestram prosequimur, et quia semper quibuscumque in rebus, cum Domino, oblata occasione, possumus, omnium precibus et postulationibus libenter satisfacimus, eam vobis facultatem haudquaquam negandam esse putavimus; quod tamen ea conditione vobis concessimus, ut alio loco, templum, sub eisdem nominis titulo, non minore magnitudine, neque minoribus Ecclesiæ redditibus ædificaretur atque institueretur. Quod, cum vos, sine mora aliqua facturos esse nobis eo tempore promisissetis, quo hæc a nobis facultatem petiistis, magnopere mirati sumus, atque etiam, pro nostra in vos benevolentia, non mediocriter doluimus, cum intelleximus, vos, priore templo diruto, non solum novum nunquam ædificasse, sed ne hoc quidem tempore ullum novæ ædificationis signum ostendere. Quamobrem, et si vidimus, vos, in hac re, majorem, ad hoc usque tempus, erga nos et Sedem Apostolicam obedientiam et reverentiam præstare potuisse; tamen visum est nobis, pro nostra in omnes homines pastorali benignitate et ad ignoscendum propensione, monere vos atque hortari, ut melius fidei, dignitati atque existimationi vestræ consulatis, proponere vobis ante oculos Ananiæ et Saphiræ ejus uxoris exemplum; de quo est in Actis Apostolorum, quod pretio agri, quod vendiderant, cum unam tantummodo parlem, pedibus Apostolorum obtulissent, alteram sibi fraudantes reservassent: illa sunt justo Dei iudicio puniti, propterea quod promisso non stetit, ut ambo ad principis Apostolorum verba continuo expiraverint. Quod si ille sanctissimus Ecclesiæ princeps, cum adhuc in hoc mortali nobiscum carcere versaretur, tantam habuit ab omnipotenti Deo potestatem, ut homines sibi Spirituique Sancto mentientes interficeret; quantam putatis eum, nunc in cælo gloriosum ac beatum, habiturum esse potestatem, ad uleiscendos vos, qui ejus sanctissimo nomini ædificandum templum ædificare neglexistis? Non enim vos nobis tantummodo mentiti estis, sed Deo, Spiritui sancto, et beatissimo Petro Apostolo ejus; ejus indignationem nolite, filii mei, in vos concitare; sed date operam, ut, quod, ad hoc usque tempus, templum illi beatissimo Apostolorum principi ædificare distulistis, quamprimum ædificandum curetis. Nisi enim id feceritis, præterquam quod nos tantam contumeliam dissimulare non poterit-

¹ Ibid. ut supra. — ² Ex Archivio Vaticano ut supra.

mus, non eandem præterea facilitatem ac benignitatem nostram experiemini in his rebus, quas vos a nobis postulare contigerit. Sed, si, quemadmodum in Domino speramus, id feceritis, quod ex fide nostra dignum est, et a vobis expectamus, augebilis nobis animus, ad ea vobis et Reipublicæ vestræ semper concedenda, quæ ad utilitatem vel ad dignitatem ejus pertinebunt. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno MDLXVIII, die XIV Decembris, Pontific. nostr. anno tertio ».

61. *Astensis Ecclesiæ feudatorii a ministris Sabaudia ducis læduntur, favente episcopi segnitie, et aulicis hæreticis secreto inspirantibus.* — At amariori forte animo hoc pariter anno, ab incolis loci cujusdam, Verua vocati, aliorumque, quæ juris esse Astensis Ecclesiæ obtendebant, audivit Pius, a Sabaudia ducis ministris, eos ad solvendam quamdam pecuniæ partem compelli, necnon invitos se milites conscribi; ac quædam armorum genera proprio ære emere cogi, ac tandem in pluribus ipsorum libertatem imminui. Sui igitur officii censuit Pontifex laicæ potestatis vim cohibere; ac optimi illius principis animi, et erga res Deo dicatas religiosi obsequii conscius, ut ab his ministris suos coerceret, quo usque de jure Ecclesiæ cognosceretur, sequenti Epistola ¹ admonuit:

« Dilecto filio, nobili viro, Emanueli Philiberto, Sabaudia duci.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc. Cogit nos munus nobis, a Deo, licet indignis, injunctum id diligenter agere et curare, ut locis et hominibus, Ecclesiasticæ libertatis jus et privilegium habentibus, sua immunitas inviolata servetur. Quod quidem tam debitum et necessarium officium si prætermitteremus, nec apud Deum nec apud homines nos excusare possemus. Solemus sane, cum quidpiam contra eam alicubi fieri audimus, non minus eorum causa, qui culpam talem admittunt aut admitti patiuntur, quam eorum, qui læduntur, dolere. Qui enim in hoc genere alios lædunt, suam quoque ipsorum salutem (quod multo magis detrimentum est) lædunt, et in periculum adducunt. Ad aures nostras pervenit, incolas loci Verua vocati et aliorum quorundam locorum, juris Astensis Ecclesiæ, a ministris et officialibus nobilitatis tuæ, gravibus et variis oneribus injungendis compelli ad solvendam partem pecuniæ, quæ donativi nomine, a subditis tuis aliquot abhinc annis exigitur. Cogi eos præterea milites fieri, et pecunia sua emere quædam armorum genera, multisque aliis rebus libertatem eorum imminui. Molestè quidem tulimus, si res ita se habet, eos hujusmodi incommodis affici: sed, pro paterno amore, quo salutem et famam nobilitatis tuæ diligimus, non minus hæc

nobis tua ipsius causa displicerunt, quam Deo, cui per omnia placere, et cujus nomen ubique gloriosum esse cupimus. Cum enim libertas Ecclesiastica violatur, non tam homines, quam Deus ipse, qui Ecclesiæ suæ parci, et jura sua servari vult, violatur et graviter offenditur. Non parva labe eorum fama, qui talia admittunt, vel admissa dissimulant, maculatur. Quia igitur, cum talia non facile credere possemus, nisi veritate prius inquisita, loca illa ad Ecclesiam Astensem pertinere comperimus, camque ob causam, non debere locorum illorum incolis hujusmodi onera imponi; nobilitatem tuam paterne admonendam duximus, ut cum divini honoris causa, cujus zelum et curam te habere semper cognovimus, tum, pro perpetua tua erga Sanctam hanc Sedem reverentia, prohibeas, ac vetes, ne in posterum illorum locorum incolæ, hujusmodi onera subire cogantur; et quidquid contra libertatem eorum ad hoc tempus gestum est, revoces, suamque illis locis immunitatem, sicut æquum est, incolumem conserves. Quod si nobilitas tua jus aliquod in illis locis se habere existimat; causam suam docendo nos curare poterit, ab ejusmodi interim oneribus abstinendo. Quod, ut primo quoque tempore faciat, eam hortamur, ut auditis quæ pro ejus causa dicta fuerint, statuere possimus, an illi homines injustam querendi causam habuerint. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VIII Maii MDLXVIII, Pontificatus nostri anno tertio ».

62. Præerat hoc tempore Ecclesiæ Astensi episcopus Gaspar Caprius Taurinensis, in gratiam Philiberti Sabaudia ducis, a Julio Tertio sub anno MDL ad id munus electus: quo convivente, ejusdem ducis ministri (inquit Ughellius) ¹ castrorum illius Ecclesiæ incolæ, quæ innumus, onera subire compulsi sunt. Quod quidem ubi Pio (ut audisti) delatum est, et quam retulimus, ad Philibertum dedit Epistolam, multoque (ut æquum erat) acriorem, ad ipsum episcopum, cujus culpa rite tribuenda erat Ecclesiasticæ immunitati ingens adeo illata injuria: sequentem alteram ² a cardinali Alexandrino scribi jussit:

« Admodum reverende etc. Quæ recens Sanctissimo domino nostro, de Ecclesiæ tuæ rebus delata sunt, et præcipue quod vectigalia nonnulla a Sabaudia duce episcopatus tui feudatariis imponi probaveris; summum ipsi mærorem attulit. Quantum id te dedeceat, cujus semper est immunitatis rerum Ecclesiasticarum et feudatariorum tuorum præsertim defensionem suscipere; tu ipse judica: superfluum siquidem est me in his diutius immorari, et una tecum verba conferre de hac re, de qua fu-

¹ Apud Goub. Epist. lib. 2. Epist. 6.

¹ Ughellius Ital. Sacr. Tom. 4. pag. 574. Asten. Episcop. —

² Ex Archiv. Vatican. ut supra.

sus ad nuntium in aula Sabaudiae commorantem scribo, juxta ea, quae etiam eadem Sanctitas Sua scribit, ut dux ipse deinceps a vexandis, et imponendis praefatis feudatariis oneribus, abstinere. Sanctitate Sua vero similiter mandante, praecipio tibi, ut non solum hujusmodi rebus assensum praebere non debeas, sed insuper, ut ea semper rejicias; et ubi opus fuerit, ut aequum est, in causis hujusmodi, ad Sanctitatem suam confugas. Interim autem aliis feudatariis tuis praecipies, ut pro rata conferant pro expensis factis, ab illisque faciendis, qui ad Sanctitatem suam confugerunt. Id enim honestas ratioque postulat. Cumque his aliud addere Sanctitatis Suae nomine nequeam, me tibi offero etc.

« Uti frater.

« Cardinalis Alexandrinus ».

63. His monitis praecipisque motus tandem perterritusque Caprius Vercellas petiit (inquit Ughellius) cum duce, licet serius quam debuisset, acturus, ut ministros, ab inferenda Ecclesiae, cujus jura nefarie prostituerat, ea vi compesceret. At ibi, dum praee senectute sella defertur, gestatorum imprudentia, seu potius justo Dei judicio dilapsus, imisque scala gradibus illisus, paulo post, die nempe XIX Octobris hujusmet anni, infauste interiit. Alterum Helei merito dices, ¹ similique ac ille morte mulctatum, qui, nimirum ob injuriam loco sancto illatam, cecidit de sella retrorsum, et fractis cervicibus mortuus est.

64. Haud me latet aulicum forte assentatorem non defuturum, qui nos sic loquentes spernere irridereque non dubitabit; uti temere damnare conspuereque imperitissimum quemdam non semel audivi, magnum ipsum Baronium, quod cum inter narrandum infausta quaedam retulerit, ea passim scelera patrantibus, Deo auctore, iudice ac vindice accidisse, ostendere, ac propemodum digito monstrare studuerit; cum tamen incertum esset (aiebat) quibusnam certe causis, vel naturae, scilicet, vel humanis dumtaxat, ea essent infortunia tribuenda. A quo nos: num divinis Scripturis credat, petimus. Si credit, dicat, quaeso, non propter peccata disserter in illis narretur venisse adversa? admodum disserter ita esse respondebit; nec enim aliter poterit, cum sexcentis propemodum exemplis, si res ferret, probari possit: ex quibus unum tantum et alterum in medium proferre sufficiat: *Facta est*, inquit *Sermo Divinus* ², *fames in diebus David tribus annis jugiter: et consuluit David oraculum Domini; dixitque Dominus: Propter Saul et domum ejus sanguinum, quia occidit Gabaonitas. De filio ex adulterio concepto ab Uriae uxore dicitur* ³: *Percussit quoque Dominus parvulum, quem pepererat uxor Uriae*

David. Idem dicat, oportet de clade a pestilentia facta, de qua ejusdem libri capite 24. diffusissime agitur. Quae omnia, nil velat, quod naturalibus humanisque causis adscribi possent: et quae nihilominus divino judicio peracta inticiari nefas est, quod explicate a Deo ipsa facta perhibeantur; perhibuisseque Dominum censendum est, ut, juxta Flaccorum ¹, ex his quae per semetipsum, quod narravit exponere dignatus est, sciamus rerum significationem quaerere, in iis etiam, quae per semetipsum noluit explanare. Et revera, justis hujusmodi rationabilibusque explanationibus, tum scripta, tum historiae a venerabilibus Ecclesiae Patribus exarata, adeo relectae sunt, ut nil aliud quam actum agere esset, exemplis id comprobatum studere; praesertim, cum caeterorum etiam scriptorum, qui Christiani non fuerunt, narrationes, imo ad hoc praecise ab ipsis edita opera ostendant: quae uti singula recensere superfluum, sic, inter ea praeclearum unum illud Philonis ² Judaei in Flaccium (Opusculum indicasse sufficiat; cujus totius scriptiois unicum seopum, explicasse satis novissima ejusdem haec verba, quis diffitebitur? « Haec sunt, quae Flaccius pertulit, argumento certissimo, non negligi res Judaeorum a Deo, nec destitui ejus auxilio ».

65. Cum vero constet, hanc contra Astensem Ecclesiam tempestatem, non ante annum MDLXI primum fuisse excitatam (quod nunquam antea nil penitus contra eam Sabaudiae duces attentare praesumpsissent): hinc non immerito Philiberti ducis animum ad id ab uxore, vel ab eruditissimis illis, qui e Gallia seculi eam fuerant, Calvinistis videlicet ac Lutheranis, potissimum concitatum conjectare licet. Duxerat ille paulo ante, anno nempe MDLIX, Margaritam Valesiam, Francisci Primi filiam, Henrici Secundi Galliae regis sororem, de qua dubitari nequit, sic Margaritae alterius Navarrae reginae et praefati Francisci Primi Galliae regis sororis vestigiis instituisse, ut quae de ista adnotata reperiuntur, de priori quoque cunctos scriptores uno ore asservisse; adeo ut ad ejusdem mores, ingeniumque describendam Ræmundi ³ verba afferre sufficiat: « Multos doctrina praestantes viros ad se allexit ac liberaliter sustentavit, in quorum numero vix fuit possibile cavere, quin unus et alter Lutheranus sese ingereret, a quibus deinde, reliqui etiam depravati, et eadem lepra infecti sunt ». Et quod revera se ingesserit, aperte testatur Thuanus ⁴, cum de Carnesecco haeretico agens, eum scribit: « Dia Margaritae Sabaudiae ducis uxoris familiarem ». Carneseccam vero eidem Margaritae auctorem fuisse, ut haereticum alterum, nimirum M. An-

¹ Reg. lib. II. cap. 21. v. 1. — ² Reg. cap. 4. v. 48. — ³ Ibid. lib. cap. 12. v. 45.

⁴ S. Gregor. Homil. 45. in Evang. — ² Phil. lib. in Flacc. p. 828. ³ Ræmund. lib. 7, cap. 2, p. 218. — ⁴ Thuanus, lib. 29, p. 367.

tonium Flaminium, cujus ipse Neapoli ac Viter-
terbii discipulus fuerat, in gratiam reciperet;
testatur Flaminius¹ ipse hoc carmine ad eum-
dem Carneseccam inscripto :

O felix mea ter quaterque Musa,
Cujus versiculos puella regis
Maximi soror, utriusque lingue
Peritissima, cantat ! hoc beato
Nuntio super alta sustulisse
Cæli sidera, Carnesece, carum,
Vetustum, unanimum tuum sodalem.

66. Gallia autem discedentem, et Sabau-
diam potentem Margaritam, eruditorum ac
litteratorum hujusmodi infamiam colluuium
prosecutam esse, testantur scriptores²; unde
mirandum non sit, quæ pro temporum oppor-
tunitate quiverunt, discordiarum ipsos, ut con-
severant, semina sparsisse, Ecclesiæque, cui
potissimum insidiabantur, avidissime arrepto
quocumque obvio fucate rationis colore, quid-
quid valuerunt, detrabere studuisse. Eam au-
tem esse, cum nosset in avita pietate, et Ca-
tholica religione Philiberti constantiam, ut nil
præterea palam contra eam patratum certo
scirent; ideo hoc ab eo obtinere sat habuerunt,
ut parumper antiquam, ac ab inclytis majori-
bus hæreditate acceptam, erga Ecclesiam rever-
entiam saltem minueret; sic enim paulatim
ipsam omnino tandem dejicere confidebant. Uti
enim Evangelicum semen³ respondentem loco
in quo cecidit, fructum, vel trigesimum nempe,
vel sexagesimum, vel centesimum reddidit; ita
pariter, et Diabolicum iniquæ doctrinæ semen,
non æque in omnibus perniciem parem emittit;
pro personarum siquidem animorumque
qualitate dispositioneque operatur; unde sicut
Dei verbum, quod secus viam cecidit, conculca-
tum est; vel supra petram, et natum aruit, quia
humorem non habuit; vel inter spinas et suffo-
catum est; ita plane Diaboli verbum in animis
bene affectis, conculcatur, arescit, humorem
non habet, suffocatur; in aliis vero fructum gi-
gnit, qui licet non semper centesimus, pessi-
mus videlicet ille (uti in eis qui palam in hære-
sum barathrum dilabuntur) non existat; vel se-
xagesimus nihilominus, vel trigesimus merito
dicendus est, et quodammodo nefanda hæresis
scholes, quæ licet fidei vitam non cripiat, spiri-
tuales tamen vires debilitat et infirmit.

67. At ex eadem radice in Caprio episcopo
processisse, non modo in tuenda Ecclesiastica
jurisdictione quam diximus hebetudinem, et
quod sæculari potestati ipsam turpissime subje-
cerit, sed insuper in hæresi insectanda signifi-
cantem, perspicuum apparet. Bellorum enim oc-
casione, cum in Astensi diœcesi, exteri plures
milites castrametati, una secum pestiferam hæ-
resis luem e propriis regionibus detulerant, ea-

que incolas Astenses etiã infecerant. Et lamen-
toso ei opposuerat, ut non parum episcopo ejus
successori, in eo evellendo laborandum fuerit.
De illo ista Ughellius¹: « Fr. Dominicus ex Robu-
reorum Astensium familia, ex inquisitore hujus
civitatis, a Pio V Motu proprio episcopus Asten-
sis electus MDLXXVI, eundem prorsus in hac sua
Ecclesiâ administranda, quem in universali regenda
idem Pius se præbuit. Illius sollicitudini
fertur acceptum, quod suæ diœcesis loca quæ-
dam, in quæ errores Lutheri et Calvinii, ex diu-
tina militum externorum consuetudine irrepse-
rant, omnino expurgavit ». At, sicut in rebus
fidei curandis strenuum sollicitumque se præ-
buit; ita in iis, quæ ad Ecclesiasticam jurisdi-
ctionem pertinebant, intrepidum constantemque
se ostendisse, quæ sequenti anno ponenda erunt
patenter monstrabunt. Ex quo etiã intelligere
erit, quam recte Ecclesiæ ipsi consultum fuerit,
cum, non ad voluntatem nominationemque ali-
cujus, sed eum, quem unus ipsemet cognitum
Pius habuit sibi que probatum pastorem, ei
præficere potuit; qui, nimirum, pro domo Dei
murum sese opposuit, talisque exasit, qualem
quidem fuisse futurum neminem putandum
est, qui ad nutum sæcularium potestatum, ad
id munus evectus, eis proculdubio contraire,
vel non potuisset vel ausus non esset. At de his
pluribus inferius.

68. *Divinæ vindictæ signa Nantux et Genevæ.* — Ostensa sunt autem divinitus celestis
iræ portenta in ipsa Allobrogum regione, hoc
ipso anno, quod forte in ea, quæ juris Ecclesiæ
essent, liberius quam par esset, laica potestas
se gereret; nam in Nantua (ut Natalis Comes²
refer) tanta ventorum vis exorta est, ut tecta
domorum sublimia, maximo cum omnium ter-
rore ac metu, per aera ferrentur; ingentia ligna,
ex humo sublata, vi ventorum extollerentur, at-
que ita formidabilis tempestas evaserit, ut in-
colæ omnes latebras et cavernas subterraneas
ad fugam requisierint. Turres enim præcipuæ
dejectæ fuerunt, arbores radicitus excavatæ,
multique homines sublimes per aera sublatis,
neque unquam cognitum, aut quo rapti fuerint,
aut quid de iis actum.

69. Sed, quod Genevæ hoc eodem tempore
evenisse nonnulli referunt, evidentius fuit divi-
næ justitiæ judicium, in sacrilegos et divina-
rum rerum profanatores³. Primarius quidem
Genevensis senator, consilio et auctoritate sua
egerat, ut in basilica præcipua, Apostolorum
Principi dicata, summi altaris lapis, quem In-
nocentius Tertius et canonistæ cæteri mensam
altaris nuncupare consueverunt, loco moveretur,
et in supplicii locum transferretur, ut su-

¹ Op. lib. 6, n. 35, pag. 70. — ² Morer. in diet. Hist. verb. Margarita. — ³ Luc. 8, v. 5, et seq.

¹ Ital. Sac. Tom. 4, pagin. 574. — ² Natal. Com. Hist. lib. 10, pag. 405. — ³ Vide Tympianum in Theat. Hist. de penis Sacrileg., p. 311.

per eodem lapide damnati decollarentur, ubi jam diu divina fuerant ac tremenda celebrata mysteria, idque in eorum contemptum ac contumeliam. Accidit autem deinde, ut ille ipse, qui sacrilegum consilium dederat, licet ex prima nobilitate fuisset, primus etiam patrati sceleris penas daret, nam ante omnes, super lapide ipso, capitali censura plexus, exemplo suo docuit, sacrilegorum flagitia Omnipotentem quidem ad tempus aliquando dissimulare, non tamen prætereire consuevisse. Ita hic novus Balthassar, cœlestis numinis virtutem expertus est, et veluti Aman, eodem quodammodo suspensus est in patibulo, quod paraverat Mardocheo.

70. *Dissidia inter Tridentinum episcopum et archiducem Austriæ illum Ecclesiam opprimere contentem.* — Non minus quam Sabaudiensia, negotium facessere Pio hoc anno Tridentina, Rem paucis comprehensam accipe ex Gabutio¹: « Archidux Ferdinandus Austriacus (scribit) in Ecclesiæ Tridentinæ civilem ditionem, nescio quid juris sibi esse ratus, quorundam ei male consulentium impulsu, contra veterem centum annorum et amplius consuetudinem, ad id quasi per vim obtinendum, jam Tridentum cohortes emiserat, subsidiariisque ejus urbis militibus, ex illius Ecclesiæ fructibus stipendia solvi staturat ».

Hæc controversiæ summa, quam fere a superiori anno clam agitari cœptam, Pontificem subolevisse, ex eo forte elici posse cognoscitur, quod sub hujus initium, ad delinendum ejusdem Ferdinandi animum, ense ac pileum, solemniter ab se ex more benedictum, ad ipsum miserit, ut speciali ea benignitatis significatione, sibi magis benevolam redderet: deferri-que ad ipsum ea sacra munera voluerit a Camillo Capilupio, cui in mandatis dedit, ut de nonnullis, suo nomine, cum eodem Ferdinando ageret. Epistola² ea occasione a Pio ad ipsum scripta hujusmodi fuit:

« Dilecto filio, nobili viro, Ferdinando, archiduci Austriæ.

PIUS PAPA V.

« Dilecte etc. Consueverunt Romani Pontifices singulis annis, sacratissima nocte qua Salvator noster ortus est, ense et pileum solemniter admodum ritu benedicere, atque postea honoris causa dono alicui Christianorum principum mittere. Quos igitur proxime benediximus, eos, ut nobilitati tuæ potissimum, ad nostræ erga te benevolentiam indicium, de venerabilium etiam fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, mitteremus, impulit nos, cum tua præstans virtus, tum egregia erga hanc

sanctam Sedem pietas, et studium in religionem Catholicam singulare. Est autem hoc munus, sive nostrum de te indicium et paterni amoris affectum ex eo spectes, sive ejus mysterium consideres, cum grato animo, tum magna religione abs te accipiendum. Nam, cum eusem quidem accipies, admoneri te intelligere debebis, ut eo ad fidei Orthodoxæ propagationem utaris. Cum vero pileus capiti tuo imponetur, eo te tanquam galea salutis, et divinæ protectionis umbraculo muniri, et simul significari, cœlestis illius coronæ præmium, quæ benemeritis de Ecclesia Dei, et de Catholica fide principibus proposita ac parata est. Hæc autem utraque, quo religiosius accipias, mandavimus ut tibi ab episcopo, seu alio prælato, post celebrata missarum solemnia, tradantur. Afferenda vero ad te dedimus Camillo Capilupio, cubiculario nostro, ob virtutem, probitatem et fidem suam nobis valde accepto et grato. Cui, cum alia quædam præterea mandata ad nobilitatem tuam dederimus; fidem ejus orationi ut habeas, abs te petimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX Januarii MDCLVIII, Pontificatus nostri anno tertio ».

71. At nihil omnino profuerunt apud Ferdinandum, sive hæc Pontificiæ benignitatis officia, sive Capilupi (si quæ fuerunt) exhibitiones, ut a præstis juris contentione temperaret; imo, ubi res hæc sola verborum pugna acta fuerat; tandem illam vi est aggressus. Ludovicus cardinalis Madrucius, Tridentinus episcopus, ac una cum eo capitulum et canonicum Tridentini statim de illata sibi injuria Pium, scriptis Epistolis, commonendum existimarent. Quibus ille in hunc modum respondit¹:

« Dilecto filio nostro Ludovico, tit. S. Onuphrii presbyt. cardinali Madrucio, etc.

PIUS PAPA V.

« Dilecte etc. Querela tua, de molestiis tibi et Ecclesiæ tuæ regimini exhiberi cœptis commoti fuimus, perinde ac pro universarum Ecclesiarum, nobis licet indignis commissa sollicitudine, et pro paterno, quo te, tuis ita merentibus virtutibus, prosequimur, amore, debuimus. Cum tua et Ecclesiæ tuæ causa dolemus, te molestia affici; tum etiam illius principis causa, quem, quo magis pium magisque Catholicum esse novimus, eo magis dolendum est, ab aliquibus suis domesticis, non tam existimationi ejus, quam proprio commo servientibus, ad talia impulsum fuisse. Speramus fore ut paterna admonitione nostra sese colligat: sed, si litteræ nostræ minus profecerint, dilecto filio nostro Carolo cardinali Borromæo mandavimus, ut sese ad eum conferat, nostro nomine, Ecclesiæ tuæ causam diligenter, ita ut tibi

¹ Gabut. Vit. Pii libr. 4, cap. 7. — ² Ex Archiv. Vatican. N. Agio Ant. Florebello Secretario.

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

visum fuerit, aclusus. Hortali quoque fuimus charissimum in Christo filium nostrum imperatorem electum, fratrem suum, ut Casarea sua et fraterna simul auctoritate ab ea mente deducere studeat. Sed, si, quod absit, te vexare perseveraverit, ad nos venire te volumus, qui, nec tibi, nec capitulo tuo defuturi sumus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xv Maii MDLXVIII, Pontificatus nostri anno tertio ».

Ad capitulum Tridentinum ¹.

« Dilectis filiis decano et capitulo Ecclesiæ Tridentinæ.

PIUS PAPA V.

« Dilecti filii etc. Non sine magna animi molestia cognovimus, de molestia quæ vobis exhibetur. Pareat Deus illis, qui tam pium et Catholicum principem ad talia impulerunt. Laudamus vos, quod ea qua decet concordia una cum episcopo vestro causam vestram et Ecclesiæ vestræ lueri cœpistis. Sed perseverandum constanter in proposito vos hortamur. Scripsimus ad illum principem de hac re diligenter: speramus paternis hortationibus nostris eum commotum iri, et conscientiam et famæ suæ consulturum esse. Confidere autem vos debetis, auxilium nostrum non defuturum: vel quia ad officium nostrum pertinet omnium Ecclesiarum jura et libertatem lueri; vel quia res ad exemplum pertinet, vel quia episcopum vestrum tanti facimus, quantum egregia ejus virtute et probitas meretur. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xv Maii MDLXVIII, Pontific. nostr. ann. tertio ».

72. Juxta ea, quæ in his dicuntur, Epistolæ fuerunt, quas ad Maximilianum Cæsarem, et archiducem Ferdinandum Pontifex scripsit, et hujusmodi sunt:

Ad Maximilianum ².

« Charissimo in Christo filio nostro, Maximiliano, in Roman. etc.

PIUS PAPA V.

« Charissime etc. Exponi nobis curavit ven. frater episcopus Tridentinus, cardinalis Madrucius appellatus, magna sane cum modestia, quantopere curet dilecti filii nobilis viri Ferdinandi archiducis Austriæ, germani tui, gratiam et benevolentiam obtinere, ac nullam cum eo controversiam habere. Queritur autem factum esse, nonnullorum pravorum suavorum impulsu, ut quædam tentari cœperint, contra centum et amplius annorum consuetudinem, ut dicit, per quæ Ecclesiæ suæ jura maxima ex parte minuuntur. Sane quo magis pium et Catholicum principem et majorum vestrorum inclytæ memoriæ principum, similem ipsum ar-

chiducem novimus; eo magis mirati sumus ab eo talia tentari. Illud quoque cogitamus, rem hæc nimis mali exempli esse; si enim tam Catholicus princeps manus Ecclesiarum bonis admovebit; quid alios facturos esse sperandum est? Sed, cum probitatem ejus cognitam habeamus, hoc factum culpa aliquorum esse persuasum habemus, qui gratiam ejus aucupantes, Deum offendere non verentur, dum principi suo placent. Illud plane credimus, majestati tuæ non placere, isto modo agi, nec jure peti, quod legibus et judicio obtineri possit. Si archidux aliquod se jus habere existimat, leges habet, quibus agere potest; habet majestatem tuam, cujus arbitrio ea controversia componi poterit. Quocirca majestatem tuam hortamur in Domino et rogamus, ut auctoritatem suam interponat, et fratrem suum, ab ulla vi adhibenda, et pro Casarea et pro fraterna auctoritate deducat, cum nihil tam contrarium juri sit, quam vis; qua qui utuntur, non intelligunt se jus suum in injuriam convertere. Consulat pro sua pietate et sapientia fratris sui exislimationi, nec bonum ejus nomen, hac labe pollui patiatur. Det hoc etiam M. T. sanctæ Sedis Apostolicæ reverentiæ, ut ab hujusmodi factis eam dehortetur, quæ necessariam dignitatem ipsius Sedis essent violatura. Curæ quidem est nobis, sicut esse debet, ut Ecclesia illa in possessione bonorum suorum permaneat; sed pro paterno amore nostro, erga eum archiducem, æstimationi quoque et famæ ejus consultum cupimus. Hac autem eadem de re nuntio nostro mandavimus, ut quam diligentissime tecum agat. Non minore nos molestia, quam ipsum episcopum, T. M. maximum cultorem liberabis, si auctoritate tua hæc controversia sedata fuerit. Ad quam componendam ut incumbas, majestatem tuam, quanto possum studio, iterum hortamur ac rogamus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xv Maii MDLXVIII, Pontific. nostr. anno tertio ».

Ad Archiducem Ferdinandum ¹.

« Dilecto filio, nobili viro, Ferdinando, archiduci Austriæ.

PIUS PAPA V.

« Dilecte etc. Venerabilis frater episcopus Tridentinus, cardinalis Madrucius appellatus, exponi nobis curavit, summa sane cum modestia et testificatione sui erga te studii atque observantiæ, quantopere cupiat nobilitatis tuæ gratiam obtinere, et nullam cum ea controversiam habere; eoque se molestius ferre quod a pravis quibusdam suasoribus, tibi magis quam Deo placere cupientibus, inductus sis, ut nonnulla tentari patiaris contra centum et amplius annorum, ut dixit, consuetudinem, per quæ

¹ Ibid. ut supra. — ² Apud Gauban. Epist. lib. 3, Epist. 8.

¹ Ex Archiv. Vatican.

Ecclesiæ Tridentinæ jura, maxima ex parte minuuntur. Sane, cum incidit mentio de iis, quos Catholicos principes et pios Ecclesiæ filios esse compertum habemus in iis nos te præcipue nominare ac tuam in primis pietatem commemorare et prædicare consuevimus, et tantum tibi tribuere, ut hac pietatis et religionis laude te multo majorum tuorum, adeo piorum ac Catholicorum principum, inferiorem non esse affirmemus. Quo dolentius audivimus nos quoque, et mirati sumus, quicquam hujusmodi tua voluntate tentatum, quod a principibus tui dissimilibus fieri soleat, qui Deum non verentur, nec censuras Ecclesiasticas metuunt, in quas incidunt quicumque Ecclesiarum jura minuere, et bonis earum manus admoveere audent. Illud quoque cogitamus, si tu tantus ac tam Catholicus princeps tale exemplum introduxeris, non defuturos alios minores, et tui non ita similes, qui illud imitentur. Quocirca nobilitatem tuam hortandam in Domino et rogandam duximus, ut, repudiatis pravis suasoribus, qui commodi sui causa, gratiam tuam quærunt, quibuscumque auxiliis ipsum episcopum, qui propter egregias virtutes suas et insigne studium erga te ac domum tuam inclytam Austriæ, gratia tua dignissimus est, quique in illis locis tanquam columnen est Catholicæ religionis, hujusmodi molestia atficere desistas; et eo magis ab hujusmodi factis abstineas, quo gravius divinam majestatem offenderes, et gloriosum nomen tuum majori macula et labe pollueres. Si tamen aliquid te juris habere existimas, non vi, sed judicio jus tuum persequi debes. Sunt leges, secundum quas ea controversia adjudicari queat. Est Cæsar, quo iudice vel arbitro, componi possit. Vis quidem adeo juri contraria est, ut jus in injuriam convertat, a qua ob eam quoque causam abstinere te cupimus, quod hujus quoque sanctæ Sedis dignitatem, quæ nobis diligenter tuenda est, non parum læderes, quod certe a pietate tua nimis alienum foret. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xv Maii MDLXVIII, Pontificatus nostri anno tertio ».

73. Æquiora certe petere Pius non poterat, utpote qui sic sarta tecta Ecclesiastica jura voluit, ut tamen prætenso jure suo, exturbatum minime Ferdinandum contenderit, quem dumtaxat rogavit, ut ab injuriis abstineret. Et quidem Ferdinandum ipsum hoc tempore, non modo rem vi agere cæpisse, sed etiam his quæ patraverat deteriora interminatam esse, ex hac Epistola elicitur: ex qua nihilominus educi minime potest, Pium ad Maximilianum ideo causam hanc rejici voluisse, quod ad ipsum Ecclesiastica jura hæc cognoscere pertinere existimaret, sed tantum, ut laicales ausus, utraque audita parte, coerceret, amicabiliterque, prout, et leges, et ratio vellet, componeret. Et

revera ex scribendi Pii ratione patenter elicitur, potius uti arbitrum, quam judicem Maximilianum adiri voluisse: nam ubi demum, ut infra dicitur, concordia omnis spes abjecta est, ex sacris legibus et censuris litem dirimere ad proprium suum spectare munus existimavit; effecissetque, nisi ab ea sententia revocatus, ratio inita fuisset, qua tandem controversiæ finis impositus est.

Quæ autem a Pontifice ad Carolum cardinalem Borromæum scripta fuit Epistola ¹, qua illum se Tridentum conferre jussit, hujusmodi extitit:

« Dilecto filio nostro Carolo, tit. S. Prædixis presbyt. card. Borromæo.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Singularis tuus Dei Omnipotentis, et sanctæ hujus Sedis, cujus in primis honorabile membrum es, honoris zelus, facit, ut curas et molestias nostras tecum fidenter partiamur, et opera tua ad graviora negotia sæpe utamur. Cognosces ex litterarum exemplo, quas dilectus filius noster collega tuus, cardinalis Madrutius ad nos scripsit, quod contra Ecclesiam suam Tridentinam tentari cæperit a dilecto filio, nobili viro Ferdinando, archiduce Austriæ; cujus cardinalis querela, perinde ac debuimus, commoti, scripsimus ad ipsum archiducem, (sicut ex litterarum nostrarum exemplo etiam cognosces) de hac re admodum diligenter, itemque ad charissimum in Christo filium nostrum, Romanorum imperatorem electum, hortantes, ut fratrem suum ab ea mente deducere velit. Sed quia nihil commodius esse putamus, quam mittere ad ipsum archiducem aliquem magnæ auctoritatis virum, qui coram de ipsa re agat: personam tuam potissimum elegimus, ad hunc suscipiendum pro nobis et hac sancta Sede laborem. Quocirca petimus, ut si cardinali Madrutio ita visum fuerit, ad archiducem Ferdinandum te conferas; de hac re diligentissime, pro data tibi prudentia, nostro nomine, sicut ille petierit, acturus. Causam Ecclesiæ suæ is te plane edocendam curabit. Circumspectio tua videt, rem hanc vel maxime ad exemplum pertinere. Itaque sedulo admodum princeps ille admonendus sit, ut conscientia suæ et famæ consulat, neque tam malum exemplum aliis principibus, ille, qui illo genere ortus est, qui tam Catholicus princeps, et habetur, et est, præbeat. Habeat etiam rationem dignitatis hujus sanctæ Sedis; hisque et aliis rationibus, quas prudentia tua tibi suggeret, ne tali molestia, tam insignem cardinalem, et sui, et totius inclytæ domus Austriacæ studiosissimum, afficiat, erit adducendus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die

¹ Ex Archiv. Vatic. ibid. ut supra.

xv Maii MDLXVIII, Pontificatus nostri anno tertio ».

Cardinali Madrucio duo Pontifex proposuerat, ut relicto nempe Tridento se Romam conferret; aliud, ut cardinalis Borromæi opera apud archiducem uteretur, si vellet. Utrumque Madrucio deprecatum esse, evidentissime patet; nam, nec ipsum Tridento discessisse, nec Borromæum Tridentum adivisse invenimus. Forte suspicatus est, nec immerito, Madrucius, ubi dux ipsimet defuisset, qui Ecclesiasticam arcem tueretur, majori impetu hostes eam aggressuros, et e contra magis indignari archiducis animum quam leniri, ex cardinalis Borromæi adventu officisque credidit; quod non tam ratione, quam ipsa dignitate et auctoritate, Madrucium se expugnare velle putare posset.

Verum, ex rejectis his a Pio exhibitis remediis, quin convalesceret, in deteriora ægrotus prolapsus est. Qui ignem discordiarum inter Madrucium et archiducem fovebant, pactionem quandam, ab ipso Madrucio cum eodem archiduce ante adeptum episcopatum factam protulerunt, qua controverso juri se cedere profitebatur. Ad hæc accesserat cujusdam canonici facinus, qui, ut facilius, quas merebatur, ex sacrorum canonum sanctionibus, pœnas evaderet, ab aliis sese subtraxerat, seseque hostibus addidisse visus fuerat. Et quia jus Madrucii, ut audivimus, possessioni potissimum contende-batur inuixum: illud pariter, qui Ferdinando assentabantur labefactare connixi sunt, utpote qui juris ipsius Ferdinandum Cæsarem patrem potius esse assererent. At hæc, ut ita dicamus, assimilata erat rationis species; nam inter utramque partem, et ex ea præcipue Ferdinandi, res jam conviciis, maledictis, injuriis, imo, non tam verbis malis, quam (ut inuimus) nequioribus factis agebatur.

74. Ad Pium igitur rursus fugiendum fuit, ut denuo apud archiducem intercederet, ne res militari, sed civili more ageretur. Officium Pontifex non detrectavit. En Epistolæ, quas ad utrumque, nempe ad cardinalem Madrucium et ad archiducem Ferdinandum scripsit ¹.

« Dilecto filio nostro Ludovico, cardinali Madrucio vocato.

PIUS PAPA V.

« Dilecte etc. Iterum scripsimus ad nobilem virum, Ferdinandum Austriæ archiducem, pro Ecclesia tua, cujus causa est nobis cordi, perinde ac decet. Litterarum nostrarum exemplum ad te mitti jussimus: displicere nobis significavimus, rem etiam aliter agi ac oporteret. Id culpa aliquorum evenire certum habemus, qui animum ejus irritare atque accendere conantur. Tales discordiarum satores, ne au-

diat, hortamur; sed, si quid juris sibi competere putat, vi et minis ommissis, id legibus et judicio consequatur. Circumspectionem quoque tuam hortamur, ut tu quoque ministros tuos admoneas, diligenter caveant, ne verbis ullis asperioribus causam deint tali principi, vehementius indignandi. Quam quidem, quod ad te attinet, nullam ei daturum iri confidimus. Tametsi pactionem illam, quam cum eo fecisse diceris, antequam creareris episcopus, laudare non possumus: ea tamen jus Ecclesiæ tuæ imminui non potuit, sicut ipsi scripsimus, præsertim, si per centum antea annos Ecclesia in ejus juris possessione perpetuo manserat. Tamen, qui archiducis causam agunt, non repeti, nisi eam possessionem, abs te dicunt, quam gloriosæ memoriæ genitor ipsius Ferdinandus, dum viveret, obtinebat. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, Die xvii Augusti MDLXVII, Pontificatus nostri anno tertio ».

Ad archiducem Ferdinandum ².

« Dilecto filio, nobili viro, Ferdinando, archiduci Austriæ.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Officii nostri memores, præterire non possumus, quin iterum ad te de Tridentina causa scribamus, scandalis quæ oriri possunt, prudentia et moderatione tua occurrere cupientes. Et sane, cum noverimus, quam tu probus et Catholicus princeps sis, dubium non habemus, ea, quæ adhuc acta sunt et aguntur turbulentius contra episcopum Tridentinum, non tua sponte, sed aliquorum impulsu facta esse et agi, qui ea ratione gratiam se abs te invenire putant: qui, dum utilitati tuæ servire se credunt aut simulant, non intelligunt, ea se tibi suadere, quæ bonum et gloriosum nomen tuum, cui in primis servire atque consulere deberent, quadam macula polluant. Non tamen ii nos sumus, qui te juris tui jacturam facere æquum esse censeamus; sed ministros tuos, te nesciente, vi et minis et terrore abstinere cupimus, cum, sicut alias scripsimus, sint leges, secundum quas ea controversia dijudicari possit et debeat, qua via jus tuum prosequi deberes, etiamsi res tibi esset cum adversario, homine ignoto. Cum vero is sit episcopus Tridentinus, cujus perpetuam et singularem observantiam erga te atque totam inclatam domum tuam, perspicere potueris, qui ita se erga te gerere semper studuerit, ut merito sit abs te diligendus. Cujus ea virtus, ea modestia, ii mores sunt, ut his temporibus quamplurimos ei similes in illo ordine existere optandum sit; nequaquam decet isto modo cum eo agi, neque quod Ecclesiæ suæ jura, sicut officium ejus po-

¹ Ex Archiv. Vaticano. ut supra.

² Ex Archiv. Vaticano ut supra.

stulat, lueri et conservare conlittur, irasci debet. Quod si quam is tecum, antequam episcopus esset, pactionem inconsulte fecit Ecclesiae suae damnosam, constat non potuisse jus suum Ecclesiam propterea amittere. Nec id in dubium vocandum, si per centum annorum spatium retentum fuerat. In canonicum autem illum, qui culpam suarum sibi conscius, ut facilius sacrorum canonum poenas effugeret, a reliquis se canonicis segregavit, quod ad exequendum mandatum Apostolicum paratum se episcopus ostenderit; non est, quod nobilitas tua ea succenseat. Rem enim canonicus ille mali et pravi exempli egit, neque dignus est, ut ullus ei favor abs te impendatur. Quocirca nobilitatem tuam iterum paterne hortamur, ut cogitans, quam gratum sit Deo, quidquid ejus honoris causa, Ecclesiis et sacerdotibus ejus reverentiae praestatur, in controversia adversus episcopum et Ecclesiam suam, causam ita agat, ut agi hujusmodi causas oportet et decet, et ministros tuos a vi et minis et contumeliis abstinere jubeat. Nos enim sincere illum in Domino diligentes, id ei suademus, quod rectum et justum, et prudentia dignum est. Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII Augusti MDLXVIII, Pontificat. nostr. anno tertio ».

75. Cum igitur (ut ex his Epistolis apparet) dissidium id inter archiducem ac Madrutium facile componi non posse Pontifex intelligeret, et factis et mutuis verborum pugnis in dies rerudescens, pars una alteram vel veris vel fictis criminationibus dejicere studeret, adeo ut, offusis muluarum accusationum tenebris, quae veritati ac justitiae magis consona essent, internoscere difficilium esset; secum prudenter reputans Pius, Epistolis hinc inde missis, nil profuturum, ad controversiam cognoscendam primum, componendamque deinde, Scipionem Lancellottum S. Rotae auditorem in Germaniam, quo jam pridem, cum cardinali Commendano, ad Augustana comitia missum retulimus, denuo mittendum duxit. Quapropter, eodem Augusto mense nondum elapso, eidem in viam se dare jussit, deferendasque, quas fidei vocant, hujusmodi ei litteras¹ tradidit:

« Charissimo in Christo filio nostro, Maximiliano, Ungariae et Bohemiae regi illustri, in Romanum imperatorem electo.

PIUS PP. V.

« Charissime etc. Majestatem tuam certum habemus nosse, quae controversia, inter nobilem virum Ferdinandum, archiducem Austriae, et cardinalem Madrutium exorta sit. Ejus controversiae causa pro paterno amore, quo utrumque eorum prosequimur, ad majestatem tuam

dilectum hunc filium Scipionem Lancellottum, unum ex nostris Rotae auditoribus mittimus, cum mandatis, quae ex eo majestas tua cognoscet. Cujus orationi fidem, ut habeat, eandem M. T. rogamus. Datum Romae apud S. Petrum, sub etc. ultimo Augusti MDLXVIII, Pontific. nostr. anno tertio ».

Ad archiducem Ferdinandum.

« Dilecto filio, nobili viro, Ferdinando, Archiduci Austriae.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Ad nobilitatem tuam mittimus dilectum hunc filium Scipionem Lancellottum unum ex nostris Rotae auditoribus, ejus controversiae causa, quae inter nobilitatem tuam, et dilectum filium cardinalem Madrutium exorta est, eximio amore, quo utrumque vestrum prosequimur. Eum, ut ita audias, ut si nos ipsos audires, a nobilitate tua petimus. Datum Romae die ultima Augusti MDLXVIII, Pontific. nostr. anno tertio ».

76. Ejusdem fere exempli, sub eodem anno, eademque die, in Vaticano Regesto litterae habentur a Pontifice ad cardinalem Madrutium, et ad capitulum et canonicos Tridentinos scriptae. At, cum eidem omnia sollicito animo obversanti, sub idem tempus in mentem venisset, Albertum Bavariae ducem, principem, ut toties vidimus, sibi devinctissimum, ad invisendum archiducem Ferdinandum Oenipontem se contulisse; optimam haud praeterendum occasionem hanc censuit, qua in dies ingruenti inter ipsum archiducem et cardinalem Madrutium dissidio mederetur; cum apud Ferdinandum vix cogitare esset, quempiam alium esse posse, qui, ut Albertus, et pietate, et affinitate, et auctoritate etiam valeret. Sequentes igitur Epistolas ad ipsum dedit¹, in quibus eximia in primis elucet Pii integritas ac justitia, qua in his quae ad controversum jus pertinerent, quod satis sibi compertum non esset, neque pro Ecclesia, nec contra Ecclesiam aliquid statuit; queriturque tantum de modo, quo jus suum defendere Ferdinandus luerique curabat; ut alias, ne dicamus semper, dixisse vidimus:

« Dilecto filio, nobili viro, Alberto, Bavariae duci.

PIUS. PP. V.

« Dilecte etc. Peroportune accidere nobis visum est, ut Oenipontem ad dilect. fil. nobil. virum Ferdinandum archiducem Austriae affinem tuum veneris; nam, cum sciamus, quantum inter vos diligatis, et quantum apud eum auctoritate valeas, personam tuam maxime idoneam fore existimavimus, ad componendum controversiam, quae inter illum et cardinalem

¹ Ex Archiv. Vaticano. ut supra.

¹ Ex Archiv. Vaticano. ut supra.

Madrutium exorta est, non sine magna sane animi nostri molestia, qui utrumque enixe diligimus, et omnibus simultatibus, turbis et scandalis materiam subtrahi, communis patris animo cupimus. Archidux, sicut accepimus, jus repetit, quod gloriosæ memoriae Ferdinandum Romanorum imperatorem electum, patrem suum habuisse in civitate Tridentina dicit. Cardinalis Ecclesiam suam Tridentinam, in ejus juris possessione, centum et eo amplius annos permansisse defendit. Utrius causa sit melior, nobis minime constat; sic tamen sentimus, æquum esse, et probitate ac moderatione tam Catholici principis dignum, ut in causa hujusmodi, vi et minis ministros suos abstinere cogat. Nihil igitur non promittentes nobis de nobilitatis tuæ probitate, dexteritate et prudentia, petimus non minore, ac si res nostra esset, studio, ut auctoritatem tuam interponere, et omni comitate adhibita, curare velis ac perficere, ut suo uterque eorum jure contentus sit. Rem nobilitas tua aget valde se dignam, nobis vero gratissimam. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, 1 Septemb. MDLXVIII, Pontific. nostr. anno tertio ».

Sub ipsa die significavit etiam cardinali Madrutio, quæ cum Bavariæ duce egerat, monuitque paterne, ut quantum, salva conscientia, liceret, componendæ controversiæ ipse quoque studeret, sequenti Epistola :

« Dilecto filio nostro Ludovico, cardinali Madrutio vocato.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Controversiam inter te etobilem virum, archiducem Austriæ, non sine magna animi nostri molestia exortam, terminare, sicut justum fuerit, substracto omni simultatibus et turbarum fomite, pro communis patris officio cupientes, egimus cum nobili viro, duce Bavariæ, ut auctoritatem suam interponat apud ipsum archiducem, affinem suum, civitate quoque comitate, prudentia et dexteritate sua, ut vitatis quæ oriri possent scandalis, suo iure contentus sit. Quam ad rem, sicuti archiducem hortati sumus, ut se facilem præbeat, ita circumspeditionem tuam quoque hortamur, ut eo contenta sit, quod justum sit et æquitate consentaneum. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1 Septembris MDLXVIII, Pontific. nostr. anno tertio. »

77. Privata, ut ita dicamus, hac Tridentinæ Ecclesiæ contentione, iniquissimo animo tulisse se detineri, Pontificem censemus, quod (ut haud raro accidere solet) majora, quæ pro Dei gloria et Ecclesiæ utilitate meditabatur, hac de causa perturbari metueret. An vero Bavariæ dux, injuncto sibi a Pio munere perfunctus sit, ignoramus: unum id constat, nec forte illius, nec etiam Melchioris Billii, Apostolici nuntii,

nec cardinalis Commendonii (quem hoc ferme tempore, ad Maximilianum Cæsarem legatum missum, inferius narrabimus) nec cujusvis alterius Ferdinandum delinutum officii, ab inferenda vi abstinuisse; et verbis diu aluisse Lancelottum, qui iisdem forte verbis, spem fecit Pio, ex sententia rem brevi compositam iri. Verum, cum in longum illa protraheretur, et interim archidux injuriis finem non faceret, quibus Ecclesiastica jura conculeare ac sibi vindicare contendebat, id Pius in Ecclesiæ detrimentum cedere intelligens, rem diutius non ferendam censuit, et hoc dilabente anno, dura increpatione Lancelottum, uti officio suo segner functum, corripuit, et quod demum archiduci denuntiaret, hac Epistola ¹ præscripsit.

« Dilecto filio, Scipioni Lancelotto, sac. nostr. palatii Rotæ auditori.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Cum te isthuc, atque ad dilectum filium in Christo Ferdinandum, archiducem Austriæ ea de causa misimus, ut eum ab Ecclesiæ Tridentina ulterius perturbanda atque amplius vexanda nostro nomine dehortareris, daresque operam, ut, quas controversias habet cum ea Ecclesia, eas justitiæ decidendas permetteret: de tua in Domino diligentia et prudentia confisi fore speravimus, ut res ipsa hæc tota, meliorem aliquando commodioremque in statum per te collocaretur. Hoc, tantum abest, ut opera tua quod sperabamus, assecuti simus, ut certiores facti simus, res illius Ecclesiæ pejore, quam, quo nunc sunt, loco esse non posse; cum et ipse archidux, post tuum isthuc adventum, plura et graviora semper ipsi Ecclesiæ detrimenta et præjudicia intulerit, neque spes aliqua ostendat fore, ut contumeliam et injuriam aliquando finem faciat. Id autem ob eam rem accidisse, quod ab eo tibi dari verba passus sis, parumque efficaciter apud ipsum, tum ipsius Ecclesiæ Tridentinæ causam egeris, tum Apostolicæ Sedis auctoritatem ab eo contemptam, nimis leniter tuleris. Quæ, si vera sunt, valde tecum de his rebus expostulantes, tibi disRICTE præcipientes mandamus, ut has nostras ad prædictum archiducem litteras, quarum tibi exemplum inclusum mittimus, illico atque acceperis, ei reddas: aperteque ei nostris verbis denunties, nisi nobilitas sua liberam ejus Ecclesiæ possessionem, eo modo, quo a centum annorum spatio, ad hoc usque tempus fuisse dicitur, intra terminum tibi visum brevem, dilecto nobis filio cardinali, Madrutio vocato, restituerit; ea tamen conditione, ut sibi quas habere se putat, actiones pro justitia decernendas decidendasque reserves; te nullis excusationibus præterea auditis, subito ab eo discessurum, atque ad charissimum in Christo

¹ Ex Archiv. Vatican. signat. 2906.

filium nostrum imperatorem, eo animo profecturum, ut ultimo isto excusationis paterno officio apud majestatem suam interposito, eam deinde in eas rationem, qua, et muneri tuo satisfacere, et dignitati auctoritatisque Sedis Apostolicæ, ea, qua par est, ratione, consulere possis. Fac igitur, ut commissum hoc tibi a nobis officium ita exequaris, ut tuam in Domino diligentiam et sedulitatem, magis quam adhuc potuimus, laudare in futurum possimus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die ultima Decembris MDLXVIII, Pontificatus nostri anno tertio ».

Epistola ¹, quam, Pio mandante, Ferdinando Lancellottus exhibuit, sic se habuit :

« Dilecto filio, nobili viro, archiduci Austriæ, Ferdinando.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Quo te magis, ut Catholicum principem, et Apostolicæ Sedis devotum, et honoris Dei studiosum, præcipua semper benevolentia paternaque charitate dileximus, et nunc quoque diligimus, eo majorem animi dolorem accipere cogimur, si quid de nobilitate tua ad nos affertur, quod ab his tot tantisque tuis virtutibus alienum ac remotum esse videatur: veluti in ea controversia, quæ tibi est cum dilecto nobis filio, cardinali Madrutio nuncupato, ratione Ecclesiæ Tridentinæ. Scis quantopere, misso isthuc, etiam dedita opera, ad eas controversias componendas, Sedisque Apostolicæ nuntio, dilecto filio, magistro Scipione Lancellotto, Rotæ et sacri nostri Palatii auditore, laboraverimus, ut istæ inter vos controversiæ pro æquitate et justitia tollerentur. Hoc autem, non modo consequi a nobilitate tua non potuimus, ut paternis scilicet nostris precibus monitisque acquiescens, ab ejus Ecclesiæ vexatione desisteres, ut certos facti simus, te quotidie novas injurias novaque ei Ecclesiæ præjudicia inferre. Quibus quidem ex rebus, eo vehementiori dolore molestiaque afficimur, quo nobis plura et majora de tua in nos sanctamque hanc Sedem reverentia polliciti eramus; ut etiam nobilitatem tuam, nostra causa, de suo jure, sponte pro sua in Ecclesiam Romanam devotione, aliquid remissuram condonaturamque esse sperarem; nedum ad ea, quæ nobis tantopere molesta esse sciebat, aliquid præterea hoc tempore tibi addendum putaret. Quare nobilitatem tuam hortamur, monemus atque obtestamur, ut, reservata sibi actionum suarum actione, ejus Ecclesiæ possessionem prædicto cardinali Madrutio liberam eo modo restitua, quo a centum annorum spatio, ad hoc usque tempus fuisse dicitur. Hoc ita a te petimus, ut majore animi studio ac con-

sentione petere non possimus. Hoc, si nobilitas tua, quemadmodum speramus, sibi faciendum esse duxerit, præterquam quod nos nullum paterni erga te amoris nostri declarandi locum unquam præmitteremus, faciet præterea id, quod et æquitas ipsa postulat, et Catholici principis erga sanctam hanc Sedem obedientia exposcit. Si vero (quod minime putamus) pertinacius in tua sententia tibi manendum putaveris, ipso tuo facto excommunicationem incurres, cujus quidem excommunicationis declarationi, nisi eam Ecclesiam in integrum restitueris, nos, pro nostro pastoralis officio, deesse non poterimus. Sed speramus, nobilitatem tuam pro sua prudentia, proque sua ac majorum suorum inclytæ memoriæ principum, erga Sedem hanc Apostolicam pietate, desiderio nostro officioque suo simul satisfacturam; quod, ut facias, te vehementer rogamus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die ultima Decembris MDLXVIII, Pontificatus nostri anno tertio. »

78. Ac ejusdem ferme tenoris extitit Epistola, sub iisdem die et anno, ad Maximilianum imperatorem a Pio scripta, quæ edita habetur a Francisco Gaubau ¹ in Apostolicarum Epistolarum Pii ejusdem Lib. II, estque Epistola xxv. Nisi quod signanter in ea dolet, quod Ferdinandus militum manum Tridentinæ Ecclesiæ pecuniis conscribi jusserit, et jusjurandum, quod ab ipsius civilatis consulibus semper episcopis præstitum fuisset, sibi præstari imperaverit. Apud eundem Gaubau etiam edita habetur altera ad cardinalem Madrutium ², data sub die xxvi ejusdem mensis Decembris, ex qua rursus elicitur, ad terminanda extrema, quæ retulimus, censurarum remedia, Pontificem devenire voluisse, postquam magis comperta Tridentinæ Ecclesiæ jura habuit, deprehenditque, non tantum in modo (quem semper, ut vidimus improbat), sed reipsa eandem Tridentinam Ecclesiam injuste oppressam. Inter alia siquidem dicit :

« Nihil utilius est, vel ad sacerdotum existimationem bonamque famam tuendam, vel ad laicos in officio et reverentia erga sacerdotes continendos, quam si Ecclesiarum bona, in eos, quos decet, sumptus erogentur. Quod, quo verius esse cognoscitur, eo magis dolemus, cum nuper certiores facti sumus, non sine magna animi nostri molestia, velle te quibusdam militibus, quos dilectus noster in Christo filius Ferdinandus archidux Austriæ idcirco isti civitati imperavit, ut eo præsidio tuti sint ministri quidam ipsius, in eadem civitate commorantes, stipendium ex redditibus istius Ecclesiæ Tridentinæ persolvere. Hoc, quia omnino æquum

¹ Apud Gaubau pagin. 122. — ² Apud eundem lib. eodem Epist. 24 pag. 121.

¹ Ex Archiv. Vaticano. ut supra.

non est, neque nos ullo pacto fieri volumus, et tu, pro officii tui munere, cognoscere debuisti, Ecclesiarum redditus et proventus, non ad ejusmodi res impendi decere, sed ad eas tantummodo ad quas instituti sunt: quæ quidem quales sint, quia te pro ratione ejus ordinis atque loci, quo te Deus Omnipotens constituit, non ignorare arbitramur; ideoque eas diligentius prosequi superaedemus etc.» Cætera quæ ad causam hanc pertinent, in sequentem annum sunt rejicienda.

79. *Austriæ archiduci Pius demittit vexationes illatas in Colmariense capitulum.* — Ipsum vero, quem coercere debuit Pontifex Ferdinandum, Austriæ archiducem, in potestate Tridentinæ Ecclesiæ jura invadentem; hoc ipso tempore enixe deprecarî coactus fuit, ut Ecclesiasticos viros, eorumque immunitates, a Colmeriensis senatus injustis vexationibus ac tyrannide, auctoritate ac pietate sua eriperet. Qui ipsum constituiebant senatum, per plurimam partem, cum perditissimi hæretici essent, nil magis cordi habebant, quam ut sacrum Ordinem injuriis quotidie læcesserent, immunitatibus expoliarent, vectigalibus importabilibus onerarent, ac, si fieri posset, omnino tandem delerent. Quod quidem facile sibi ex sententia eventurum sperare poterant; vel alio, videlicet, demigrare coactis, qui aderant, sacerdotibus; vel minime futuris aliis, qui in eorum locum subrogari velent. Insignis Collegiata S. Martini Colmeriæ vim hanc sibi illatam apud Pontificem quæstæ est: Pontifex vero apud præfatum archiducem sequenti Epistola:

« Dilecto filio, nobili viro, Ferdinando archiduci Austriæ.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Dilecti filii, præpositus et decanus Ecclesiæ Collegiatae S. Martini, quæ est in insigni oppido Colmeriæ, provincie Alsatiæ, Basileensis diæcesis, justissimam apud nos querelam detulerunt, adversus senatum, Colmeriensem, in qua, cum multa alia gravia, acerbique quesiti sunt, quibus Ecclesiam suam ejusque bona, ab eo senatu, præter jus et æquitatem vexari exposuerunt, tum illa præcipue, quod sacerdotes per summam injuriam cogantur, sive rei sint sive actores, in quibuslibet causis, coram sæcularibus iudiciis comparere, et si recusent, in carcerem et vincula conjici. Quodque idem senatus, ejusdem Ecclesiæ capitulo nova quotidie onera vectigalium imponat, non modo ea, quæ ipsum omnino ferre non possit, sed quæ ab eo nullo modo exigere liceat. Quin etiam illud addiderunt, cum, superiore anno, senatu magnam pecuniarum summam a capitulo poscente, capitulum ipsum, quod ab episcopo, ut æquum est, id facere prohibitus esset, eam pecuniam solvere recusa-

vissent: omnibus reddilibus suis ab eo detentis, expoliatum fuisse. Quibus ex rebus illud, quod nobis molestissimum est, accidere significaverunt, ut Ecclesiæ illa paulatim doctis et idoneis sacerdotibus, ejusmodi injuriarum metu territis, dilabentibus, ad summam solitudinem redigatur, cultusque divinus, non sine gravissima apud Deum offensione, intermittatur. Hoc autem fieri, quia cum plerique ex eo senatu hæreticæ pravitatis labe infecti sint, nihil aliud sibi propositum habere videntur, quam ut non modo prædictum capitulum, quod multis Summorum Pontificum et imperatorum ornatissimum est privilegiis, sed etiam Catholicos omnes novis quotidie damnis et contumeliis afficiant. Hæc omnia te ignorare pro certo habemus, nam, si scivisses, quæ tua in Deo est pietas et religionis studium, nunquam passurus esses, homines sacerdotes, quos Cæsar frater tuus, in suam fidem defendendos tuendosque specialim recepit, et fidei tuæ, tanquam Hagoliensi balivo, commisit et commendavit, tot tantisque detrimentis injuriisque vexari. Quamobrem, et si certo scimus, te, cum hæc intellexeris, non minori dolore atque animi indignatione affectum iri, quam nos ipsi, pro pastorali nostra sollicitudine, affecti simus; tamen nobilitatem tuam, his nostris Litteris summopere in Domino hortandam et monendam esse putavimus, ut, cum in hac re agatur Dei Omnipotentis cultus, sacerdotii dignitas, et Apostolicæ Sedis majestas, velit omnes virium suarum nervos intendere in defensione ejus Ecclesiæ, quæ, ut diximus, fidei tuæ patrocinio commissa est; dareque operam, ut senatus et civitas Colmeriensis intelligat, nisi imposterum ab injuriis ejus Ecclesiæ capitulique temperaverit, nobilitatem tuam, ut par est, non modo id ægre laturam, sed veteres quoque ac novas injurias ulturam esse. Quod si fecerit, quemadmodum facturam eam pro certo habemus, non solum officio sibi commisso fungetur, sed etiam ejus rei nomine, primo ab Omnipotente Deo, in cujus tutela omnes posita sunt Ecclesiæ; deinde etiam a nobis ad quos, licet meritis impares, earum cura spectat in terris, perpetuam gratiam inibit. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die tertia Septembris MDCXVIII, Pontific. nostr. ann. III ».

An aliquid hac Epistola Pius profecerit, prorsus incompertum; principes siquidem, passim, et hoc de quo loquimur, et nostro tempore, protectorum Ecclesiæ ipsiusque jurium defensorum speciosissimis nominibus censi gaudent; ita tamen, ut si vel minimum quid ejusdem jurium ei demere suisque addere valeant, toto conatu eurent; itaque divino cultui et Ecclesiasticæ dignitati consultum volunt; ut tamen nihil suorum (et id quidem in primis) imminutum ferre velint, et præ omnibus pro-

priam dignitatem, proprium commodum, utilitatem propriam quærant, deinde Dei; dummodo tamen, quæ postremo habita loco Dei sunt, propriæ suæ nihil prorsus officiant. Quapropter Ferdinandum, quæ in Ecclesiæ viros et res Colmariensis senatus admittēbat, longius ablegasse verosimiliter putandum sit, ubi ex illis nihil suis juribus ac commodis detractum esset; nam, si ex ipsis facinoribus utilitatis aliquid accedebat, ex cæterorum praxi, ingenioque Pio paruisse, extirpandisque abusibus sedulo incubuisse, nemo facile credit.

80. *Archidux sacerdotem scelestum morte plectit, et hæreticos insectatur.* — At aliud, de Carolo, item Austriæ archiduce, putandum esse, apertissime ea suadent quæ ad amplificandam tuendamque Catholicam religionem, et Pontifici impellente, et sponte sua, hoc ipso tempore, fecisse deprehendimus. Sub hujus sequidem anni initium intellexerat Pontifex, in provincia Carinthiæ, horrendum scelus in sacrosanctam Eucharistiam admissum. Cum tanti igitur criminis reum debitas omnino pœnas subire vellet, ad eum, quem prædicimus, Carolum, ejusdem provinciæ archiducem, amarissimo animo sequentes Litteras¹ dedit:

« Dilecto filio, nobili viro, Carolo, archiduci Austriæ.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Non sine summo animi dolore atque horrore audivimus, nec absque gemitu referre nobilitati tuæ possumus, facinus impium, horrendum ac infandum, quod nuper in loco ditioris tuæ perpetratum fuisse audivimus. Certiores facti fuimus ab hominibus, quibus fidem merito habuimus, mortuo plebano quodam loci, qui Tarvisa dicitur, in provincia Carinthiæ, eum, qui a populo in ejus locum electus fuit, Audræam nomine, quo primum die Ecclesiam ingressus est, cum in sacrario reperisset sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, id sacrilega manu correptum, abjecisse in terram et pedibus conculcasse; conversumque ad eos, qui aderant, in verba impia ac nefaria prorupisse. Quis tantam Dei ac Salvatoris nostri injuriam satis digne conqueri ac deplorari possit? Superat scandali magnitudo ac facti impietas cum dicendi vim, tum puniendi etiam facultatem; nullum enim par tanto sceleri supplicium inveniri potest. Ac nos quidem, si is nefandus homo ditiori nostræ temporali subiectus esset, quam gravissimum possemus de eo supplicium sumeremus; sed cum in ditione tua sit, ad avertenda Dei flagella, qui in eos sæviturus est, quorum negligentia tantum nefas impunitum relinqueretur, indicandum id nobilitati tuæ duximus, hortantes, et sub divini ju-

dicii obstatione monentes, ut Phinees zelo accensus exurgas, sicut Catholico et religioso principe dignum est, ad tantam Domini et Redemptoris nostri injuriam ulciscendam, et hominem tam sacrilegum comprehendi, sine mora jubeas, ac veritate comperta, tali supplicio affici, per quod Dei ira, tum in habitatores loci, in quo tantum facinus admissum est, tum in omnes, qui illum punire neglexerint, imminens expietur. Ejus autem, perinde ac si laicus esset, puniendi tibi, et magistratibus tuis, tenore præsentium plenam concedimus facultatem. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XXI Januarii MDLXVIII, Pontificatus nostri anno tertio ».

Obtemperasse his Pontificis monitis piissimum principem (scribit Bzovius¹) ac nefarium hominem comprehendi, in carcerem tradi, convictum sceleris, ignibus vivum cremari præcepisse asserit. Quod pariter atheo cuidam, cui Misaldus nomen, Barbo cognomen erat, haud dubio accidisset. Ille enim, licet sacris Ordinibus initiatus non esset, tamen sacra facere, confessiones excipere, ac Istriæ populos fallacibus verbis decipere, variisque erroribus imbueri præsumpserat, et insuper Catholicum sacerdotem jugulaverat. Verum, remordente conscientia, fuga is sibi consuluit, ac archiducis justas manus evasit; quem tamen hujusmodi hominum peses, ubique, ac in Tergestina præcipue urbe, diligentissime conquisitas, debitis affecisse pœnis, litteris ad Pontificem datis, Tergestinus ipse episcopus testatus est. Quo quidem audito, Pius ineffabili quodammodo repletus gaudio, has ad eundem Carolum litteras dedit², ex quibus illa intelliguntur, quæ Carolus idem ad fidem tuendam gloriose peregit:

« Dilecto filio, nobili viro, Carolo, archiduci Austriæ.

PIUS PAPA V.

« Dilecte etc. Legimus quarundam litterarum luarum exempla, a ven. fratre Andræa, episcopo Tergestino ad nos missa, ex quibus intelleximus, quantæ curæ tibi fuerit, ut hæretici quidam, qui in civitate Tergestina pestiferis doctrinis, eos, qui a tali labe adhuc integri permanserant, corrumpere conabantur, per eum animadversione debita plecterentur; sicuti factum fuisse, idem ad nos episcopus scripsit. Notus quidem nobis erat tuus Catholici religionis zelus: sed tamen, ex litteris tuis, et ex ipsius episcopi testimonio, eum libentissime cognovimus. Rem egisti prorsus inclyto genere hæc præcipua semper fuit: Dei honorem diligere, pietatem colere, et Catholicam religionem tueri. Propter hujusmodi merita, in tantam do-

¹ Ex Archiv. Vaticano ut supr.

¹ Bzovius sub hoc anno 1568. — ² Ex Archiv. Vatican. ut supra.

mus vestra amplitudinem et gloriam ascendit. Persevera, dilecte fili, civitatem illam et alia ditionis tuæ loca tam improbis hominibus purgare, et talibus pietatis officiis divinam tibi clementiam conciliare. Confide, non in altera modo vita, sed in hac etiam, hujusmodi meritorum præmia te a Deo consecuturum amplissima. Quanto studiosius tu honores ejus defendes, tanto ille magis gloriam tuam augebit, tanto secundiores rerum tuarum tibi concedet eventus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vi Junii MDCXVIII, Pontificatus nostri anno III ».

81. *Annuente archiduce, visitatio diœcesis Aquileiensis decernitur.* — Nec multo post, cum Pius mittere decrevisset, qui diœcesim Aquileiensem, Apostolica fretus auctoritate lustraret; de hoc animi sui proposito prius ipsum archiducem Carolum admonendum duxerat, qui illud plenissime comprobavit, utpote qui rem eandem prior ipse apud Pontificem per litteras urgere visus esset. Ubi igitur de optimo hoc Caroli animo certior factus est Pius a Billio, Apostolico suo apud Cæsarem nuntio, sequentes ad eundem archiducem scripsit Epistolas; quibus ipsius zelum, ut par erat, dignis laudibus effert, paterne et amice omnia consilia sua pandit, quem ad visitationem faciendam elegerat, significat, ut eidem auxilio esse velit, enixe rogat; ac ne ipsi (ut non raro acciderat) impedimento esse sineret administratorum suorum studia, quanta valet contentione deprecatur. En Epistola ¹:

« Dilecto filio, nobili viro, Carolo archiduci Austriæ.

PIUS PAPA V.

« Dilecte etc. Lectis nobilitatis tuæ Litteris, ad nuntium nostrum Billium rescriptis, in quibus polliceris auxilium tuum ad corrigendos mores clericorum, in locis temporalis ditionis tuæ ad Ecclesiam Aquileiensem pertinentibus, paratum fore iis quos ejus rei causa miserimus, amavimus admodum pium animum tuum, qui id te quoque summopere cupere, ac per tuas etiam litteras sapius postulasse, significas. Nec vero aliud responsum a principe tam Catholico expectabamus. Cæterum quod nominari tibi prius cupis virum, quem ad clerum visitandum missuri sumus, et communicari tibi etiam mandata, quæ a nobis habiturus est; desiderio tuo benigne satisfaciendum esse duximus. Sumus igitur id negotium daturi dilecto filio Bartholomæo, ex comitibus Porciæ, commendatorio monasterii Modii vocati, honestissimo genere, in regione Forojulli nato, quem propter gravissima testimonia, quæ de insigni probitate ejus, modestia, dexteritate, et litterarum scientia

habuimus, ad hoc officium elegimus. Quibus vero de rebus ab eo inquiri atque corrigi, tuo, si opus fuerit, auxilio, velimus, scriptum, quod cum his litteris jungi jussimus, indicabit: quas res omnes videbis, ad conservationem Catholicæ religionis, ad salutem populorum tuorum et honorum Ecclesiarum, et aliorum piorum locorum regimen pertinere. Quoniam autem tali visitatione, tanto magis ipsam Aquileiensem diœcesim indigere audivimus, quanto mala, quibus medendum est, superiorum temporum negligentia plus creverunt et corroborata fuerunt; oportebit, nobilitatem tuam, pro tua præstanti in Deum pietate, ad perficiendam rem tam Deo gratam, et populis ditionis tuæ salutarem, auxilium suum studiose et efficaciter impertire. Et quia nunquam desunt improbi ministri, qui sui similium patrocinium suscipiant, et bonis operibus impedienda et difficultates non vereantur obijcere: dare operam debebis, ut quisquis impedire, quocumque modo ipsum visitatorem audebit, in ipsius officio, graviter te eam rem latrum esse intelligat. Sed quo sis ad eum protegendum et juvandum alacrior et promptior, nobilitas tua certum habeat, eorum quæ correctæ et emendatæ, omnium denique bonorum operum, quæ per eum effecta fuerint, magna ex parte, et laudem ab hominibus, et præmium a Deo ad te esse perventurum; teque hujus rei majorem in dies fructum esse percepturum. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX August. MDCXVIII, Pontific. nostr. anno. III ».

Præter morem, consilia sua omnia Pius archiduci Carolo, non uti principi, sed uti conjunctissimo sibi amico aperuit, ac demandatæ visitationis, quæ futura erant studia amicissime pandit, quod certum haberet, piissimum ejusdem principis animum, qui nihil prætermisurus eorum esset, quibus, et Catholica religio, et pravorum correctioni consulere, atque ad optatum finem sui conatus perducerentur. Neque hac tantum amica secretorum communicatione amorem suum in ipsum Pius testatum hoc tempore voluit, sed operibus etiam ostendit, ut ex ejusdem archiducis sequenti Epistola ¹ elicitur, qua Pontifici ob quædam in se collata beneficia, gratias agit:

« Beatissime in Christo pater, domine mihi colendissime.

« Salutem longævam Sanctitati vestræ precor, cum humili obsequiorum meorum commendatione. Demonstratum mihi fuit, per oratorem Cæsareum, apud Sanctitatem vestram residentem, quam paterne ac libenter eadem in ea mea postulata, quæ is illi meo nomine exposuit, consensisset, si res suæ id modo tulissent. Verum nihilominus Sanctitatem vestram

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

¹ Ex original. sec. Alexandrin.

in ultimum, per quinquenium assensum suum liberaliter præbuisse, et benigne paratam esse, mihi deinceps quoque paterno suo favore ac auxiliis semper præsto fore. De qua quidem Sanctitatis vestræ insigni ac præclara in me benignitate, ingentes eidem habeo gratias, futurum vicissim ad commoda ac dignitatem ejus tuendam semper quamparatissimus, prout Sanctitas vestra hoc latius ex dicto oratore intelliget. Quam quidem ad multos annos bene valentem Deus conservet. Ex civitate mea Gratz. Decima octava die Octobris anno MDCXVIII.

« Obsequentissimus et humilis filius Carolus D. G. archidux Austriæ, dux Burgundiarum, et comes Tiroli. Carolus etc. »

82. *Patefacto imperatoris consilio de concedenda Austriæ populis Confessione Augustana Pius Commendonum legatum suum in Germania creat, et jubet illum malo obstare, adhibitis remediis etiam acrioribus.* — At cum Maximiliano Cæsare duram e contra concertationem habuit Pius, ob quam, ut inuimus, Joanni Francisco cardinali Commendono secundo Germanicam legationem demandare compulsus fuit. Imperator enim, sive quod, animo Lutherane superstitionis labe infecto, eam occultis studiis sectam foveret; sive quod, spe ingentis pecuniæ, quam ei Austria populi, usurpato antea exemplo mercandi pretio a regibus, quam mox reges in ipsos exercerent, licentiam pollicebantur; sive tandem, quod gratum se præbere vellet Ordinibus ejusdem Austriæ, in præmium obtente ab iis liberationis ingentis æris alieni, quod ad Turcium bellum contraxerat, tribuere iis jus, ex ritu Augustanæ formulæ sacrorum cæremonias colendi, statuerat: ea tamen conditione, ut seni utrimque ab ipso Cæsare et ordinibus delecti, et in iis duo, ex vetustis Confessionistis, e Saxonia evocatis, de singulis doctrinæ articulis et Ecclesiasticis rebus inter se conferrent ac convenirent. Inceptis impiis titulum honestum protendebat: « Lacerari opinionibus rem Christianam, dirisque religionibus convelli, infirmarique prisca pietatis fidem, eoque impunitatis ventum, ut novis erroribus nullus, aut modus fieret, et præstare, data unius venia, cætera submovere vi regum, ac prohibere, quam omnibus simul premi ». Sic Maximilianus, qui, cum Otthomanico premeretur bello, easdem propositas ab Austriæ populis indignas postulationes, Catholico vere animo, forte iram tunc imminentem Dei veritus, rejecisset; ubi pacem obtinuit, (octennalibus induciis, hoc anno, cum Selimo pactis, iis, inter alias, conditionibus, ut quisque, quod ultimo Pannonico bello acquisiverat, retineret, et iisdem Veneti et rex Joannes Transilvanus comprehenderentur) divinorum immemor beneficiorum, idem pacis munus in Dei offensam ingratus convertit.

« Hæc ubi nuntiata sunt Pio, advocat senatum (verba sunt Antonii Mariæ Gratiani¹ in Vita cardinalis Commendonii) et quanta removeretur edoctis patribus, illeclit ad Commendonii laudes, unumque maximis reipublicæ negotiis, fide, industria, usum parem edisserens, omnium consensu legatum deligit, ac primo quoque tempore transire in Germaniam, et pergere ad Cæsarem jubet, et se pestilentibus consiliis objicere, misso celeri tabellario, qui hæc ad eum perferret. Commendonus Æstatem apud Veronam egerat, et instante jam Autumno, ex consuetudine reditum in Urbem parabat, cum ei senatusconsultum et mandata redduntur. Paucos dies addiscendis comitibus, instruendoque itineri abstumpsit; inde accepta de manu Augustini Valerii, episcopi Veronensis, argentea cruce, quod est legationis insigne, Verona proficiscitur. Eadem die, ad Volarmiam, duodecimo a Verona lapide, festinus a Cæsare nuntius cum litteris occurrit, quibus magnopere petebat ab eo Cæsar, ne longius progrediretur: missurum se ad Pontificem Maximum, qui ostenderet, quam non oportunitatem reipublicæ hæc tempore cardinalem legatum ad se mitti; tantisper opperiretur, dum de eo, quæ Pontificis voluntas esset, cognosceret. Erant qui gerendum Cæsari morem mandatumque Pii Veronæ expectandum censerent: sed Commendonus negavit, sibi mutare quidquam de Pontificis jussis, ac alterius quam Pontificis ipsius nutum licere, ac misso protinus Romam, qui a Pio sciscitaretur, quid se facere juberet, ipse viam perrexit, moderans iter, ut qui missus est ad OEnipontem se assequeretur, oppidum in Rethicis Alpibus, quadridui iter a Tridento Italiæque finibus distitum; ita se mandatum munus non deserturum, et Pontificis nihilominus integram de se deliberationem fore. OEniponti, apud Ferdinandum Cæsaris fratrem esse archiepiscopum Salisburgensem et Albertum ducem Baviaræ audierat; cum iis interea collocuturum, acturumque, maxime cum Alberto, cujus auctoritatem nonnihil revereri Cæsar credebatur, ut enim ab incæptis Germaniæ pestem allaturis revocare conaretur. Et dedere quidem illi, ex Commendonii voluntate, graves ad Maximilianum litteras, et Albertus id quoque incusavit, quod Commendonus questus apud se fuerat, adeo præposteris vivi moribus, ut commodius plerique ac melius conflari religiones a quavis machinatore putent, quam ex Pontificis Maximi auctoritate constitui, qui sacrorum custos interpresque ab ipso Deo hominibus sit datus; et Turcarum ac Barbarorum oratores accipi cum honore; Roma venientes legatos amplissimæ viros dignitatis, gravate et repugnanter admitti.

Gratian. Vit. card. Commend. lib. 3. cap. 4.

« Sed Pius interea, cum pariter Commendonum, et firmum adversus gratiam animum consiliumque non parendi Caesaris litteris, neque iter incaptum intermitendi, et in se constans atque immotum obsequium, multis verbis palam extulisset, factumque id maxime ac voluntatem suam ostendisset, ire porro eum et exequi jussum imperavit. Qui inde statim profectus navigiis ad Holam conscensus, Ofno flumine, Danubioque devectus, octavo die Vienne appulit, omnibus, qua transierat, et perditam spem, et frustra fore quævis conatum denuntiantibus; progressum esse Maximilianum, unde receptus ad penitentiam non esset; siquidem pactione pecuniar, et promissis devincta fide, nihil sibi integri fecisset.

« Postridie aditit Caesar, qui prior non ideo optasse ait, ne cardinalis legatus ad se hoc tempore veniret, quod eam legationem abnueret, quam ipse sibi honorificam fateretur; sed ne ea in tanto Belgarum tumultu motuque animorum, quibus immixti plerique Germaniæ populi essent, incommodam aliquam suspicionem afferret, veritum; id quando Pontifici Maximo non probasset, letari advenisse eum, apud quem rationem consilii sui exponeret, quo adductus Austrios in sacrorum ceremoniis Augustanæ formulæ ritu atque jure uti passurus esset. Visum id sibi, ut in malis salubre imminenti remedium, quod pridem illæ sibi provinciæ usurpassent, juris ac licentiæ vivendi, opinandi, statuendi, ex cujusque arbitrio de fide et cultu sacrorum, id eas permissu suo certis obstrictum legibus habere, quæ ingruentibus quotidie novis errorum monstris aditus aliquando obstrueretur. Etenim tanta tam turbulentorum errorum ac sectarum multitudine, elevari omnem auctoritatem religionis, omniaque divinarum rerum jura perverti. Delectam ex cunctis a se Lutheranæ familiæ rationem, quod eo minus a Catholica pietate, propiusque a vero abesse videretur: additurum ritus, cultumque, et formam ceremoniarum, sumptam maxime a nobis. Sic finem impiæ libidini, novas in singulos dies opiniones comminiscendi dispergendique impositurum, et facilius ad sanctitatem revocatum iri, si, ne longius a nostro more recederent, provium foret; quippe depulsis aliis pestilentibus ac mortiferis morbis, expeditam unius haud vehementissimi curationem futuram. Nec se tamen ad id consilium, nisi necessitate descendisse, quod neque quam iniret aliam remedii viam invenisset, neque infinita illa licentiæ tolerari ac sustineri diutius jam posset. Versari enim se assidue in metu ac periculo gravis alicujus seditionis, quæ inde haud dubie impenderet; nec novum id a se incipi, ante a Carolo patruo et Ferdinando patre optimis imperatoribus, ac Romanæ Ecclesiæ et Catholicæ fidei

reverentissimis factum; nec vero quod populis illis semel concessum adimi non posset id quemquam arbitrari esse, qui salius non duceret adstrictum legibus, modoque ac specie aliqua religionis adhibita eos habere, quam, per summam impunitatem polluere, inquinare, commutare, confundere quotidie omnia, et provinciarum Austriæ portenorum omnium ac scelerum sedem et receptaculum fieri, tantam materiam discordiarum, tantum intestini belli semen inclusum sinu fovere. Postremo testari Deum, non aliud sibi propositum, quam, ut a suorum mentibus superstitio depelleretur, omnesque ad priscam avite pietatis et Romanæ Ecclesiæ fidem redirent. Hæc fere Caesar.

« Commendonum id quidem laudare, quod reducendos ad fidem Romanæ Ecclesiæ popularium animos, mentesque perversis erroribus exsolvendos suscepisset, idque propositum consilium ab se initium haberet; modo ne falsis remediis contrariisque insisteret, quæ auferrent, foverent, non tollerent aut levarent morbum. Cælestium fidem nullam, nisi incorruptam perfectamque esse, et pietatis rationem, cultu et sanctitate constare, ut religioni remedium non aliter afferatur, quam eam intemeratam in sua integritate nitoreque habendo; aut si quid alieni moris opinionisque irrepsit, purgando abolendoque, putare ejus sit, qui nequaquam res sua vi ac pondere metiatur. Dei certe jussis violandis, ac multitudinis semper imperitæ, et ubi legum venerationem excussit, et a vero rectoque deflexit, pessimo cuique parentis cupidibus obsequendo, nihil aliud quam affinem te culpæ feras, et sceleri eorum furorique alimenta subjicias; cujus rei non esse longe petenda exempla: quid enim hoc malum pravus ortum initiis aluisse, et ex tam parvo et vix animadvertendo igne, tantum ac tam late fusum incendium fecisse, nisi quod primo neglectum, deinde, cum occursum atque obviam itum oportuit, præbita materia est ab iis, qui populorum desideria, indulgentia lenienda captandaque esse putaverunt? Carolum et Ferdinandum cum iis ipsis Lutheranis, de eadem Augustanæ formulæ certis pactionibus, concordiæ causa transegisse, spe, ut credibile est et ipsi ferebant, cohibendi sistendique flagrantium impetum, et quotidie nascentium novarum sectarum contagionem avertendi; sed eventu tristi et calamitoso; quippe, cum omnes omnium disciplinarum atque opinionum sectæ in Augustanæ formulæ nomine atque auctoritate facile delitescerent, cuncta ex eo depravata, brevi ut nulla gens totius Germaniæ integra, nullius diligentia prohiberi, ne illa passim grassaretur pestis, potuerit. Atque hæc quidem sic fieri divino Numine consilia nostra, humanis imbuta cupiditatibus, in pœnam nobis remedia in perniciem vertente. Neque hos ipsos imperatores

tamen cum iis pactionem ullam fecisse, qui propriae ditioni eorum subicerentur, sed cum valentissimis regulis populisque, quorum consentientium vim atque etiam arma timuisse, non ex vano videre poterat. At ejus quid simile habere consilium, qui Austriis, uni non minimæ Germaniæ genti, et ejus privatim imperio subiectæ, id ultro obtulerit? At enim, exclusa multiplicium sectarum multitudine, facilius sub unam Augustanæ formulæ disciplinam coacti ad fidem inde Catholicæ pietatis rediguntur. Jam primum omnium ab illa regula divinitus nobis tradita non esse descendendum, qua præcipitur, ne quid mali quorumvis honorum spe faciamus; quam legem, cum ad omnia pertinere, tum maxime religionem et res sacras complecti, quæ cælesti vi, non humana sapientia continentur: deinde quod semel inutile foret, atque adeo exitu fœdum et perniciosum in aliis expertus sit, cur id iterum in se suisque periclitari velit? Verum mittenda exempla, ubi efficacior ratio adsit. Qui, inquit, hoc juris ac licentiæ a te expetunt, si omnes Lutherani sunt, et placita Augustanæ formulæ ultro complectantur, quid permissione ista et sanctione est opus, ad eos in illam sententiam adducendos, aut cæterarum prohibenda pellendaque hæresum inventa, quæ nulla sunt? Sin, quod ais, animos diversæ, et aliis aliæ tetiores sectæ perturbant distrahuntque, tum tibi ea consultatio prima occurrit jubenti, ne sacrorum leges dicto audientes futuri sint, aut, si imperium detrectent, suppetantne ad eogendum vires; nam si tantum vel nervorum tibi, vel auctoritatis apud eos est, ut quo velis flectere, aut repugnantes vi subjicere possis; haud dubium, quin tibi ex illis instabilium opinionum atque errorum tenebris eruti, ad veritatis lucem, id est, Catholicæ Ecclesiæ revocandi sint. Verum, si illi contumaciores sint, quam ut parere tibi velint, et plures, quam ut tutum adhibere vim videatur; tumne sub unius quidem Augustanæ formulæ jus redigere eos possis? Neque enim illi minus acerbè inter se quam nobiscum dissident. An Calvinianos, confidentissimum ac pervicacem genus, qui nunc maxime obsolescente in dies Lutheri auctoritate florent tumenteque, adduces, ut alterius cujusvis placita suis præ se ferant? aut eos nobis credis infestiores, quam Lutheranis ipsis, aliisque ab eorum ratione discrepantibus esse? Idem de Trinitariis, idem de reliquis licet judicare. Sed esto concedant omnes, consentiantque Lutheri, quod nemo speret, qui hæreticorum ingenia norit, et Augustanæ formulæ nomine censi velit, quem tu ex eo capias fructum? Ut quid ægro, et pluribus morbis graviter affecto, ad salutem profuerit alios depulisse morbos, si remediis eorum gliscens reliqui unius mortifera vis perinde laborantem extinguat? Quemadmodum, pro-

fundo in pelago pereuntem si extrahas quidem ad summum, sed mergi tamen atque obrui aquis sinas, nihilo magis vite ejus subvenias, quam si absorberi voraginibus fluctibusque patiare. Si tui hæretici expertesque Christianæ pietatis sunt, ex Ecclesiæ navi (qua una, qui veluntur, salutis tenere cursum atque intrare portum queunt) aut exciderunt, aut se ejecerunt, nec magni referi, cujus secte undis involvantur submerganturque. Nec tu aliter salutem eorum consulas, quam si errorum aestibus ereptos in navim receperis; nam eos, cælesti ira in ultionem sceleris summis de rebus discrepantes, in concordiam, quæ non veritate nititur, cogere, nec unquam assequare, nec tibi fas esse arbitreris. Quod enim manifestius ullum Dei nomen, quam a quo inmissus in istos hic est dissidii furor, ut propriis odiis sententiisque inter se digladiantur, et conspirati adversum nos de eo ipsi minime conveniant, quo nos oppugnare contendunt? Eternam hanc hæreticorum dissensionem, Ecclesiæ pacem, Augustinus, summus sapientiæ atque sanctitatis auctor appellavit; et nos reducere eos in gratiam concordiamque conemur, et Dei voluntatem, cujus illi vi atque ira agitantur, venire contra non vereamur, et animis rebusque pugnantes, ipsi consentientium speciem induendo, ultro confirmemus, et veluti armemus adversus nos, Ecclesiamque a qua desciverunt, quam unam impugnant, in quam omnes omnium eorum impetus feruntur? Quid ergo si a te tuoque imperio defecissent hi populi, et alii vi atque ferro, alii alia via, omnes pariter te oppugnent, tuæque vitæ ac dominationi insidiatum irent? Utrum tandem iis discordantibus inter se, nullo certo duce qui parerent, nullo signo ad quod coirent, eoque minus tibi valide incumbentibus, ultro impietatis ducem ac signiferum præbitorum ipse esses, an conscindi, collidique, et confici sua ipsos discordia passurus? Tu vero etiam sponte consentientes, ut arte atque consilio disjunderes dissociareresque, curam operamque intenderes; nec quiescere posses, donec amotis seditio num auctoribus, multitudinem sub leges redigeres? adeo nostra nos magis movent, et acres nostri ultores; quæ in Deum patrantur, lente negligenterque accipimus. Patere, quæso, Caesar, me salutis tuæ in primis, et tot circa gentium causa nihil reticere eorum, quæ palam homines loquuntur, et aperte ac libere apud ipsum te omnia effari. Ipsi hæretici hoc jus, hanc licentiam ex lege atque ritu Augustanæ formulæ vivendi, pretio emptam se habere, proque ea vigesies centies mille aureorum nummum in tres proximos annos dare tibi pactos esse, ita non obscure ferunt, ut etiam, qua sunt insolentia, tanquam exprobrantes jactent; nec te tua voluntate aut consilio, sed hujus tam grandis

pecuniæ spe captum illectumque esse, auctores hujus corruptelæ et accusatores produnt; nec dum ulla firmata privilegia tua promissa habent, et hos illusores et criminatores dignitatis tuæ, modeste quicquam aut obedienter acturos, et ab insula arrogantia atque contumacia discessuros speras? Hos ut concilies, tam perniciosi exempli rem induces? cujus vel solam famam, quantum animorum motum in finitimis Germaniæ populis fecisse facturamque in omnibus putas? quantum cupidis irritamentum, quantum bonis desperationem allaturam, ut non corrupte modo, et aliqua ejus mali contagione affectæ nationes accendi irritarique; sed integre quoque, atque intactæ ad cupiditatem novarum rerum conciri et sollicitari uno hoc facto posse videantur? Quid, quod non solum non opportunum huic malo, adeoque contrarium atque exitiosum remedium initium abs te est; sed hujusmodi, quod alterius prope gravioris facinoris culpam sustineat, usurpationem muneris, atque juris alieni? Neque enim, Cæsar, tibi aut ulli regum hæc data potestas est ordinandi disponendique, aut omnino attingendi res sacros, quarum jus atque arbitrium, quantum capere mortalitas potest, unum penes esse Pontificem Maximum Deus jussit: aliorum nullæ, nisi parendi sunt partes, et tuæ præterea regumque cæterorum tuendi defendendique. Id nos, non divinis modo Litteris monitisque docti sumus; sed magnis, et quæ terrere omnes debeant exemplis a Deo est affirmatum. Proditum memoriæ est in sacris libris, cum plaustro veheret Arca Dei, et inquietatione bonum, qui trahebant, decussa pæne concideret, Ozam unum e rectoribus currus, quo casum ejus averteret, manum Arce admovisse. Idque crimen, quia ille sacerdos et levita non erat, et alieni muneris officium invaserat, visum est a Deo dignum, quod ille statim morte lueret: adeo divinas res non egentes humanæ opis, nec attractandas profanis manibus consiliisque, esse testatum sancitumque apud posteros Deus voluit. Magnum hoc et triste abstinendi se contactu sacramentum, ac vitandæ caelestis iræ documentum; sed haud minus severum illud, et propriè ad reges pertinens. Sublatus ex humili loco ad regni fastigium a Deo fuerat Saul, ita partitis inter ipsum et Samuelem muneribus, ut huic religionis et sacrorum jura, illi imperium, et belli et pacis jus essent: imminente cum innumerabilibus copiis Philistæo hoste, inductum populis solemne sacrificium, sacrificiisque dies dictus fuerat, quo divino propitiando Numini, certæ hostiæ, ut tum mos, immolarentur; neque enim religiosa gens sumptura aliter arma et prelium initura erat, nisi ante placato, patriæ caremonia, Deo. Convenerat juxta omnium multitudo, quæ, cum diu expectasset, nec Samuel ad constitutum adesset, dilabi porro do-

num, atque omnes abire cæperunt. Tum Saul, ne, tanto instante ab hoste periculo, a suis desereretur, rem divinam ipse peregit, paratasque victimas aris admovit et sacrificavit. Id ob piaculum electo, paulo ante, ad regnum clarisque victoriis nobilitato, per eundem Samuelem de nuntiari illico jussit Deus: Regnum se illi liberisque ejus adempturum, aliamque in domum translaturum: nec multo post, victus prælio occisusque, excidio domus suæ caelestibus minis fidem affirmavit. Regnum ad David æmulum ejus est delatum, quem ipse pulsum abjectumque, et fuga se ac latebris, a vi atque injuria ægre tutantem sæpe interficere conatus erat. Te oro, Cæsar, obtestorque, ut hæc caelestia præscripta, documentaque nobis erudiendis, divinis tradita monumentis, tecum repules, et animum a novis precipitibusque consiliis, ad salubriores cogitationes, ac tua Majestate, tuo loco, tua familia, teque denique ipso dignas recipias ». Hæc apud Gratianum Maximiliano Commendonus.

83. Lutheranismi addicti scriptores ¹, post laudatum Maximilianum, quod liberum Augustanæ Confessionis exercitium permiserit, et quod ipse aliquando aluerit Evangelicum eorum concionatorem, addunt a Pontificis objugatum, et ad Lutheranos extirpandos incitatum respondisse: « Nullum peccatum gravius esse, quam conscientiam dominari velle. Deo enim ipsi se opponere, qui conscientiam in religionis causa dominari volunt ». Verum ista Maximilianum prolutisse coram Commendono, inverisimile omnino est, cum ingenti simulatione suum in Lutheranam sectam animum contegere ipse semper studuerit; ex quo etiam evenisse scribit Gratianus, quod hujusmodi Commendoni orationibus, sæpe adeo convictus esset, at quibus se remque obtegeret, illi verba non suppeterent. Imo haud veritati consonum videtur, liberiori eo sermone Catholicorum cuiquam aliquando mentem suam Maximilianum patefecisse, cum ipse ei consilio semper adhæserit, quod Lutheranis quidem assentiretur, ut tamen Catholicorum partes et sensus nunquam derelinquere voluisse monstraret; quapropter præfatæ sententiæ perfidiam, licet a corde Maximiliani forte conceptam, tamen ab ejus ore prolatam, certissimum Lutheranorum arbitramur commentum; quod hæresim nempe suam tanti principis oraculo confirmatam voluere.

84. Quæ pariter Gabutus ² et Catena in Pij Vita referunt, quod videlicet, cum legato primum audientia a Cesare facta fuit, ita illum Commendonus minis atque terroribus confutasse, ut Augustanam Confessionem, se haudquam, vel permisisset, vel permisurum profi-

¹ Matth. Theat. Historic. sub Maximil. II. p. 1095. Mellif. bistor. part. 4. in Maximilian. II. pag. 828. et alii etc. — ² Gabut. vit. Pii V, lib. III. cap. VI. p. 97. Catena in Vita Pii. p. 110.

teretur, sed velle omnino esse in auctoritate Romani Pontificis, a quo perterrefactum se esse diceret, legato referente : « Nam visum sibi videre (verba Gabulii sunt¹) sese coram Pio flagellum manu tenente consistere, cujus opera scilicet ac studio factum esset, ut id enuntiaretur, eoque principes Catholici omnes converterent oculos ». Hæc (inquam) in prima certe audientia non accidisse, atque in aliud tempus rejicienda esse agnoscuntur; vel, si in prima evenere, ex eo certe, quod tunc Maximiliano visum fuerit, videre Pium, ut perhibetur, coram se flagellum manu tenentem; quemasserunt saltem effectum parendi omnino Romani Pontificis jussibus, secutum minime fuisse, evidentissime cognoscitur. Si tamen Maximiliano non accidit, quod olim Pharaoni evenisse sacra pagina testatur²; qui, videlicet, signa vidit, et nihilominus a sententia populum Israeliticum non dimittendi non recessit. Gratianus siquidem, qui accuratissime et ordine scripsit, eorumque quæ gesta sunt præ omnibus particeps ac testis oculatus fuit, Maximilianum convictum quidem a Commendonis orationibus dicit; sed tamen e contra, numerorum cupidine, et hæreticorum postulationibus recepta flagitantium; et præterea intimo, quanquam occulta ingenique simulatione involuto in Lutheranos studio, animo ita distractum asserit; ut non parum Commendono laborandum deinceps fuerit, ut eum tandem a male concepto proposito abduceret. Imo nec iis terroribus ac minis, quas Gabulius³ et Catena referunt, Commendonum unquam Pontificis verbis Maximilianum perterruisse, evidentissime Gratianus ipse testatur : « Et Pius Pontifex (inquiens) ut erat acer religionis vindex, et ubi ea ageretur, impatiens humanarum artium, litteras ad Commendonum dederat, quibus, si cunctaretur Cæsar, neque incæptis desisteret : facta re divina, et eo Evangelii capite recitato⁴ : *Quicumque non receperint vos, neque audierint sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris etc.* et ipse abscedere Vienna, atque inde nuntium abducere, et Maximiliano renuntiare amicitiam jubebatur ». His terroribus, acrioribusque remediis, cum Cæsare agi Commendono Pontifex jusserat. Verum, quid Commendonus ? « Nondum (subjungit Gratianus⁵) præcisa omnis Commendono spes erat, nec maturum ad tam abrupta consilia tempus videbatur, ex quibus oriturum haud dubie magnum et periculosum rerum motum prospiciebat; sed hæc Pii mandata dissimulans ipse, Maximiliano clam enuntiare deferrique per alios curavit, quo et gratiam opinionemque temperati, et quantum per mandati muneris,

fidem liceret, refugientis benevolentiam inter Cæsarem et Pontificem abruptum, et Cæsari ipsi curam iniecit, nihil temere agendi; cernendique rem sibi cum Pontifice haud segni obnoxiove, sed Deo causæque fidenti, et facile contemnentis humanas rationes esse. Et labi jam pertinacia cæperat, cum Commendonum omnia molientem, omnesque undique machinas ad expugnandum admoventem, etiam casus juvit. Affertur nuntius, conjugem Philippi regis Hispaniarum decessisse, nulla virilis sexus prole relicta. Confestum in Cæsaris regia ortus defertur in omnes sermo, Annam, majorem natu filiarum ejus, Philippi matrimonio destinantium, avunculo neptem; nam Philippi sorore genita puella erat; unde jungi illi, ni Pontifex Maximus nuptiis annuisset, per leges non poterant; et Maximilianus ac numerosa filiorum soboles Hispanicis rebus incumbere, latissimo regno cupidine et spe imminens, si Philippus sine liberis fato concessisset; eo, et filios Hispaniam educandos miserat, et Hispanos omnes officiis, regem obsequio demereri studebat, et ad novam spem ex non opinato exortam, sibi filiam in Philippi matrimonio collocandi animum inagnopere exererat.

« Arripuit occasionem Commendonus, atque hinc Hispanos, quibus tum maxime grave bellum in Belgis, perfidia ac defectione hæreticorum, duce Aurangio excitatum erat, docebat, quantum ea Cæsaris in Lutheranos inclinatio, et permisi Augustanæ formulæ ritus, addituri ponderis momentique hæreticorum rebus essent. Hinc Cæsarem movebat, non alienandum tali tempore a se domoque sua Philippi animum; quod fieri necesse esset, si, qui minime deberet, adversarios ejus eosdemque Catholicæ Ecclesiæ hostes fovere confirmareque, indulgendo eorum furori, et pæne causam approbandam videretur. Et nactus Viennæ Philippi legatum, hominem Belgam, privatim Aurangio et factioni illi inimicum, eamque valescere auctu malarum opinionum intelligentem, perpulit denuntiare regis verbis Maximiliano, ne consiliamitteret, quæ vim atque opes Hispaniarum hostibus adjungerent; ne suum quidem regem existimaturum fraterno et mutuo in se Maximilianum esse animo rebusque suis, quando ab eo proderetur, quem haberet propinquitate ac sanguine conjunctissimum, aliter consulturum. Adjecit idem legatus, Commendonis instinctu, si Pontificis Maximi auctoritatem, ea in re non quanti deberet, fecisset, nunquam ab eo impetraturum, ut filia nuptias cum rege approbaret, et quo fieri rite possent, eos legibus solveret: quod ipsi haud paulo pluris, quam popularium suorum pollicitationes, et quantæcumque pecuniæ conditionem esse debere ».

Ista Gratianus, quibus statim hæc addit :

¹ Ibid. ut supra. — ² Exod. Cap. 5. et seq. — ³ Ibid. ut supra.

⁴ Marc. 6. vers. II. — ⁵ Ibid. ut supra.

« Hæc plus ponderis apud Maximilianum, quam religio atque ratio habebant. Hæque, quem jus, quem fas, quem officium nequialat permovere, ut totum negotium amitteret, cum maxime, et hæretici, ut in confecta re exultarent, et boni spem omnem abiecissent, vocato ad se Commendone, in auctoritate Pontificis Maximi esse se pronuntiavit ». Ita ille.

85. Cæterum Catena et Gabulius Hispaniarum regem quinas litteras, easque longissimas super hæc re manu sua scripsisse ad Cæsarem, et ad Augustam sororem suam narrat, quibus (ut, etiam Hadrianus¹ aliique referunt) admonuit, præterquamquod summi ponderis momenta rerum agerentur, illi etiam cavendum esse, ne Austriaca familia, quæ Catholicæ veritatis semper fuerat retentissima, per eum hanc notam subiret; cum præsertim rex ipse, si nullam superstitem haberet prolem, aliquem ex Cæsaris domo sibi in successorem adoptare statuisset. Et his quidem litteris perterritum Maximilianum, quem antea excipere vebatur Pontificis legatum, honorifice postmodum suscepisse, dicit Campana². Quo quidem nil inverosimilius, cum brevissimo eo temporis spatio, quod inter decretam a Pio et rejectam a Maximiliano Commendone legationem, rem ad regis Philippi notitiam deferri minime potuisse perspicue intelligatur. Alii his iisdem litteris, negotio dicunt finem impositum. Solus vero Gabulius, ut inuimus, nondum Catholicæ regis ipsis litteris allatis, legati minis ac monitis, in Pontificis auctoritate se dedisse, Maximilianum asserit. Verum, sive per oratorem suum, ut ex Gratiano audisti, sive per litteras Catholicus rex, e sententia concedendi Augustanam confessionem, Maximilianum abduxisse dicitur, ut cæteri scriptores contendunt; certum est egregii facinoris primas, Philippo regi deferendas, nec ei detrahendam laudem, quam in solum Pontificem convertere, rei serie non satis explorata, Gabulius studuit; quamvis factum crediderim, quod Maximilianus se stare coram Pio flagellum manu tenente, dum eum aliquando Commendonus alloqueretur, sibi visus fuerit.

86. Pervigilis certe pastoris laudem promeruit Pius, cum, Cæsaris cognita deliberatione, ad principes viros quoquoersum nuntios misit, in primisque ad ipsum Hispaniarum regem, cum adhortans ad agendum eo de negotio cum eodem Maximiliano, ac docendum, quam certa inde pernicies immineret, et quam gravis Catholicæ religioni, quam ille cæteroqui tutari deberet, inferretur injuria. Unde quidquid postmodum cum Maximiliano egit Philippus, jure Pontificis zelo præcipue agnoscitur tribuendum, qui, cum audisset, non modo Cæsarem Confes-

sionem Augustanam non concessurum; sed statim provinciales suos, qui ob ejusmodi religionis causam frequentes convenerant, omnes dimisisset; et aliis, qui conventuri esse ferebantur, ne amplius eadem de causa convenirent, significasse; et in super legato fuisse pollicitum, se quosdam hæreticos concionatores vicinis e villis expulsurum; superabundans gaudio sequentes ad illum litteras dedit:

« Charissimo in Christo filio nostro, Maximiliano, Ungariæ ac Boemice regi illustri, electo Romanorum imperatori³.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Lectis tuis litteris, quas in fidem oratoris tui apud nos scripsisti, auditoque ejus sermone, quem nomine tuo nobiscum habuit, lectisque similiter his, quas legatus apud te noster ad nos dedit, quibus nos certiores facit, te non solum, quod ad Augustanam pertinet Confessionem, nihil novi concessurum esse, sed etiam provinciales, qui ob ejusmodi religionis causam frequentes jam convenerant, omnes domum suam dimisisse, et aliis qui conventuri erant significasse, ne amplius convenirent; magnam pro nostra in te paterna benevolentia et charitate, animi lætitiæ accepimus, eoque magis, quod et nuntius apud te noster eodem tempore, te sibi pollicitum esse, quosdam hæreticos concionatores, vicinis e villis expulsurum. Ut enim, cum primum ad nos allatum est ea de re, eo sumus vehementer dolore ac molestia affecti, quam et Christianæ reipublicæ charitas, et officii nostri ratio, et propensa in te ipsum voluntas nostra exposcere videbantur; sic nunc, postquam de te, ac tuo in nos Apostolicamque Sedem studio atque animo audivimus, de quibus nunquam dubitavimus, atque audire cupiebamus, magnopere in Domino gavisi sumus. Quod quidem gaudium nostrum, ut sit perpetuum, assiduus precibus ab Omnipotente Deo postulamus; speramusque fore, ut tu, cujus in tuenda Ecclesiæ dignitate præcipuæ partes esse debent, pro ea imperii, quam obtines, majestate, quotidie magis satagas peragere, quæ ad Ecclesiæ dignitatem eam conservandam pertinent, quam majores tui nobilissimi, et Romanæ Ecclesiæ in primis amantissimi imperatores, conservare pro viribus suis semper conati sunt. Qua in re, sicut ea non desideramus abs te, quæ sunt supra vires tuas, sic ea quæ fieri præstare possunt, magnopere semper requiremus. Quæ quidem, si tu, sicuti pro comperto habemus, tibi facienda esse duxeris, multo majorem firmioremque filiis tuis servatæ fidei in Jesum Christum Dominum nostrum quam regnorum hereditatem relinques. Nam terrena regna, fili charissime, perpetua non sunt, et

¹ Hadrian. *Histor. lib. 20. pagin. 1533. et alii etc. ² Campan. *Vit. Philippi par. 3. lib. 2. pagina 44.**

³ Apud *Conb. Epist. lib. 2. st. 10.*

sine animi detrimento amitti recuperarique possunt: imo vero eo animo a regibus et principibus omnibus obtinenda sunt, ut, pro salute animæ, religionis amore, et veræ pietatis studio, si occasio ita tulerit, et amittere parati sint, potius quam Cælorum regnum, quod et æternum est, et omnibus aliis regnis quantumvis magnis præferendum. Hoc autem tantum abest, ut imperiis et principatibus conservandis impedimentum aliquod afferre possit; ut nulla meliori quam hac ratione conservari possint. Quodque te tamen facturum non dubitamus, extremum illud sit, si tu (quod te valde hortamur) facies id, quod et persona tua, et fide jusjurando dignum sit; quodque expectatur ab eo, qui est præcipuus Ecclesiæ advocatus; nos te, tamquam charissimum filium, omni nostra benevolentia, amore voluntateque complectemur, sicuti semper complexi sumus, nihilque prætermittimus earum rerum, quas ad dignitatem majestatemque tuam augendam amplificandamque pertinere putabimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima Decembris MDLXVIII, Pontific. nostr. ann. tertio ».

87. Nec modo Pontificis diligentia, tam grave tunc, ea in regione, religionis ac fidei periculum depulit; sed etiam quod, ex tam exitioso facinore et scandalo, cæteris quoque gentibus futurum erat discrimen, avertit; nam, cum triennio post, a quibusdam archiduci Carolo subjectis, ipsa Augustana Confessio peteretur; Austriæ provincialium rem eandem antea deponentium objecto exemplo, rejectum consilium est. Quod prudenter modo prævidens Pius, mirum non est, omnes intendisse nervos, ne tam perniciosum malum committeretur, ac ad illud avertendum, omnibus execrationibus Ecclesiasticisque pœnis in Cæsarem animadvertere cogitasse; imo ipsum imperatoria majestate privare, atque Catholicis principibus in eum convocatis, novum imperatorem creare decrevisse, nisi a proposito recessisset, scriptores passim testantur.

88. Ex Pontificis ac Catholici regis studiis, sive intentatis minis, nil amplius tamen proficis Maximilianum (amplissima licet Pontifici pollicitum) scribit Hadrianus ¹, quam ut rem dumtaxat suspenderet; et Simon Scardius, ac David Chytreus, dum Augustanam Confessionem concessam fuisse ab ipso Cæsare scribunt, (nisi, inquit Spondanus ², uti solent hæretici, in commodum suum mentiantur) delectos illos, quos supra innumus senos et duos confessionistas (quorum unum fuisse eundem Chytreum tradunt, Rostrochio, alterum Joachimum Camera-Lypsia evocatum) in unum convenisse scribunt, ac vertentis anni mensis Augusto, finem operi

imposuisse, librumque de re proposita, rebusque servandis compositum fuisse ab ipso Chytreo lingua Germanica, disserte asserunt. At, licet hoc verum fuerit, cum tamen, Septembri mense, ut dictum est, legatus a Pio dictus fuerit Commendonus, ac in Austriam se contulerit, eo presente illos impietatis magistros stare fuisse ausos; idque permittere Maximilianum præsumpsisse, qui commolitiones suas studiose semper contegere, quantum valuit, curavit; ac sacrilegum demum Confessionis librum illum, eos palam emisisse, verosimile non est: sed vel nunquam venisse Viennam dicendum est, vel post legati adventum, recessisse, si advennerant, vel, si tandem substinere, quasi in abscondito mansisse putandum est. Et id quidem probabilis censemus, et quæ subsequuta sunt comprobasse videntur. Post legati siquidem decessum, hæreticos ipsos ministros, suos terminos dilatare cœpisse, ita ut, non solum in oppidis, arcibus et pagis, verum etiam in ipsa civitate Viennensi, non nobiles modo, sed etiam plebeios, ex conniventia magis quam concessione Maximiliani, publice Confessionem Augustanam professos fuisse ac excrevisse, ipse Chytreus narrat; ex quo conjicias, minime præstitisse, quæ Pio Cæsar ultro promiserat, hæreticos nempe concionatores, vicinis Viennæ e villis se expulsurum, ex quorum numero haud dubio duo recensiti fuere.

E vivis tamen sublato Maximiliano, a Rodulpho ejus filio et in regno successore perversitatis ministri coerciti sunt, atque Augustanum exercitium ea civitate penitus sublatum; relicto tantummodo eo in prædiorum nobilium templis et arcibus, pro ipsorum dumtaxat et familiarium usu, cæteris illo gravibus pœnis interdicto.

89. Apostatas insuper omnes e Cæsarea aula ac civitate pelli curavit Pius, per Commendonum: « Horum erat Viennæ magnus numerus (inquit Gratianus ¹) ac multi in ipsius domum Cæsaris irrepserant, fugitivi ex Italia plerique omnes; nam, ut quosque in sacerdotum sodalitiis, monasteriisque, legum institutorumque fœderet, aut, ob vitæ probrâ, judicii metus ageret, haud ferme alio confugiebant; et suæ disciplinæ desertores, aliorum quoque iniquabant mores, eo liberius in omnem se luxuriam dedecusque demittentes, quo plus licentiæ atque impunitatis erant nacti, infamiaque ac sordibus eorum, etiam honi atque integri aspergebantur; eratque omnis propterea sacerdotum Ordo in odio et contemptu omnium, neque tam tritum ac populare quiddam, quam in vechi in eorum nomen ». At in ea re perficienda, ex qua totius civitatis incolumitas pendere videretur, cum prisca innocentia usum revocari, nisi improborum illa ac perditorum hominum

¹ Hadrian. lib. 20. — ² Spondan. Annal. sub hoc ann. n. 25.

¹ Gratian. VII. Commen. Lib. 3. Cap. 5.

colluvie purgata, non posse agnosceretur; incredibile memoratu esse, idem asserit, quot, ex omni genere reperti apostatarum fautores fuerint; cum in primis ipsi ante omnes hæretici eos tuerentur, qui iidem maxime strepere, obtractari, insultare turpitudini eorum, et Catholicis obiectare consueverant. Horum quoque gratia, atque instinctu, addit, quod ipse etiam Cæsar alios excusando, aliis testimonium impari-fiendo, omnes legere contenderit. Nihilominus firmo animi proposito, etsi non omnes fugitivos illos ac maculosos homines, nonnullos tamen aula ac urbe decedere Commendonus obtinuit; iisque, qui reliqui fuerunt, aliquid confidentiæ et vitæ frænum est inditum, atque audacia saltem eo metu repressa.

90. *Litteræ Pontificis ad episcopum Pataviensem de non concedenda laicis communionem sub utraque specie.* — Nec minori sedulitate curavit Pius, ut in cæteris quoque Germaniæ partibus, opera Commendonii, fidei morumque res sarcirentur. Vix enim Augustanæ Confessionis negotium absolutum esse intellexit, cum plura monasteria ac Ecclesias visitandi ac corrigendi munus Commendono eidem demandavit; ac, ut ex sententia res conficeretur, ad Maximilianum hanc Epistolam dedit, ut legati sui justis conatibus auctoritate sua ipse quoque auxilio esse vellet.

« Charissimo in Christo filio nostro, Maximiliano, Ungariæ et Boemiæ regi illustri, Romanorum imperatori electo ¹.

PIUS PP. V.

« Charissime. Scripsimus dilecto filio nostro, Joanni Francisco, cardinali Commendono vocato, nostro et Sedis Apostolicæ apud M. T. legato, eique per litteras mandavimus, ut quandiu in ista provincia commorabitur, quasdam Ecclesias et monasteria in eis Germaniæ partibus existentia visitet corrigatque in ipsis quæ corrigenda invenerit. Et quoniam, in hoc obeundo munere, quod tantopere honestum et fidelium animabus tam salutare ac necessarium est, et ipse intelligit, et nos cognoscimus, magno ei adjumento, auxilio et auctoritatem tuam esse posse. Idecirco majestatem tuam hortamur in Domino et, quando majori possumus, animi studio rogamus, ut ad ea quæ mandato nostro ei exequenda erunt, pro re tantopere a nobis desiderata efficienda, omnem ei opem suam, favorem, potestatem, auctoritatemque ita impertiat, ut opus tam pium, quod ad Dei omnipotentis honorem in eis partibus constituendum tantopere pertinet, sine ullo impedimento quamprimum perficere possit. Ex cujus quidem tam egregiæ et Catholicæ navato a M. T. opere merito nos eam lætitiâ capiemus, quam ex

actione tam religiosa atque Catholica, par est ut capiamus; quemadmodum majestati tuæ plenius idem legatus exponet; ad cujus orationem referentes omnia, quæ in hanc sententiam plura dicere possemus, M. T. iterum rogamus, ut huic nostro tam justo tamque honesto desiderio, nullo modo deesse velit, pro sua in Sedem Apostolicam reverentia. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. Die xviii Decembris MDLXVIII, Pontific. nostr. ann. tertio ».

In ipsa imperiali urbe Vienna cœptam a Commendono Apostolicam visitationem, haud obscure Gratianus docet; nam ubi de apostatis, aliisque nefariis viris, ejusdem legati studio, aula (ut diximus) exturbatis, mox addit ¹: « Tempora inde sanctioraque delubra adiit, cultum ritumque sacrorum, item sacerdotes ipsos et templorum ministros recognovit; vasa, libros, vestem, omne instrumentum atque apparatus rei divinæ conficiendæ, rationem denique omnem habendi administrandique res sacras inspicxit: in quibus quam multa vitiosa fierent, reprehendere quam emendare facilius fuit. Ipse quidem in singulis fanis convocatos sacerdotes apta oratione appellavit, quæque in rem esse visa sunt monuit, multaque exemit, quædam etiam sivi, ad veteris normæ ritusque formam ordinavit. Sed omnia (addit Gratianus idem ²), quia exactor inde eorum nemo exiit, neglecta fuere. Nam Maximilianus, unicuique remedium esse ægræ ac perturbatæ reipublicæ, emendationem morum et prisicæ disciplinæ restitutionem, palam verbis prædicabat; occulte, nec corrigi quæ prave ac perperam fierent, nec omnino mutari quicquam patiebatur; ut labi et ruere Ecclesiasticam rem velle, ab non ignavis ingenii atque intimi animi ejus credetur. » Hæc Gratianus.

91. « Profectus Vienna Commendonus (subjungit idem) diœceses Passaviensem et Salisburgensem, per quas illi iter fuit, cura ac diligentia eadem, fructu ac operæ pretio majore lustravit, quod in utraque episcopi probi ac religiosi homines præerant, qui Commendoni studio, non solum adversari non sunt, sed etiam adjumento fuere ». Salisburgensis archiepiscopus tunc erat, ut scribit Wiguleus Hund ³, Joannes Jacobus Khuen Tyrolensis, qui, ex decano Erixinensi et canonico Salisburgensi, ad ejusdem metropolis cathedram anno MDLX evectus fuerat. At, priusquam Commendonus visitationis munus obiret, Pium, hoc ipso anno, licet corpore absentem, Salisburgensem tamen quodammodo spiritu lustrasse diœcesim visum esse; ad eundem archiepiscopum, quæ sequuntur ab eo datæ Epistolæ ostendunt:

¹ Ex Archiv. Vatic. ut supra.

¹ Ut supra cap. 5. pagina 265. — ² Ibid. ut supra. — ³ In Metropol. Salisburgens. tomo. I. pag. 33. n. 65.

« Venerabili fratri, archiepiscopo Salisburgensi ¹.

PIUS PAPA V.

« Ven. frater etc. Certiores facti fuimus ab iis, quibus fidem merito habere possumus, in quibusdam locis juris tui et Ecclesie tue nonnulla esse, quae tibi, ut credimus, minus nota, corrigi magno opere necesse sit. In oppido enim, quod Frisacum dicitur, quemdam, vicedominum appellatum, ejus loci rectorem, manifestum esse haereticum, et pestifera doctrina sua, publice praedicando, plebem corrumpere, eoque majus esse periculum, ne illae Catholicorum reliquiae pereant, quod is amicum et fautorem habeat, quemdam castellanum, hominem nobilem, vocatum Paiser, qui et ipse haereticus est, et monasterii quarundam monialium S. Georgii, opulenti admodum, administrationem invasit. In alio autem quodam castello, Altonovo nomine, esse quemdam, qui filius fuit archidiaconi, proxime mortui, aetatis annorum xxvi aut xxvii, qui ipse quoque Lutheranus est, et Missas inde et sacramentorum usum sustulit, non sine magna incolarum ejus loci querela, qui se jam biennium eis carere, et, ut pecudes, vitam agere ingemiscunt et dolent. Praeterea monasterium esse quoddam, de Salempert vocatum, leuca una circiter a loco Zaiphilum distans, valde opulentum. Ejus monasterii abbatem Joannem, ab hac sede provisum, salutis suae immemorem, ejus monasterii redditibus abuti ad alendos haereticos; et in his accessisse nuper ad se Christophorum quemdam presbyterum, qui uxorem duxit; quo praedicatoris divini verbi utitur, ad decipiendos ex Catholicis homines rudes ac simplices, et haereticorum sectam fovendam atque augendam. Quibus de rebus, tantopere ad officium et estimationem tuam et ad animarum salutem pertinentibus, fraternitatem tuam admonendam duximus, ut quam diligentissime cures inquirere veritatem, et tam gravia scandala, nihil nisi Dei Omnipotentis honorem respiciens, debita severitate quamprimum tollas atque removeas. In illum autem abbatem procedendi, atque, si vera esse compereris, quae ad nos de eo allata sunt, nostra auctoritate, monasterio illo, et caeteris, quaecumque obtinet, beneficiis Ecclesiasticis, eum privandi, plenam tibi et liberam, tenore praesentium, damus et concedimus potestatem. Haec ergo, ea sedulitate et cura exequi stude, facturus de his quae egisti nos postea diligenter certiores, ut zelum tuum divini obsequii, quem saepe laudari audivimus, agnoscere possimus, et laudare nos quoque in Domino debeamus. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die iv Junii m^olxxviii, Pontificat. nost. ann. tertio ».

¹ Ex Archiv. Vaticano.

92. Nec multo post, cum Pius idem intellexisset, quam improbe (praeter illos, quos in hac recenset Epistola) passim alii etiam Ecclesiastici earundem regionum se gererent, ac populos vivendi licentia scandalo afficerent: rem utpote caeterorum fere malorum originem, nec ferendam, nec simulandam existimans, eodem, quo priores, zelo, has quoque litteras ad eundem Salisburgensem dedit; eique per similes alias singulis suffraganeis suis tradendas misit, quibus, ut dioeceses quisque suas visitaret hortatus est, evellendisque vepribus, quibus paene Catholicae fidei germen suffocatum videbatur, ut sedulo incumbere, enixe monuit.

« Venerabili fratri, archiepiscopo Salisburgensi ¹.

PIUS PAPA V.

« Ven. etc. Relatum est nobis a viris rerum Germaniae peritis, et Dei zelo praeditis, plerisque eorum, qui beneficia et dignitates Ecclesiasticas obtinent, quos praereter officii sui memores laicis exempla praebere, recte honesteque vivendi; abjecto Dei timore, et sine ulla verecundia hominum, concubinas palam habere, easque perinde ac si legitime uxores eorum essent, in ecclesiis vel aliis locis publicis conspici, vulgo iisdem, quibus illi vocantur, officiorum et dignitatum nominibus appellatas. Eoque haereses tantopere crevisse ac multiplicatas fuisse, quod Ecclesiastici tam turpiter ac nequiter vivendo, omnem plane aestimationem amiserint, et in summam, non apud haereticos modo, sed etiam Catholicos contemptationem venerint. Quod tam gravi scandalo commoti, ad id tollendum, non medioeriter, pro officii sollicitudine, exarsimus. Nisi enim tam nefandum concubinatus vitium exstirpetur, nullam spem reliquam esse videmus, reprimi posse haereses; sed timemus, (quod Deus avertat) ne brevi tempore istae quae supersunt Catholicorum reliquiae amittantur, et omnis prorsus Catholicae religionis cultus apud vos extinguatur. Et si autem persuasum habemus, te non egere hortatione nostra, quippe quem scimus et Dei zelum habere, et ad commissi sibi gregis salutem invigilare; tamen, quod tua sponte facis, facturum te putavimus studiosius et diligentius, si zelus et charitas tua, Apostolicis hortationibus ac monitis acuretur. Proinde fraternitatem tuam etiam atque etiam hortamur et monemus, ut, cum scias ruinam populi esse improbos sacerdotes, et pro tua prudentia intelligas, si Ecclesiastici corrigantur, sperari posse futurum, ut laici quoque emendentur, atque ita haereticis propagandarum haeresum materia subtrahatur: clerum, tum dioecesis tuae, quam

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

civilis, primo quoque tempore, visites, et vita omnium ac moribus inquisitis, quæcumque in eis corrigenda repereris, Deum tantum respiciens, corrigas, et cum alia vitia, tum detestandum concubinalis vitium exstirpes. Subiectos tibi ordinaria, exemptos autem nostra, quam tibi, quatenus opus sit, tenore presentium delegamus, auctoritate, juxta canonicas sanctiones coercens et puniens. Quia vero suffraganeos quoque tuos, ad idem hortandos duximus, petimus, ut nostras ad singulos eorum litteras, quas cum his conjungi jussimus, diligenter cures perferendas. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xvii Junii MDLXVIII, Pontif. nostr. ann. tertio ».

Ex his, quæ de Germanicis Ecclesiasticis rebus sibi perla fuerunt, deinde, quod prædiximus, visitationis munus Commendano, Pontificem demandasse; nulli dubium esse potest. El quidem, tum Pii monitis, tum Commendonis solertia tribuendum est, ut non tantum plura, ut inuimus, corrigentur, sed etiam, quod archiepiscopus idem Salisburgensis (ut Gratianus¹ narrat) etiam Concilium provincie suæ, rem diu ante intermissam, habuit, in quo multa salubriter decreta et sancita sunt, quod quidem, non hoc anno, sed sequenti (ut dicitur) coactum fuit.

93. Qui autem, hoc tempore, Ecclesie Pataviensi præerat, et, ut audisti, uti Salisburgensis etiam a Gratiano laudatur, erat Urbanus a Trenbach, qui, ex canonico et præposito item Pataviensi, ut Wigulens scribit², episcopalem cathedram ejusdem Ecclesie laudem conscenderat. Hæc autem anno, cum ipsi Pataviensi civitati ac diocesi nonnulli subjecti, impiis forte sectariis suadentibus, obsoletam illam ac toties rejectam postulationem Communionis sub utraque specie, a laicis sumenda, renovasset, quod forte ea ratione hæretici paulatim incolas a communi ac universali Romanæ Ecclesie ritu adducere niterentur: ea de re consultus ab ejusdem urbis episcopo, Apostolicus apud Caesarem nuntius, cum his ex seipso nil statuere auderet, negotium totum ad Pontificem Maximum deferendum censuit, qui ad præfatum episcopum ista respondisse invenimus:

« Venerabili fratri Urbano episcopo Pataviensi³.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Ceriores nos fecit nuntius noster, qui apud serenissimum imperatorem electum residet, se abs te consultum fuisse super communi sub utraque specie, utrum eam diocesanis tuis efflagitantibus concedere deberes: misit etiam scriptum, in quo quæ in concedenda aut deneganda ea re, commoda

et incommoda essent, diligenter complexus es. Placuit nobis zelus, quem in hac re significasti, laudamus etiam prudentiam tuam, quod de re tam gravi nihil temere agendum putasti; sed Apostolica Sedis nuntium, hoc est, per eum Sedem ipsam Apostolicam consulisti. Sed nos, consideratis nobiscum attentius iis, quæ abs te proposita fuerunt, in eadem sententia mansimus, in qua etiam tum, cum a prædecessore nostro ea licentia efflagitata atque expressa fuit, fueramus: non esse hæc in re recedendum a tam vetere, et a tot SS. Patribus approbato, et sanctissime retento Ecclesie Catholice instituto: nec debere te, vel quemquam alium, moveri levium quorundam postulationibus inconsultis: qui, si vere Catholici essent, sanctam matrem Ecclesiam magis revererentur, neque ejus disciplinam et ritus tam temere abjicerent; et vere Catholicos potius, quam hæreticos horum temporum, in usu tam divini ac venerabilis Sacramenti sibi imitando esse statuerent. Si sub una specie perinde Christum integrum ac sub utraque sumi credunt, sicuti credere debent, cur una specie contenti non sunt? cur immutari ritum Ecclesie adeo antiquum et ab omnibus Catholicis nationibus, per tot sæcula observatum volunt? si non credunt, hoc ipso Catholicos se nomine tantum esse, re ipsa autem cum hæreticis sentire ostendunt. Nam, si vere Catholici essent, nullo sibi cum hæreticis, ne de caremoniis quidem, conveniendum esse putarent. Itaque metus ille, ne denegato eis usu sacri Calicis, ad hæreticos transeant, te movere non debet: si enim id facturi sunt, jam eos certum habeas, non esse pura nec sincera fide, nec pro veris Catholicis habendos. Quamobrem debes, frater, primum illud eniti, ut populus tibi commissus relinendum sibi esse statuat potius Ecclesie Catholice antiquissimum et sanctissimum ritum, quam cum quo hæretici utuntur: si hortando et monendo nihil profeceris: tu tuo te officio satisfacisse, intelligere debebis. Quisquis recesserit, non tua, sed sua culpa recesserit. Atque in hac sententia adeo constanter et fortiter manere debes, ut nullius jacturæ aut periculi metu ex ea te dimoveri patiari; etiamsi temporalia bona emittenda essent, etiamsi subeundum esset martyrium. Pluris talis constantiæ præmium æstimare debes, quam quantasvis opes et temporalia bona. Martyrium vero adeo non est subterfugiendum homini vere Christiano et Catholico, ut sit etiam expetendum, et in singularis beneficii loco a Deo accipiendum; et felix habendus sit, quicumque dignus habitus fuerit, qui pro Christo, et pro ejus sanctissimis sacramentis, sanguinem effundat. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvi Maii MDLXVIII, Pontifical. nostr. anno. iii ».

94. *Electo Basileensi præcipit ut consecratio-*

¹ Gratian. ut supra. — ² In Metropol. Salisburgen. Episcop. Patavien. tom. I. pag. 329. n. 70. — ³ Apud Goub. Epistol. 19. lib.

nem episcopalem recipiat. — Diu ante vero, intellexerat Pius huiusmodi, et alia in populis irrepisse, vel ex pravo episcoporum exemplo, vel, quod ipsi minime, ut debuissent, suo munere fungerentur; quare ipsis corrigendis incumbens, detestandum in primis eum morem, seu potius abusum (quem præteritis annis evelere jam capisse diximus, ut nempe episcopi consecrationem refugerent, ut consueverant) imis radicibus exstirpare, et hoc anno connixus est: ut apparet ex scripta ab illo ad Basileiensem electum episcopum Epistola ¹, quæ huiusmodi fuit:

« Dilecto filio Melchiori, electo episcopo Basileiensi.

PIUS PP. V.

« Quo magis consecrationem episcopo electo necessariam esse intelligimus, ad ea quæ ipsius ordinis et muneris maxime propria sunt exequenda atque administranda, eo amplius mirari sumus, te, ad hanc usque diem, rem tantopere necessariam tamque salutarem distulisse. Qua ex re, pro nostro pastoralis officii munere, sollicitaque omnium Ecclesiarum cura, non potuimus non magnopere dolere ac tristari. Et quanquam venerabilis frater Marcus suffraganeus tuus, nobiscum super hac re accurate sanc locutus, nonnullas causas excusationesque huius tui facti nobis attulerit; tamen nulla earum nobis idonea visa est et videtur, ob quam hæc ista tua consecratio, quam quidem multo ante fieri a te oportebat, ullo modo, aut prætermitti, aut longius differri possit. Quia tamen omnes venerabiles episcopos fratres nostros, teque inter eos, vere paternali benevolentia charitateque complectimur; idcirco mansuetudinis indulgentiæque nostræ non immemores, his nostris litteris te etiam atque etiam monendum duximus, ut, quod hucusque non fecisti, tibi primo quoque tempore faciendum statuas. Hoc autem tempus sex mensium spatium, a die, quo hæc nostræ litteræ scriptæ sunt, computandum tibi eisdem nostris litteris præscribimus: quibus quidem sex mensibus elapsis, nisi episcopus consecratus fueris, cogemur de his remediis cogitantes, quæ et ratio nostri officii, et Ecclesiæ tuæ cura a nobis exposcunt, ad depositionem tuam ab episcopatu devenire. Ad illud quoque, Domini vocis memores, ejus, qua Petro ipsi Apostolorum principi (ad cuius nos ministerium, licet meritis imparis, Deus vocavit) fratrum suorum animos confirmandos præcepit; hortamur, ut pastoralis sollicitudinis non oblitus, in cuius partem vocatus es, oves fidei tuæ providentiæque commissas, non solum ipse pascas, omnium exemplo virtutum salutarique doctrinæ pabulo, per te, et per

Catholicos et religiosos viros præbenda; sed etiam cleri depravatos diuturna vitiorum consuetudine mores, et laicorum, quoad ejus fieri potest, sine personarum acceptione severe corrigendos cures; ut relictis vitiis, quibus se ac sacerdotale nomen dedecorantes, in summam infamiam adduxerunt, atque hac maxime ratione laicos ipsos corruperunt, et a fide Catholica averterunt, juxta Apostoli sententiam, sobrie, caste atque honeste vivant. Si enim clerici et sacerdotes, cogitantes vitam suam, laicis ad imitandum maxime esse propositam, ita vivere eaque agere studebunt, quæ animarum salutis eorumque muneris fideliter administrando conveniunt, futurum est, Deo juvante, qui bonis semper voluntatibus occurrit, ut hæretici, cum in clericis ipsis ac sacerdotibus nihil quod reprehendere possint inveniant, aliquando repispiscant, atque ad cor redeant, et ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ revertantur. Hoc igitur, frater, præsta, hoc age; hæc noctes diesque meditare, hæc assiduis hortationibus et monitionibus enitere, ut, quantum in te erit, animabus tuæ curæ fideique creditis, pastorem curam vigilantiamque tribuas. Quod quidem si feceris, (quemadmodum te facturum esse speramus) unicum tu quidem remedium, ad sanandas hæreses, pietatemque ac Catholicam religionem revocandam adhibebis; sed et dignitati officioque tuo potissimum hac ratione consulens, et ab Omnipotenti Deo, nobisque præcipuum gratiam inibis. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxviii Decembris MDCXVI, Pontific. nost. anno iii ».

Hæc autem a Pio scripta jure merito censeri possunt, suggestionem pariter Commendonii ¹, cui hoc tempore (ut toties diximus) in Germania legato, collapsæ Christianæ disciplinæ ordinandæ, in iis præcipue, quæ ad episcopos ac animarum pastores spectare viderentur, negotium dederat.

95. *Pragensi episcopo mandat ut suam opus impleat perfectius.* — Præverat vero Commendonii ejusdem legationem, erga Pragensem Ecclesiam Pontificis sollicitudo, ut patet ex scripta ab eo ad eundem archiepiscopum præclara Epistola, qua in religionis officio continendos Catholicos, ad fidem revocandos lapsos, Tridentini Concilii exequenda decreta, provinciales et diocesanæ Synodos habendas, clericorum seminarium instituendum, interdictos libros cavendos; et, quod præ omnibus illi cordi erat, bonos tantum ac idoneos sacris Ordinibus initiandos, atque Hussitas, nisi resipuissent, minime promovendos, hortatus fuerat. Et quia infirma archiepiscopus valetudine laborabat, per adjutorem præfata omnia curare indulserat, quæ per seipsum præstare minime

¹ Apud Gomb. Epist. lib. 2. Epist. 20.

¹ Gratian. in Vit. Commendo. lib. 3. cap. 5. pag. 263.

potuisset. Digna est Epistola ipsa, quæ hic inseratur :

« Venerabili fratri N. archiepiscopo Pragensi ¹.

PILUS PP. V.

« Venerabilis frater etc. salutem et Apostolicam benedictionem. Commissi nobis officii cura compellimur, et ipsius Domini præcepto jubemur, fratres in sollicitudinis nostræ partem vocatos confirmare et excitare ad ea, quæ ad Catholicam religionem tuendam, et Dominicæ oves conservandas, opportuna ac potius valde necessaria esse noscuntur. Quantis laboribus sacrum Tridentinum Concilium incubuerit ad ea removenda, quæ gravia populis scandala pariebant, quamque salubribus decretis idem multa statuerit, per quæ bono Ecclesiarum regimini, et saluti animarum consuleretur, ipsius Concilii Acta declarant. Verum inanes tot labores evadent, et nullum populo Christiano fructum afferrent, nisi, quæ tam provide constituta fuerunt, in usum et consuetudinem, eorum opera, quorum id officium est, adducerentur. Proinde, licet fraternitatem tuam officio suo, quantum poterit, minime defuturam esse putemus; tamen, ne ipsi nostro desimus, cohortandum te in Domino duximus, ut ad Catholicorum reliquias in urbe Praga, et aliis Bohemiæ locis conservandas, et eos, qui a recta fide seducti fuerunt, ad Orthodoxæ religionis cultum revocandos, quanto maxime potes studio, cura et diligentia enitaris atque elaborares. Ad hæc vero efficienda, necesse est exequi te primum id, quod ipsum Concilium decrevit de Synodis celebrandis; sicuti in aliis locis et provinciis, ad laudem, non sine evidenti Ecclesiarum utilitate, jam celebratæ fuerunt. Et quoniam in Bohemia maximam bonorum et idoneorum sacerdotum penuriam esse constat; et cleri inscitiam moresque corruptos plebem non immerito offendisse; necessarium est abs te seminarium in civitate Pragensi institui, ad alendum bonorum sacerdotum, atque aliarum Ecclesiæ ministrorum sobolem: sicuti venerabilis frater episcopus Olomacensis, celebrata Diocesana sua Synodo, jam in Ecclesia sua instituit, cujus in tam sano opere merito est laudanda industria. Sed et in aliis locis quamplurimis hujusmodi seminaria instituta fuerunt et quotidie instituuntur; et res ipsa declarat, nihil a Concilio Tridentino providentius et utilius statutum fuisse. Oportet igitur, te, et ipsam Synodum primo quoque tempore celebrare, et seminarium instituere, nec ullam aliam temporis opportunitatem expectare: talia Dei opera non possunt sine Dei offensione negligenter fieri. Probabil tuam in hac re piam sedulitatem maxime ipse pro sua pietate Cæsar, si prius-

quam Pragam veniat, hæc abs te perfecta fuisse cognoverit. Nec vero difficile factu erit inire rationem aliquam, qua redditus seminario attribuantur, quanti ad usus ejus necessarios sufficient.

« Illud quoque vel maxime providendum est, ut ad sacros Ordines promoveantur homines, quos non modo constet esse Catholicos, sed qui, diligenti examine adhibito, sicuti Concilium Tridentinum decrevit, probentur idonei; si qui autem minus apti propter litterarum inscitiam fuerint, admonendi erunt, ut litteris operam dent, quoad tantum proficiant, ut promoveri possint. Quod si in Catholicis tantam diligentiam adhibendam esse Concilium statuit, intelligis profecto, quam mali ac potius perniciosi exempli res sit, homines Hussitas, quamvis fore se Catholicos affirmant atque promittant, in cujusquam gratiam, ad sacros Ordines promoveri. Quis enim confidere possit, id quod promiserint præstituros? Si qui tamen eorum fidem fecerint sincere se agere, et errores respuere velle, atque ex animo ad Ecclesiam redire, si non prius ad ullum erunt Ordinem admittendi, quam Hussitarum et alias omnes hæreses solemniter abjuraverint ac detestati fuerint; et per tantum tempus, quantum satis esse visum fuerit, Catholice vivendo, omnem hæreticæ labis suspicionem a se deputerint.

« Præterea curare te oportet, ut in urbe Praga aliisque Bohemiæ locis habeantur Indices seu Catalogi eorum librorum, quorum lectio prohibita fuit, ut Catholicæ noscant, a quibus libris abstinere debeant. Danda quoque opera erit, ut Decretorum Concilii exemplaria habeant, ex quibus salutare Catholicæ fidei doctrinam haurire possint.

« Quia vero, sicut accipimus, tenui admodum valetudine uteris, et crebro ægrolare soles, admonemus, ut aliquem spectatæ fidei, probitatis et industriæ virum deligas, qui vicem tuam agat in iis rebus, quæ ad talium ministrorum munus pertinent; cuique ea, quæ ipse, vel morbo præpeditus, vel aliis occupationibus distractus, obire non poteris, fidenter possis committere; per quem vel per aliam Ecclesiasticam personam debebis parochos civitatis diocesane Pragensis, et reliquum clerum tuum diligenter visitare, et quæ in eis corrigenda ac reformanda fuerint, Dei tantum honorem et aliorum salutem, ac tuam ipsius ante oculos propositam habendo, corrigere ac reformare. Cogitans igitur, charissime frater, de animabus pretiosissimo Christi Sanguine redemptis, si culpa vel negligentia nostra perierint, rationem a nobis acriter exacturum Redemptorem ipsum æternumque Pastorem, tali sedulitate commissum tibi officium implere stude. Hæc, de quibus te admonuimus, et alia, quæ saluti anima-

¹ Apud Gomb. Epistol. 45. lib. 2.

rum utilia cognoveris, exequendo, et a parochiis tuis, ac aliis in Bohemia curæ animarum præpositis, hortando, monendo, obsecrando, arguendo etiam, et increpando, si opus sit, suum cuiusque ministerium, ita implendum curæ; ut pro lucro animarum, quæ acquisite fuerint, laudem potius et præmium tu, et illi consequi, quam pro jactura earum, quæ incuria vestra, quod absit, perditæ fuerint, graviolem sententiam metnere debeatis. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxiii Julii m̄lxxviii, Pontificat. nostr. anno iii ».

Epistolam hanc, a Melchiore Billio, Apostolico suo apud Maximilianum nuncio, ad præfatum archiepiscopum mitti Pontifex voluit; imo ejusdem exempta, ad ceteros quoque Germaniæ episcopos, qui Concilii Tridentini decreta nondum executioni mandassent, ab eodem Billio transmitti præcepit, ut ex his patet. quæ ad ipsum scripsit :

« Dilecto filio, Melchiori Billio, Sedis Apostolicæ pronuntario et nuntio ¹.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Quia audivimus, ven. fratrem, archiepiscopum Pragensem, nondum Synodum suam juxta sacri Concilii Tridentini decreta celebrasse, neque seminarium ex ejusdem Concilii decreto instituisse, ad hæc, quæ tam salubriter statuta fuerunt, sine longiori mora exequenda, et ad alia, quæ, ad conservandas in Bohemia Catholicorum reliquias esse duximus opportuna, eum hortati sumus litteris nostris; illas ad eum perferendas curabis, et ad eum ipse quoque scribes. Quia vero, in aliis quoque Germaniæ locis, nondum Synodos celebratas, nec hujusmodi seminaria instituta fuisse dolenter audivimus; volumus ac mandamus tibi, ut quoscumque alios episcoporum Germaniæ, nondum in his rebus functos officio suo esse compereris; ad eos exemplum litterarum nostrarum ad archiepiscopum Pragensem scriptarum mitas, ac per tuas quoque litteras, ad Concilii Tridentini decreta in sua cuiusque eorum Ecclesia, atque diocesi in usum adducenda, nostro nomine, quam diligentissime horteris ac moneas. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvii Julii m̄lxxvii, Pontificat. nostr. ann. iii ».

Cum autem referat Thomas Joannes Persina de Czechemrod ², in suo Phosphoro septimario, jam pridem, nempe anno m̄lxx, seminarium seu collegium, ad instituendos in litteris et doctrina Christiana juvenes, qui aliquando sacris Ordinibus initiali curam animarum gerere possint, et alios quoque tenuioris fortunæ adolescentes, in bonarum artium studiis fovendos ac sustentandos, quod Conventum dici pla-

cuerat, feliciter Pragæ erectum fuisse; ideoque, dum hæc scripsit Pius, vel id ignorasse dicendus est, vel, ex more, quo, præ aliis, id episcopis præcipere consuevit, utpote in primis necessarium, scripsisse. Olomucis autem, episcopali urbe Moravia, sub eodem Pragensi archiepiscopo, septuaginta ad Catholicam fidem hoc anno revocatos esse, inter quos ipsum Lutheri consobrinum, narrat Sachinus ¹: et insuper, ab episcopo diocesanam Synodum habitam, undequinquaginta annis intermissam refert. Ecclesiastica tamen, non modo negotia, sed civilia cuiusvis generis quoque interrupta, tum Pragæ, tum Bohemia tota, ineunte Æstate vulgata lues, a qua haud pauci consumpti :

96. « Præterea (scribit Gratianus ²) et Vienna ipsa, et multæ civitates episcopis carebant, aut, si qua habebat, perinde officium eorum desiderabat, quod illi aulam Maximilianumque affectantes, et ambitioni suæ, aut pecuniæ, aut certe longe aliis procuracionibus intenti, negligebant sacrorum curam. Id adeo malum plerisque in provinciis grassatur, in quibus episcoporum nominatio est regibus tributa, concessione dicam an socordia Pontificum Maximorum? Nam ante, aut a Pontificibus dabantur, aut a sacerdotum collegiis, ut quisque innocentia ac dignitate inter eos excelleret, justis suffragiis legebantur. Ita bonis quisque artibus nitentur, adeptique honorem, etiam munus implere ac præstare suum studebant. Nunc longe alio ex genere hominum sumuntur, sæpe bello exercitiis, veluti militare præmium, episcopatus dantur: sæpe gratiosis aut potentibus; interdum et feminis adulantes, episcopi fieri merentur: quibus nullum doctrinæ, nullum pietatis studium, nulla, aut scientia, aut usus earum rerum, quarum causa is est in Christiana Republica magistratus Deo auctore institutus. Atque ex hoc maxime fonte manasse illa pestis satis creditur, qua multa hodie regna, deformata hæresibus, vastata civilibus bellis, et quædam etiam eversa, ac prope funditus excisa esse cernimus; quippe episcopis officii sui, aut ignavis, aut negligentibus, continuo et populorum mores prolabantur, et laxatur Ecclesiastica disciplina, et religionis cultus, quo status rerum-publicarum continetur, omnis exsolvitur, convellitur, destruitur. Hinc hæresum ac pravaram opinionum turba in Ecclesiæ claustra, veluti incustodita et potentia irrumptit, odio ac discordia, et mox cædibus, seditionibus, armis cuncta permiscet. Commendonus, cum hæc apud Cæsarem sæpe disseruisset, Strigoniensibus archiepiscopis, et Viennensibus, ac aliquot Ungariæ civitatibus episcopi, ut darentur, obtinuit ». Sic ille: verum, non hoc anno, sed sequentibus,

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra. — ² Thom. Jo. Persina de Czechemrod. Phosphor. septimicor. Col. 3. pag. 325.

¹ Hist. Societat. Jesu sub hoc anno. — ² In Vita card. Commendon. ut supra cap. 5. pag. 263.

qui iisdem civitatibus præessent, episcopi dati sunt.

97. *Abusibus qui irreperant in electione episcoporum fortiter obsistit Pontifex, et nisi magna cum cautela electos confirmat.* — Cæterum, sive quod modo in Germania, vel ad principum nominationem, (quod Gratianus merito dolet) vel a sacerdotum collegiis plures episcopi eligerentur; id profecto, nec in magnum etiam Ecclesie fideique commodum cecidisse, (ea tunc ibi erat rerum temporumque calamitas) quæ hoc ipso tempore acciderunt, manifeste declarant. Capitulum enim et canonici Bremenses, præterito anno, in archiepiscopum suum, Henricum filium Francisci, ducis Landenburgensis admodum juvenem elegerant, pro ejus confirmatione apud Pontificem Maximum, sedulo insisterant. Verum Pio rem in longum protrahere visum est, quod nimirum, præter ætatem, satis electi illius qualitates compertæ sibi non essent, ac juxta Apostolicum monitum, cito manus imponere¹ detrectabat. Ad Maximilianum imperatorem igitur, qui confirmationem præfatam urgebant, præsidium confugiendum existimarent, qui iisdem impulsoribus ad Pontificem Maximum sequentes litteras², ex proprio originali a nobis excerptas dedit:

« Beatissime in Christo pater, Domine reverendissime. Post officiosissimam commendationem, filialis observantia continuum incrementum. Existimamus Sanctitatem Vestram jam dudum intellexisse, quod, ex humanis, superiore anno, sublato venerabil. ac illustr. quondam Georgio, confirmato in archiepiscopum Bremensem, et episcopum Verdensem, ac administratorem Ecclesie Mindensis; decanus et capitulum dicte metropolitane Ecclesie Bremensis, ad diem decimam septimam mensis Februarii proximi elapsi anni, capitulariter congregati, in locum defuncti pastoris, ac in futurum Bremensem archiepiscopum, rite ac canonice, unanimique voto elegerunt illustræm Henricum, filium illustr. Francisci ducis in Landemburg. consanguinei, et principis nostri charissimi, Coloniensem canonicum et Bremensem; prout ejus electionis et acceptationis instrumenta, jam pridem, in alman istam Urbem, pro impetranda benigna Sanctitatis Vestre confirmatione transmissa fuisse accepimus. Ea sane electio nobis admodum grata accidit, quoniam confidimus, dicte Bremensi Ecclesie optime consultum esse, cum propter generis splendorem, quo electus ipse fulget, tum patriæ ac cæterorum illustrium consanguineorum et cognatorum singularem auctoritatem, qua in universo illo inferioris Saxonie tractu pollent; ita ut, quacumque occurrente necessitate, episcopatu illi magno usui ac presidio fore videan-

tur. Quod autem ad personam ipsius illustris electi attinet, proficetur ille et lætetur religionem nostram Catholicam, et Sanctitatem Vestram Sedemque Apostolicam summa observantia prosequitur; eaque est, ut accepimus, indole, prudentia, eruditione, pietate, ac vite morumque honestate et probitate, et his demum excellentibus animi dotibus præditus, ut maximam de se bonorum virorum expectationem conceitaverit, atque ad hoc amplissimum archiepiscopale munus valde idoneus jam esse judicetur. Et licet fortassis, ætatem illam, quæ in tanto præsulæ et archiepiscopo, juxta tenorem canonum atque Ecclesiasticarum Constitutionum requiritur, nondum attigerit; tamen hunc ætatis defectum, ingenii felicitate, sapientia et morum gravitate cumulare compensabit; adeoque intellectu, virtute, atque animi præstantia haud facile cuiquam cedet, qui jam ad maturam etiam et requisitam in archiepiscopo ætatem pervenerit, nec annorum causa, minus aptus ad regendum archiepiscopatum illum haberi debet. Postquam igitur certiores facti sumus, jam diu isthuc constitutos esse procuratores, qui ejus nomine a Sanctitate Vestra confirmationem reverenter petant, sed concessionem ejusdem aliquid more interponi; veriti, ne istiusmodi dilatio dicte Ecclesie magnopere noceat, et majora cuiquam incommodo vel scandalo ansam et materiam præbeat, id, quod nos maximopere cupimus præcaveri; siquidem non modo ipsi capitulo, verum etiam ordinibus, et subditis, ac universæ nobilitati et populo archiepiscopatus illius, valde incommodum et molestum accidit, hoc periculoso et turbulento rerum et temporum statu Ecclesiam illam diutius certo pastore et principe carere, ad eujus opem et patrocinium fugiant, si quando necessitas aliqua ingruat. Non dubitamus proinde Sanctitatem Vestram, pro filiali nostra in eam observantia ac studio, et pro Cæsarei muneris nostri quoque ratione, reverenter admonere ac rogare, prout enixe iterum atque iterum rogamus, ut ne patiatür præfatum archiepiscopatum, optato electi pastoris solatio destitutum, et ejusque injuriis et violentiis expositum manere; sed dignetur memorate electioni dicti illustr. ducis Henrici, absque ulteriori mora vel difficultate clementer annuere, eamque ratam et gratam habere, litterisque necessariis et idoneis desuper expediendis gratiose confirmare. Et quatenus ipsi illustr. electo annorum defectus (quem tamen vigor ingenii, eximiaque prudentia, et singularis virtus emulatissime sarcire dicitur) obstare videretur; super eo auctoritate sua Apostolica gratiose dispensare, habita paterna atque benigna ratione, non tam officiosissimæ intercessionis nostræ, quæ, pro Sanctitatis Vestre in nos summo amore, plurimum semper ponderis habere solet; quam

¹ 1. Timot. 5. — ² Ex originali seer. Alexand.

ipsiusmet necessitatis, quæ videtur omnem longiorem dilationem excludere, sicuti Sanctitatem Vestram, intellectis his rationibus, qua ipsius est immensa pietas, non gravate facturam plane confidimus. Certe Sanctitas Vestra hac ratione insigni et antiquissimæ illi Ecclesiæ rectissime consulat, facietque rem sua benignitate dignissimam, quam nos, una cum sepefacto electo, erga Sanctitatem Vestram mutuis filialis obsequii studiis, per omnem occasionem promereri, sedulo conitemur, Deum Opt. Maximum precando, ut Sanctitati Vestræ vitam et incolumitatem in multis annos, pro commodo et beneficio universæ reipublicæ Christianæ proferat atque conservet. Datum in civitate nostra Vienna, die decima Januarii, anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, regnorum nostrorum Romani sexto, Hungarici quinto, Bohemiæ vero decimo nono.

Obsequens filius

Maximilianus ».

Ad hæc Pius paucis respondit. Epistola, quam ad Maximilianum scripsit, huiusmodi fuit :

« Charissimo in Christo filio nostro Maximiliano, Ungariæ et Bohemiæ regi illustri, in Romanorum imperatorem electo ¹.

PIUS PP. V.

« Charissime etc. Dilectum filium, Henricum ducis Landeburgensis natum, a capitulo Bremensi electum archiepiscopum, maxime cuperemus a nobis confirmari posse; tum quia non ignoramus, quantopere expediat illi Ecclesiæ vacanti, sine longiore mora, de Catholico prædite providere; tum quia commendatio tam diligens majestatis tuæ nos plurimum movet, cui, pro paterna erga eam amore nostro, et ipsius erga nos eximia pietate, quibuseumque rebus honeste possumus, gratificari debemus. Itaque si nihil aliud præter ætatem obstaret, et utilitatis Ecclesiæ causa, et in tuæ majestatis gratiam, super hoc defectu dispensaturi essemus. Verum, præter ætatem, illud obstat, quod ejus patrem non consentire cum hac Sancta Sede constat, atque ipsum quoque juvenem, minus recte sentire, suspicio est. Hæc nos, quo minus electionem confirmemus, multo magis quam ætas impediunt ac deterrent. Æquum est autem, majestatem tuam æquo animo ferre, si a nobis non impetratur, quod, salvo officio et sine conscientia nostræ scrupulo concedere non possumus. Alium si elegerint, qui et ipse idoneus sit, et parentes habeat Catholicos, libenter electionem ejus confirmabimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x Februarii MDLXVIII, Pontificat. nostr. ann. tertio ».

¹ Ex Archiv. Vaticano, ut supra.

98. De David Koldeer decano, canonico et Ecclesiæ Ratisponensis custode, a præferto anno in Ecclesiæ ejusdem episcopo a capitulo electo, huiusmodi ad Pium pariter delata sunt ut, salva conscientia, electionem illius, nullatenus se confirmare posse profiteretur; licet is (ut paulo ante memoratus Wiguleus ¹ scribit) « Ad Dominicam *Exaudi*, quæ fuit xi Maii anno MDLXVII, Salisburgum petierit, examini episcoporum electorum in Concilio Tridentino præscripto sese subjecerit, et confessionem fidei emittere non dubitaverit ». Capitulum ac decanus Ratisponensis diu et acriter igitur apud Pontificem institerunt, ut ratam demum præfatum electionem, ut diximus, haberet; quibus ille hoc anno quod sequitur responsum reddidisse reperimus :

« Dilectis filiis capitulo et decano Ecclesiæ Ratisponensis ¹.

PIUS PP. V,

« Dilecti etc. De electo a vobis episcopo, quædam adeo gravia nobis, ex personarum fide dignarum testimonio innouerunt, ut sine magno conscientia nostræ onere, et aliorum scandalo eum confirmare non possimus. Etsi autem ipsi, pro nostro jure, alium eligere possemus, tamen vobiscum æquius agere volentes, alterius eligendi vobis potestatem relinquimus; mandantes in virtute sanctæ obedientiæ, ut Dei tantum honorem et Ecclesiæ vestræ utilitatem ante oculos habentes, talem primo quoque tempore eligere studeatis, quem et Catholicum esse compertum habeatis, et cum prudentia et rerum usu, tanto oneri aptum; tum ea vite et morum honestate præditum, ut, servatis sacri Concilii decretis, eum confirmare possimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die ii Septembris MDLXVIII, Pontif. nostr. ann. tertio ».

Jam ab superiori anno haud facile electionem hanc a Pontifice comprobendam intellexerunt, qui Salisburgi erant, cum illic, ut diximus, se contulit David, ut episcoporum se examini subiceret; ideoque, ut præfatus scribit Wiguleus ² « ibi consultum videbatur, ut etiam Cæsareæ majestatis patrocinium conquiretur, eo quod Pius V cunctantior diceretur in electione pastorum confirmanda ». Patienter nihilominus toto biennio tulit Pontifex, ad alterius electionem, quam ipse comprobare posset, Ratisponense capitulum non devenisse; abstinuitque ipsemet ab electione, (ut audisti) quæ jam ex legibus ad se unum pertinisset, ne magis auctoritate quam charitate rem egisse videretur. Interim falso objectas Davidi criminationes deprehendens, ad ejusdem confirmationem se luto procedere posse cognovit: « Id (inquit

¹ EX Archiv. Vaticano. — ² Ibid. ut supra.

Wiguleus,) quod et factum est, ut electus post biennium, oct. idus Martii confirmaretur, et confirmationis litteræ xii Maii, Roma Ratisponam venerunt ». At sequenti anno a nobis dicendum erit.

99. Suspectas autem jure merito fuisse Pio hujusmodi a capitulis episcoporum factas electiones, ex eo potissimum fuisse dignoscitur, quod, non modo qui eligebantur sæpe sana fidei non essent, quapropter periculum erat, (ac sæpe accidit), ne pro pastoribus fures ac latrones gregibus præponerentur, qui oves mactarent, occiderent, perderent; sed etiam quod electores ipsi haud raro prostituta fidei essent, qui idcirco studio ac data opera, non in eos, quos debuissent, meliores, sed e contra in deteriores, sibi que similes, errorum labe infectos, suffragium suum conferre vellent. Et, ut paucis plura perstringamus; aequè de electoribus ac de electis pertimescens, merito cavendum Pius arbitratus est. Quæ quidem comprobant, quæ hoc ipso anno Hildesemensi episcopo præcepisse invenimus hac Epistola :

« Ven. fratri, episcopo Hildesemensi ¹.

PIUS PAPA V.

« Ven. frater etc. Fraternalitatem tuam nosse certo habemus, quam periculosum sit Ecclesiis, in capitula recipi homines de hæresi vel leviter suspectos, præsertim in locis, in quibus electionis jus ad ipsa capitula pertinet. Itaque, de istius Ecclesiæ reliquiarum salute solliciti, admonendum esse te diximus, et in virtute etiam sanctæ obedientiæ præcipiendum tibi atque mandandum, ut, cum, aliquem de capitulo cedere vel decedere contigerit: neminem omnino, etiamsi Apostolica auctoritate provisum esse se diceret, in ejus locum admitti ac recipi patiaris, nisi quem constet esse Catholicum, quique professionem fidei suæ, juxta salubre decretum sacri Concilii Tridentini, et Formularium, a felice. record. Pio PP. IV prædecessore nostro editam, publice cum juramento fecerit. Quod in ejusdem quoque obedientiæ virtute, et sub excommunicationis lætæ sententiæ pœna, a quolibet de capitulo tuo servari imposterum, earundem litterarum tenore et auctoritate, volumus atque decernimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die.... ann. MCLXVIII, Pontif. nostr. ann. tertio ».

100. Quod aequè igitur, (ut dicebamus) tam electorum, quam eorum, qui ab illis electi fuissent, studia Pontifex merito suspecta haberet: hinc passim, haud facile, nec nisi post habitam longam diuturnamque disquisitionem, hujusmodi factas a capitulis episcoporum electiones ratas habere consuevit. Unde, uti præterito anno vidimus, sic præsentibus quoque, infracto

animo eam Henrici Brunsvicensis pueri, ab Halberstradensi capitulo factam electionem, constantissime improbavit; licet, ad magis urgentem ipsius confirmationem, Romam missi fuissent, qui illam, viribus omnibus conatibusque curarent. Ad Henricum siquidem juniorem Brunsvicensem ducem, in primis hæc scripsit :

« Dilecte filio, nobili viro, Henrico juniore, Brunsvicensium duci ¹.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Cum sciamus te principem esse Catholicum, et Orthodoxæ religionis propagatorem omni tempore fuisse, persuasum illud quoque habemus, nihil te ab hac Sancta Sede impetrare velle, nisi, quod, salva illius dignitate, salva conscientia nostra, concedi posset. Quod de admittenda postulatione dilect. filiorum decani et capituli Ecclesiæ Halberstradensis, a nobis petisti; cuperemus rem a nobis postulasses, in qua nobilitati tuæ, sine Dei et hominum offensione gratificari possemus. Expectus esses, quantopere te, ob tuam in Catholica fide constantiam, et sinceram devotionem erga Sedem Apostolicam, diligamus. Sed, si eam postulationem admitteremus, nullo pacto, nec apud Deum, nec apud homines, nos excusare possemus. Res esset nimis mali exempli, nimis nobis indigna, nimis his temporibus aliena, si puero ætatis quinque vel sex annorum, qui per ætatem nondum intelligere potest quid agatur, nec cui vitæ generi addiciatur, ejus Ecclesiæ administratio committeretur. Sermo nec daremus, et hæreticis et Catholicis omnibus, nec homines modo, qui nunc sunt, gravissime offenderemus, sed posteris etiam pessimum exemplum relinqueremus. Non modo illi Ecclesiæ, tantulæ ætatis administratorem habere, non capedit, sed nec tibi, nec illi. Tibi quidem, quia tu quoque Deum graviter offenderes: illi autem, quia nemo divinare potest, qualis, cum adoleverit, ejus voluntas futura sit, quod vitæ genus illi placitum sit. Unicus est præterea adhuc nepos tuus, ex filio unico, unicum subsidium generis et familiæ tuæ. Qui scire potes, an alios habiturus sis? quid attinet, tot oppidorum et locorum temporalis ditionis tuæ futurum aliquando, si vixerit, ut optamus, hæredem, implicare administratione honorum Ecclesiasticorum? Quocirca paterne hortamur nobilitatem tuam et suademus, ut tali consilio et cogitatione desistas. Potius cogitemus, dilecte fili, illa quæ ad salutem animarum nostrarum pertinent: de alia vita potius quam de hoc seculo cogitemus. Abjiciamus amorem omnium bonorum temporalium, quæ vana atque caduca sunt, et illa, quæ vera, quæ æterna sunt, concupiscamus. Quia te sincere in Domino diligi-

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

mus, hæc breviter admonendum duximus. Quia vero ipsius capitulum Halberstradense, ad eligendum seu postulandum personam ætate, vita et rerum usu idoneam hortati sumus, præstito illis tempore competente; a nobilitate tua petimus, ut eos ad id tu quoque horteris, et, sicut Catholico principe dignum est, auxilium illis tuum, ad bona Ecclesiæ defendenda nunquam defuturum esse pollicearis atque confirmes, et, si opus fuerit, præstes; quod tibi in tuorum peccatorum remissionem suademus. Facies enim Deo gratissimum, et maximam eo nomine laudem a nobis et ab aliis omnibus consequeris. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III Februarii, ann. M^oXLVIII, Pontific. nostr. ann. tertio ».

Epistola aulem, quam ad capitulum Halberstradense se scripsisse Pontifex dicit, data est sub ipsis die et anno, et hujusmodi fuit :

« Dilectis filiis decano et capitulo Ecclesiæ Halberstradensi ».

PIUS PAPA V.

« Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. Post acceptas litteras vestras, et auditum benigne nuntium qui eas attulerat, etsi consideravimus diligenter nobiscum ea quæ proposuistis; nullo tamen pacto inducere animum potuimus, puero quinque vel sex annorum administrationem istius Ecclesiæ committere, nimis repugnante conscientia nostra, nimisque gravi scandalo totam Germaniam offensuri, neque eos modo qui nunc sunt, sed etiam posteros, si memoria proderet, puerum, in quo nulla per ætatem esse potest earum rerum quæ a sacris Canonibus requiruntur, designatum, nobis, postulationem vestram admittentibus, esse pastorem et episcopum Ecclesiæ, contra omnes canones, contra decreta Conciliorum. Quam possemus rationem hujus rei reddere æterno illi iudici, in tremendo iudicii die? Scimus quidem, avum pueri principem esse Catholicum. Scimus, quoad viveret, non defuturum ei Ecclesiæ, ad defendendum ejus bona, illius auxilium ac patrocinium. Sed qua jam ætate sit, noscitis. Is præterea puer, unicus illi nepos est. Ne illius quidem domui expedit nepotem suum unicum, temporalium Ecclesiæ illius bonorum causa (cum nec ipse intelligat quid agat, nec quæquam hominum divinare possit quid æturus sit, si, Deo dante, ad annos adolescentiæ pervenerit), rebus Ecclesiasticis immisceri, non sine Dei Omnipotentis, ut verendum est, indignatione. Cum autem jamdiu ipsa Ecclesia vacet, nec sine magno ejus detrimento differri possit diutius electio novi episcopi, in locum demortui : etsi pro nostro jure, postquam vos prioribus nostris litteris moniti,

jamdiu cessastis eligere, seu postulare personam idoneam, possemus, quem nobis placeret, episcopum et pastorem illi præficere; tamen benignius vobiscum agere volentes, vos iterum hortandos duximus ac monendos, ut, diligenter attendentes periculum, in quo Ecclesia vestra versatur, officii vestri memores, omni excusatione omissa, ea qua debetis concordia, Deum tantum præ oculis habentes, eligatis vel postulatis aliquem, secundum sacros canones, ætatis legitime, vita et fide atque usu rerum, idoneum ad ipsius Ecclesiæ regimen. Ad quem eligendum vel postulandum, vobis, postquam has litteras acceperitis, præfigimus spatium trium mensium, pro termino peremptorio : intra quod tempus, si eligere vel postulare neglexeritis, nos jure nostro utemur, ac, sicut Deus nobis inspiraverit, ipsi Ecclesiæ providebimus : et conscientiam nostram, quæ longiorem moram ferre non potest, exonerare curabimus. Proinde, dum etiam nunc vobis permittitur, officio vestro fungimini, et de divino cultu atque animarum salute præcipue solliciti, de temporalibus vero bonis sollicitudinem in Deum projicientes, sperate etiam, ad ipsa bona temporalia tuenda, non modo divinam opem adfuturam, sed ne humanum quidem auxilium vobis defuturum. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III Februarii M^oXLVIII, Pontific. nostr. ann. tertio ».

101. Præterea, etiam si hæc omnia defuissent, quæ ad revocandum a pertinaci consilio Halberstradense capitulum Pontifex in medium attulerat, unum id sufficere debuerat, quod, ipso hoc tempore, in alio Brunswicensi principe accidit; et quod in ipso, quem ipsum capitulum elegerat, futurum tandem esse prænotavit. Rem narrat Michael ab Isselt ¹, his verbis : « Henricus dux Brunswicensis multis et variis fortunæ vicibus jaectatus, Catholicæ religionis acerrimus in Saxonia vindex, cum quinquaginta fere sex annos ducatum administrasset, anno ætatis octogesimo, in Christo obdormivit, unico relicto, ex ducis Ulrici Witenburgensis sorore filio, Julio, quem, viventibus fratribus, Carolo Victore et Philippo magno, pater sacris destinarat. Sed occisis fratribus in memorabili illo prælio ad Sivershusium, episcopatum Mindensem et Paterbonensem, ejus coadjutor erat designatus, reliquit, et patri mortuo in administratione successit, paternamque religionem in hanc (Lutheranam) novitiam convertit. Quæ conversio seu perversio peropportuna accidit iis Ecclesiasticis hominibus et cœnobiarchis, quibus carnis titillatio et pruritus erat permolestus, et jam ad incestas nuptias omnibus votis aspirabant. Inter quos primus fuit Joannes Lobererus monasterii Riterbursensis, juxta Bruns-

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

¹ Ab Isselt Histor. hoc ann.

wicam abbas, qui primus ex praelatis, in hoc ducatu, matrimonii capistrum, abjecto cucullo, induit ». Ista ab Isselt.

Thuanus ¹ vero addit : « Statim principatus sui initio (Julius) Augustane Confessioni subscripsit, et eam per ditionem suam promulgandam curavit, Jacobo Andeano Tubingensi et Martino Chemnisio ad id evocatis. Auctor et fuit Joanni Lorbeero Rilerbursensi cœnobii, ad primum a Brunswica lapidem præsul, ut eandem confessionem reciperet; quod et ille, abolito majorum cultu, fecit, et instituta schola atque uxore ducta, in ea ad vitam perseveravit. Cujus exemplo, et Eberardus Hollius Verdensis episcopus, in tota ditione sua, majorem cultum antiquavit, et Augustanam confessionem recipiendam curavit ». Sic Thuanus. Vide, quæso, benigne lector; in Julio Brunswicensi, lupum in pastorem Mindensem et Paterbonensem Ecclesias sibi delegisse, a quorum fuissent dentibus laniate, nisi Omnipotentis pietas tam ingens malum avertisset; cum ipse, non modo plebis populorumque sibi subditorum sana corruperit; sed præsul, etiam non tantum in sua ditione constitutos, sed etiam externos, verbo et nefario exemplo labefactaverit.

Præfati autem Verdensis episcopi (si modo, inquit ab Isselt ², episcopus ille dicendus sit, qui sibi desponsatam Ecclesiam, nequequam reclamantibus canonicis quibusdam senioribus cathedralis Ecclesiæ, profanorum hominum libidini prostituit), sacrilegum idem exemplum sectatus est (civium tamen tumultu coactus) in urbe ac territorio Osnaburgensi Joannes ab Hoja, de quo plura, præteritis annis, in Epistolis Caligarii ad cardinalem Commendonum. In ea tamen urbe cathedralem Ecclesiam, in qua nil civibus et Reipublicæ juris erat, ab omni hæreseos labe sartam tectamque conservasse, idem asserit; additque, ipsius successores, ab hæreticorum perfidia, in præsentem adhuc diem, ita incolamem custodisse.

402. Tam luctuosus casibus edoctum, mirum idcirco non est, Pontificem, ut non semel admonuimus, in approbandis confirmandisque episcoporum in Germania electionibus, tantam cautelam adhibuisse, tantaque circumspectione usum esse, ut earum plerasque rejicerit; alias vero, non nisi post longum diuturnumque examen comprobaverit. Illa ipsa Ernesti, Alberti Bavaricæ ducis filii, quam ratam habuerat, ac innumeris ex causis (quibus Dei, religionis honori et præsidio consultum crediti) ratam se habere debuisse censuerat: quod tamen Ernestus in ea nondum esset ætate, ut per se pastorali munere fungi posset, nec sciri, qualis tandem cum adolevisset evasurus esset, sæpe animum illius torquebat, metuens, ne sibi im-

putaretur, quod ille, pro demandato munere, agere prætermisisset. Testatur id, præ aliis, Epistola ad præfatum Albertum, sub hujus anni initium scripta, qua Albertum ipsum, quem, quodammodo pro filio fidejussorem receperat, ad ea præstanda, quæ ad utilitatem animarum et illius Ecclesiæ spectarent, sollicitus exactor urget his verbis:

« Dilecto filio, nobili viro, Alberto, Bavaricæ duci ¹.

PIUS PAPA V.

« Dilecte etc. Cum Frisingensis Ecclesiæ administratorem in temporalibus constituimus dilectum filium Ernestum, natum tuum, speravimus fore, ut quidquid in Ecclesia illa correctione indigeret, auxilio et favore nobilitatis tuæ facile corrigeretur. Cum autem ad aures nostras pervenerit, esse de canonicis nonnullos, qui nondum adduci potuerint, ut concubinas dimittant, et tam pertinaciter eas retinere, in quo salutis suæ immemores esse sese ostendunt, nec attendunt quam grave scandalum laicis præbeant, quibus caste et honeste vivendi exempla præbere debent; quod, etsi tuæ quoque nobilitati displicere certum habemus, tamen horlandam eam duximus, ut, cum sciat, eam Ecclesiam quodammodo fidei suæ a nobis commendatam fuisse; eis, per quos ei rei providendum erit, auxilium suum pollicentur ac deferat, ac, si timidiore ac negligentiores sint, ad tollendos abusos et hujusmodi scandala tollenda hortatione sua excitet. Nam de ipso Ernesto persuasum habemus, pro charitate paterna, salis sibi curæ esse, ut is ita se gerat, ut nostra de eo spes in dies magis confirmetur. Sed tamen, quia eum, tanquam communem filium diligimus, et valde optamus, ipsum proficere; nobilitatem tuam hortamur, ut attendat diligenter, quorum consuetudine utatur, et curet ut bonos præceptores et consiliarios habeat; quod quanti referat, pro tua prudentia nosti. Plura de eo scribere ad te, qui illi pater es, non est necesse: tantum nobilitatem tuam meminisse cupimus, curam de eo nobis tecum esse communem, et utrique nostrum de eo et de commissa illi ejus Ecclesiæ administratione, rationem Deo esse reddituros. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub anno Piscatoris, die xxviii Januarii mdcxviii, Pontific. nostr. ann. tertio ».

403. Eo tamen, hoc tempore, religionis res in Germania redactæ erant, ut ubi etiam episcopi, muneris idoncis Ecclesiis præfecti fuissent, nec spiritualibus ac Ecclesiasticis tantum, sed temporalibus etiam præsidii suffulti essent; non ideo tamen illas, ut oportuisset, componi posse viderentur. Quod quidem Pio significantum censuit Albertus ipse, sequenti Epistola,

¹ Thuan. *Histor.* sub hoc ann. — ² *Ibid.* ut supra.

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

qua etiam eundem Pontificem, de iis, quæ per Joannem Pisterium Frisingensem canonicum, in ejusdem Frisingensis Ecclesiæ utilitatem ab anno superiori, ut diximus, ab ipso Pontifice demandata hucusque peracta fuerant, certiorum reddit.

« Beatissimo in Christo patri ac domino, domino Pio V, S.S. Romanæ ac universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, domino meo clementissimo ¹.

« Beatissime in Christo pater ac domine, domine clementissime. Humillimam sui commendationem ac pedum beatissimorum oscula devotissima. Reverendi et doctissimi viri mihi sincere dilecti, doctoris Joannis Pisterii, canonici Frisingensis opera, studio et labore, seminarii illius, quod Sanctitas Vestra Frisingæ erigi mandavit, non parva jacta sunt fundamenta. Quam ejus summam pietatem et in Sanctitatem Vestram incredibilem devotionem, quoad poterò, semper promovebo. Est enim unicum hoc remedium juvenandæ in Cathedrali ipsa Ecclesia religionis ac revocandæ prisce discipline, quæ apud illos, qui in liberioribus Germanicorum canonicorum moribus diu jam consenserunt, feliciter institui, vix ulla ratione poterit. Sudavit autem idem ipse doctor Pisterius, et circa reformationis et Synodi cogendæ negotium vehementer, tantaque animi et corporis contentione, ut a valetudinis periculo et jactura minus forsitan procul abesset, si non nostra subinde consolatione erigeretur. Sed quod hi ejus conatus minus ex voto procedunt, plurimus hucusque impeditur. Non enim ea est dilectissimi filii mei ducis Ernesti, sive ætas sive auctoritas, quæ bonum illud optimi viri studium promovere juvareque fortius queat. Præsertim cum spiritualium rerum jus atque facultas penes eos sint, qui quidvis potius admittant quam vel nomen reformationis instituendæ. Synodum autem indicij cogique in his partibus facilius posse, quam quæ salutaria in eadem constituentur exqui, quis non videt? Cum summa auctoritate episcopi in Germania, et potentes etiam hac in re, a solo sacro Concilio in hoc usque tempus, vel nihil omnino, vel parum feliciter tentarint. Nam ea est apud nos temporum injuria, ut summorum principum et antistitem conatus, et conjunctæ etiam vires interdum non plus possint, quam unius Pisteri. Quæ de re pluribus edocendam non arbitror Sanctitatem Vestram, quæ tot amplissimorum cardinalium gravissima judicia et sermones, de inversa pene admodum Germania quotidie audit. Unum hoc addam, ea, quæ ad Ecclesiæ ædificationem spectare nullo modo videntur, diligentiori magisque fideli et studioso homini commendari vix potuisse, quam doctori

Pistero, qui certe quod in ipso fuit nunquam neglexit, ut et suis rediret Ecclesiæ Catholice honos atque auctoritas, et perpetuam testaretur erga Sanctitatem Vestram fidem et obedientiam. Quamobrem, si hoc quidem tempore minus effectum videt S. V. quam vel ipsa pro Ecclesiæ salute cuperet, vel pro animi sui candore Pisterus optaret, temporibus in quæ devenimus exuberantique hominum iniquitati adscribet. Orabimus autem communibus volis Deum, Patrem misericordiarum, ut in his sæculorum finibus nostri miserum, non omnem eripiat sanandæ Ecclesiæ facultatem. Vestramque Sanctitatem, isti curæ tam idoneam et utilem nobis diu servet florentem. Ex castro meo Albingen., die vi Julii anno MDCXVIII.

« S. V. observantissimus filius

Albertus dux Baviaræ ».

104. *Concedit Pius ut Gaspar Francus, reverenter ab hæresi conversus, ad sacros Ordines promoveatur.* — At diu ante, nempe sub hujus anni initium, cum accepisset Pontifex alteras, quas suo loco retulimus, ejusdem Alberti Epistolæ, quibus petebat, ut Gasparo Franco, ab hæretica pravitate ad fidem converso, sacris Ordinibus initiari liceret; statim, non modo piissimi principis votis annuendum existimaverat, sed præ gaudio exiliens, ac si accepisset ipse beneficium, ad eundem Albertum sequens responsum reddiderat :

« Dilecto filio, nobili viro, Alberto, duci Baviaræ ¹.

PIUS PAPA V.

« Dilecte etc. Libenter admodum cognovimus ea, quæ de Gasparo Franco ad nos nobilitas tua scripsit. Nec vero audire quidquam libentius possumus, quam, cum aliquos, qui aberraverint a fide Catholica, respuisse, et ad S. Sedem et Ecclesiam Catholicam venisse audimus : cum de eorum conversione Angeli lætentur in cælis. Quod nos rogasti, ut ab irregularitate, in quam propter hæresis crimen inciderat, eum absolvere, et secum, ut ad sacros Ordines promoveri possit, dispensare velimus : nos, præterquam quod, ad gratificandum talibus hominibus, quantum cum Deo possumus, et expedire putamus, nostra sponte propensi sumus, tuis quoque precibus adducti, ejus rei facultatem dilecto filio, magistro Martino Einsengreinio canonico Frisingensi, sacre Theologiæ doctori tribuimus; sicut ex litteris, quas super hac re ei scripsimus, nobilitas tua cognoscere poterit. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvii Januarii MDCXVIII, Pontificat. nostr. anno tertio ».

Epistolæ ad Einsengreinium hujusmodi fuerunt :

¹ Ex Origina. secretis Alexandrin.

¹ Ex archiv. Vatican. ut supra.

« Dilecto filio, magistro Martino Einsen-
greinio, canonico Frisingensi, sacrae Theologiae
doctori ¹.

PII'S PAPA V.

« Dilecte etc. Cum pastorali officio, quod
nobis, licet indignis, Deo committere visum
est, nihil optatius sit, quam, ut qui a Catholica
fide aberrarunt, agnitis erroribus suis, in viam
salutis redeant, libenter admodum cognovimus
ea, quae de Gasparo Franco, nobis, a dilecto
filio, nobili viro, duce Bavariae scripta sunt,
gavivise sumus in Domino, hominem illo
ingenio atque eruditione praeditum, venisse,
sicuti accepimus, ad S. matrem Ecclesiam, exem-
plo illius patris familias, qui filium qui perierat
redeuntem summa cum laetitia ac aeterna chari-
tate complexus est, complectimur ac suscipi-
mus. Caeterum, cum is totum se Dei obsequio
dedere cupiens, ut secum dispensare velimus,
ut ad sacros Ordines possit promoveri, per
eundem ducem nobis humiliter supplicaverit,
nos de tua fide, integritate iudicioque confisi,
tibi, si eum sincere dispensationem huiusmodi
desiderare cognoveris, nec ullum ex ea scanda-
lum oriturum, ab irregularitate in quam propter
haeresis crimen inciderat, auctoritate nostra
absolvendi, ac secum, ut sacros, et in his etiam
presbyteratus Ordines suscipere possit, eadem
auctoritate dispensandi plenam atque liberam,
tenore praesentium, damus atque concedimus
potestatem. Datum Romae, apud S. Petrum, sub
annulo Piscatoris, die xxvii Januarii m^olxxviii,
Pontific. nostr. anno tertio ».

105. Sub proxime vero sequenti die, vige-
sima nimirum octava ipsius mensis Januarii
hujusmet anni, in eodem Vaticano Regesto,
extant Pontificis ad episcopum Eiestetensem in
Bavaria Epistolae, quibus mandat, ut fidei pro-
fessionem, juxta formulam a praedecessore
Pio IV praefinitam, in Inglostadiensi celeberrima
Universitate, in Eiestetensi ipsa diocesi consti-
tuta, emitti faciat. Epistolae sic se habent :

« Ven. fratri N. episcopo Eiestetensi ¹.

PIUS PAPA V.

« Ven. frater etc. Praeter alia non pauca,
quae felic. record. Pius Papa IV, praedecessor
noster, provide utiliterque decrevit, hoc quo-
que, tuenda Catholicae religionis causa, insti-
tuit, ut in Universitatibus ac studiis generalibus,
tam suscepturi magisterii seu doctoratus insi-
gnia quarumcumque artium ac facultatum,
quam easdem artes et facultates publice pro-
fessuri, rectores quoque ipsorum studiorum,
debeant fidei Catholicae professionem certa ver-
borum forma facere; cuius decreti litteras edi-
dit, quarum exemplum authenticum, cum his

litteris jungi et mitti ad te jussimus. Id autem,
ob eam causam, quia sicut in multis aliis Uni-
versitatibus Catholicis, eas litteras in consuetu-
dinem adductas esse audivimus; ita in Univer-
sitate Inglostadiensi, diocesis tuae, quae, Dei
benignitate, Catholica mansit, ac multos egre-
gios Catholicae fidei propugnatores tulit, ser-
vare eas non parum expedire censemus. Qua de
re, hortamur fraternitatem tuam atque etiam
mandamus, ut cum rectore ejus studii, et aliis,
ad quos id pertinet, adeo accurate agas, ut, ipsa
instante, ejusmodi de professione fidei decre-
tum, ea quoque universitas incipiat observare.
Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Pis-
catoris, die xxvii Januarii m^olxxviii, Pontificalus
nostri anno tertio ».

Qua erat ergo Apostolicam Sedem reve-
rentia Inglostadiensem Academiam Pontificis
mandatis obtemperasse, testatur Sacchinus; qui
tamen rem ita narrat (ut suorum forte studiis
opus totum id tribuat), quod Pii Quarti legi,
Academiam ipsam, in fidei professione emit-
tenda, se subdidisse, uti cuiuspiam novo ac inex-
pectato (ac si illud nil omnino curasset) Pio
Quinto fuisse renuntiatum, referat. En ipsius
verba ¹ : « Paulo post, cum memoratus Borgia
Inglostadiensem Academiam, sociorum opera,
Eiestetensis episcopi favore, profitendae fidei
formam, a Pio IV editam, suscepisset; eamque
item rem summa cum voluptate Sanctissimus
dominus (Pius Quintus) audiret; subjecit pater,
in Academiis Italiae id nihilo secius inducen-
dum moris; tum ut ipsi prospiciatur Italiae,
tum etiam ne fidei sanctae hostes, ex infectis pro-
fecti oris ab Catholicis Academiis arma atque in-
signia, quae mox contra veritatem ac religionem
vertant, accipiant. Id quoque consilium opti-
mum, Optimo Pontifici visum est: atque execu-
tutum pollicitus, anni insequentis initio, ad
Perusinam ac Bononiensem Academiam, et
cunctos Italiae episcopos, super ea re litteras
dedit ». Sic ille. Verum parum sane verosimile
agnoscitur, de recepto ab Inglostadiensi Acade-
mia Pii Quarti decreto, Pium Quintum, a Bor-
gia, inter loquendum tantum (ut dicitur) cer-
torem redditum fuisse, ac si rem nunquam, ut
innuimus, ipse curasset; cum tamen curasse
ac sedulo curasse, quas attulimus, ejusdem
litterae ostendant; multoque minus veritati con-
gruere videtur, eodem momento Borgia, deinde
Italicis Academiis Pium jussisse, ut praefatum
decretum executioni mandaretur. Cum enim
ipsum universale fuisset, ac ideo Academiis
Italicis etiam, ac sui obedientiam cogeret; ac
insuper in memoratis ad Eiestetensem episco-
pum litteris, se Academiis illas non ignorare
Pontifex profiteatur, in quibus decretum ipsum

¹ Sacchin. Histor. Societat. Jesu to. 3. par. 3. lib. 1. pag. 171.
n. 130.

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

religiose observabatur; quis credet, et antea Pium Quartum et deinceps Pium Quintum in sibi subdilis Academiis illud non observari tandem substinuisse, exigereque in primis a suis distulisse, quod summo conatu ab exteris expectiere? Apud Inglostadienses, sodales Societatis egisse, ut prompto animo novissimis his Pontificis mandatis obtemperarent, facile nobis suademus: novo forte in super præcepto decreti Pii Quarti obedientiam Pium Quintum urssisse, a veritate alienum non putamus; verum ipsos auctores fuisse Inglostadiensibus, ut decretum ipsum reciperent, vel Italicis Academiis, iisdem agentibus, primum fuisse propositum, ne credamus, et quas attulimus Pii Epistole, et quæ diximus prohibent.

106. *Grata Pontifici electio Coloniensis archiepiscopi.* — Interim vero, cum Fridericus Comes de Weda, electus Coloniensis, potius quam eandem fidei professionem emittere, archiepiscopali, ut suo loco diximus, sese dignitati abdicare voluisset; capitulum et canonici Colonienses in ejus locum, ut Ægidius Galenus tradit¹, Salenticum comitem de Issemburg, sub die vigesima tertia Decembris anni præteriti elegerant. De hac electione Pontificem certiorum reddidit Salentinus idem electus, sequenti Epistola²:

« Beatissime pater, domine clementissime, excolatione S. V. pedum beatorum, omnique obedientia et devotione præmissa. Esto nihil mihi antiquius nihilque in votis optabilius sit, quam ut, pro debita mea erga Sanctitatem Vestram Sanctamque Sedem Apostolicam obedientia, meos ad eandem S. V. nuntios agentesque ablegare possem, quod insperata electio persone meæ de Ecclesia Coloniens., unanimiter a capitulo ejusdem Ecclesie, sine ulla mea expositione, hisce elapsis diebus facta, una cum decreto electionis, infra tempus a jure præfinitum S. V. a meis nuntiis et oratoribus præsentaretur, simul ac ejusdem meæ electionis confirmatio, et pallium humillima cum devotione peleretur; cum tamen varia me legatosque meos, præter spem et expectationem impediunt, quominus in præsentiarum, et intra præfixum trimestre sese coram S. V. sistere possint; non potui nec debui prætermittere, quin cum promptissime meæ voluntatis, studii et obedientiæ, tum et inevitabilium impedimentorum occurrentium, S. V. organo et voce venerandi et docti, sincere mihi dilecti Gasparis Gropperii, Ecclesie Coloniensis archidiaconi, Rotæ auditoris, et S. V. referendarii, vi et virtute transmittere Instrumenti, Constitutionis, et Epistolarum, certiorum facerem; necnon causas, quominus citius et hucusque nuntios ad Urbem

ablegati fuerint, exponi curarem, S. V. obnixè summaque cum obedientia ac devotione rogans, ut hunc meum constitutum procuratorem, pro solita, innata et consuetâ benignitate et clementia, benigne ac gratiose audire, eidemque fidem, quam mihi, si coram et præsto essem, daret, clementer adhibere, simul atque meo nomine proponendis et postulandis annuere non dedignetur. Fecerit in hoc rem S. V. suo nomine dignam, afflictæ item et gravatæ Ecclesie Coloniensium utilem et necessariam, quam remunerator omnium Deus Opt. Max. cum fœnore retribuet: sedulo orans, ut eandem S. V. cui me devinctissimum et obligatissimum ad humillima S. V. servitia offero, ad Catholicæ suæ Ecclesie salutem, propagationem et tranquillitatem diu supersibilem conservet. Datum Coloniæ Agrippinæ, kal. Februarii MDCXVIII.

« S. V. devotissimus filius Salentinus,
electus Coloniensis ».

Ad eo præclara de Salentino ad Pium delata fuerant, ut plurimum de ipsius electione gavisus sit; et ideo exhibitas sibi a Gropperio hujusmodi litteras, non nisi benigne accipere potuerit. Testatur hoc, quod ipsis responsum dedit:

« Dilecto filio Salentino, ex comitibus ab Issemburg, electo Coloniensi¹.

PIUS PAPA V.

« Dilecte etc. Litteras tuas, a dilecto filio magistro Gaspare Gropperio, cappellano nostro et Rotæ auditore, nobis traditas, libenter legimus, et quæ is mandato tuo nobis exposuit diligenter, et ea, qua debuimus, benignitate audivimus, te a dilectis filiis, capitulo Coloniensi electum fuisse. Cum primum de ea re nuntius ad nos allatus fuit, vehementer letati fuimus. Non enim virtutes tuæ nobis ignotæ fuerant, sed earum splendor hucusque pervenit. Itaque gratias Deo agimus, Capituli ipsius pium zelum prudentiamque laudavimus, quod talis vir ad istius nobis eximie dilectæ Ecclesie regimen electus sit. Quia vero tam laudandæ electionis spectatos fructus Ecclesiam Coloniensem quamprimum percipere cupimus, dilectionem tuam vehementer in Domino hortamur, ut quæ agenda restant, primo quoque tempore peragas, ut confirmatus a nobis, et munere consecrationis accepto, cure pastoralis officium, ad quod per capituli ministerium a Deo vocatus es, commissis tibi populis impendere possis; cum videas, quam hæc turbulenta sint tempora, et quantopere Dominicæ oves ubique pastorum suorum excubias et fidem auxiliumque implorent atque efflagent. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxviii Martii MDCXVIII, Pontificatus nostri anno tertio ».

¹ De admirand. magnit. Coloniæ Claud. Agrippinens. lib. 1. Syntag. 6. n. 80. pag. 52. — ² Ex originali.

¹ Ex Archiv. Vaticano. Ibid. ut supra.

Ambigi non potest, Pium Salentino ele-
menter indulsisse, ut præfixi a jure trimestris
spatium, intra quod et electionis decretum
exhibendum fuerat, et confirmatio petenda erat,
prætergredi liceret; verum ita id ei licere voluit,
ut hæc tamen indulgentissima comitate
minime abuteretur. Neque enim ea erat rerum
Ecclesiasticarum tunc in Germania conditio, ut
ipsemet dicit, ut vel dia sine vigili pastore, vel
desides pastores, qui laborem, assumulatis cau-
sis, refugerent, sibi commissarum Dominicarum
ovium curam desiderari pateretur. Et revera,
licet quod diximus ad exhibendum elec-
tionis decretum et confirmationem petendam
spatium prorogaverit; tamen hoc intermedio
tempore ab iis curandis, quæ ad Coloniensis
Ecclesie utilitatem spectarent, minime solum
censere voluisse, sequens ostendit Epistola,
qua illum, ut in Coloniensis civilis Societatis
Jesu Collegium se perbenignum ac favorabilem
reddat, anxie hortatur.

« Dilecto filio Salentino, ex comilibus ab
Issemburg, electo Coloniensi ¹.

PIUS PAPA V.

« Dilecte etc. Societatem Jesu, tanto studio,
cura et diligentia, ad animarum salutem incum-
bere novimus, quemadmodum te quoque scire
credimus, ut non sine singulari Dei providentia
his miseris turbulentisque Ecclesie temporibus
institutam et excitatam fuisse putemus. Quan-
tum enim Vineam Domini Sabaoth vulpecula
depascere, demoliri et devastare student, tan-
tum hi strenui fidei ipsius cultores et operarii
lueri, eam excolere ac propagare, assiduo la-
bore conantur; hæresum vepres extirpando,
viliorum zizania et quidquid aliud noxium est
evellendo, et quæ fructus ejus multiplicent in-
serendo. Itaque perspecta utilitate multiplici,
quæ ex hac Societate ad Ecclesiam Dei pervenit,
ob illius professionem, pietatem et charitatem,
vitæque ac morum integritatem, intra paucos
annos, adeo hæc Societas crevit, ut nulla fere
sit Christiani nominis provincia, in qua non
aliquot ejus collegia jam fuerint instituta. Uti-
nam autem multo plura extarent, in civitatibus
præsertim et locis in quibus hæresum pestis
serpere cepit! His de causis, cum universam
hanc Societatem eximia cura lueri debemus,
tum collegium ejus in civitate Coloniensi exis-
tens dilectioni tuæ diligenter esse duximus
commendandum; vehementer enim lætari de-
beas, quod tale collegium in ipsa civitate ha-
beas, cujus operam adeo tibi opportunam esse
experieris, ad fungendum rite officium, cujus
onus, non sine magna expectatione nostra, sus-
cepisti; ut, si tales muneris tui adjutores non
haberes, eos, sicuti permulti alii fecerunt, dili-

genter conquirere deberes. Itaque te hortamur,
ut ipsum collegium, ut inservire commode ani-
marum saluti et publicæ utilitati possit, cum
in aliis rebus, tum in instituendis bonis et libe-
ralibus disciplinis, secundum Ordinis sui pro-
batissima instituta, gratia tua complectaris et
ab omnibus molestiis tuearis. Id denique, cum
pro ejus meritis tum etiam pro nostra et Sedis
Apostolicæ reverentia, quam commendatissimum
habeas, et, ut habeat etiam, quæ victui
sunt necessaria, provideas. Datum Romæ, apud
S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI Maii
MDCXVIII. Pontific. nostr. anno tertio ».

Præclarum adeo testimonium, quod de Soci-
etate, sua in hac Epistola tantus Pontifex per-
hibuit, silentio premit Sacchius ¹, forte, quod
parum vel nihil apud Salentinum hujusmodi
Pii officium profecerit; et certe non profecisse
indicio esse videntur, quæ ipsemet de eodem
Coloniensi collegio, sub anno sequenti tradit,
cum nempe narrat, ad aggravandam ejusdem
inopiam: « Excitavit Sathan hominem impro-
bum, qui, simulatis nominibus, ingentem sibi
pecuniam deberi a Patribus contendebat. Itaque
totam urbem fœdissimo rumore complebat,
Jesuitas concionatores pariter et inficiatores
mirificos, celebrare publice elemosynas, exer-
cere privatum rapinas, se miserum vivum ab iis
videntemque spoliatum. Quæ, quanquam apud
æquos partium aestimatores fidem non invenie-
bant, tamen apud levem et credulam multitu-
dinem non poterant non suspiciosa et religio-
sorum auctoritati non damnoosa esse, etc. ». Sic
ille.

Tandem Salentini et Coloniensis capituli
nuntii, cum Romam venissent exhibuissentque
Pontifici jure facte electionis documenta, ejus-
dem confirmationem petiere. Nil erat quod
magis cuperet Pius, quam ut adeo quæ postu-
lationi annueret. Habuit nihilominus, quod vi-
cissim ab iis postularet; nimirum, ut quamprimum
novus electus, ad sacrum presbyteratus
Ordinem promoveretur, ut confirmatus a se,
consecrationem episcopalem statim suscipere
posset, et, pallio accepto, cætera deinde Ponti-
ficalia munera obire valeret; et, ut fidei profes-
sionem, ex sacri Concilii Tridentini decreto
emitteret, emissamque ecclesæ manu propria
subscriberet, ac deinde suo ac Coloniensis ca-
pituli sigillo munitam, ad se mitteret. Hæc ipse-
met Pontifex, eorum respondens litteris, illis
significavit, cum cæteris in reliquis, qui-
bus valeret, ipsorum votis ac petitionibus, se
prompto hilarique animo obsecundaturum
edixerit:

« Dilecto filio Salentino, ex comilibus ab
Issemburg, electo Coloniensi ².

¹ Ex Archiv. Vatic. Ibid. ut supra.

² Hist. Secretat. Jesu part. 3. lib. 3. pag. 229. n. 116. — ² Ex
Archiv. Vaticano.

PIUS PAPA V.

« Dilecte etc. Quam grata nobis fuerit electio personæ tuæ, a dilectis filiis capitulo Ecclesiæ Coloniensis facta, ex superioribus litteris nostris intelligere potuisti. Id munus abs te debita cum humilitate susceptum fuisse, tanto libentius cognovimus, quanto id, Deo iuvante, omnibus viribus tuis obendum, ex recentibus tuis litteris, paratorem te esse intelleximus. Ejus electionis decreto, ab ipsius capituli et iisdem tuis procuratoribus accepto, curabimus hic processum fieri, non quo opus sit; etenim sine processu parati essemus electionem adeo nobis probatam confirmare; sed ut morem servemus, qui sine introducendi exempli novi periculo negligi non possel. Professionem vero fidei, ex sacri Concilii Tridentini decreto, istic a te fieri oportet, et manu tua subscriptam, ac tuo ipsiusque capituli sigillo signatam, ad nos mitti. Cupientes autem Ecclesiam Coloniensem, primo quoque tempore, adeo oplatos et necessarios ex te fructus percipere; hortamur, ut interim ad presbyteratus Ordinem te promovendum cures, ut, cum primum a nobis confirmatus fueris, palliumque acceperis, pontificale officium ad Dei laudem obire possis ». Et post nonnulla: « De suffraganeo vero tibi concedendo, tuæ, cum tempus erit, postulationi satisfacimus; sed ordo postulat, ut prius confirmeris, quam muneris Pontificalis adjutorium accipias. Neque hæc in re, neque ulla alia, quæ ad Ecclesiæ istius eximie nobis dilectæ regimen pertinebit, benignitatem nostram unquam, quod quidem expediat, et nostra atque hujus Sanctæ Sedis dignitas patietur, requires. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, xvii Julii MDLXVIII, Pontific. nostr. ann. tertio ».

Ad capitulum Coloniense :

« Dilectis filiis, decano et capitulo Ecclesiæ Coloniensis ¹.

PIUS PAPA V.

« Dilecti etc. Litteras vestras, electionem novi archiepiscopi nuntiantes, una cum electionis decreto, a procuratoribus vestris accepimus. Quæ vos rationes impulerint, ad dilectum filium Salentinum ab Issenburg, ex collegio vestro eligendum, ex ipsis litteris cognovimus, ipsamque electionem propter grave testimonium, quod et ab aliis antea, et hoc tempore a vobis de eo habuimus, valde probamus et laudamus. Speramus enim in Domino de tali anilistite per vos Coloniensi Ecclesiæ provisum fuisse, qualem ipsius Ecclesiæ status, et horum temporum conditio postulat. Ut fructus autem tantopere necessarios Ecclesiæ, primo quoque tempore, ex eo percipere possit, hortandus is

est a vobis, ut ad presbyteratum se sine mora promovèri curet, ut, cum primum a nobis fuerit confirmatus, munus consecrationis suscipere, et accepto pallio, pontificale officium obire possit: ad quod nos quoque nostris cum litteris adhortamur. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xvii Julii MDLXVIII, Pontific. nostri ann. tertio ».

Quod episcopalem consecrationem in longum protrahere, ut supra vidimus, episcopi in Germania hoc tempore consuevissent; ideo urgere novum Coloniensem electum, ut quamprimum presbyter fieret, ac deinde episcopus consecraretur, Pius suum duxit: et sic tandem, post diuturnam propemodum viduitatem, Coloniensis Ecclesiæ, quem decebat, sponsum obtinuit. Quod quidem inter præcipua Pii ejusdem, veræ sacerdotalis constantiæ ac fidei facinora, merito est recensendum, quo, et præsens malum valide repulit, et quibus, ex ipso innumera pravo exemplo oboriri poterant, incommoda, sapienter occurrit. Quis enim episcoporum Germania, licet tam necessario hoc tempore, ut vidimus, emittenda esset, professionem fidei suæ emittere voluisset, si Coloniensis archiepiscopus non emisisset? Diximus autem diu pastore Coloniensem Ecclesiam viduatam, quod Fridericus et Comes de Weda ab anno MDLXIII semiepiscopus tantum ei præfuisset: abdicavit vero se, ut diximus, anno præterito MDLXVII; quo tandem, de quo loquimur, Salentinus subrogatus ei fuit, qui episcopatu et ipse, sub anno MDLXXVII, ut suo loco dicetur, munium remisit. Hoc autem anno, ut alias memoratus Gilenus narrat ¹, Fridericus de Weda præfatus, allero, nempe a sua abdicatione anno, imo sub ipsa die xxiii Decembris, sub qua ante annum Salentinus ei subrogatus fuerat, e vivis excessit, et apud Dominicanos sepulchrum obtinuit.

407. *Trevirensis archiepiscopus tandem tanquam princeps recipitur.* — Dum vero Pius sollicitè episcopum, spiritualia curantem, in Coloniensi Ecclesiæ adeo eximio studio instituere curat; ut temporalia Ecclesiæ suæ jura tueatur Trevirensis alter, archiepiscopus pariter et elector, sese gerere ut principem cogitur, et narrant Thuanus ² et alii. Trevirensis siquidem civilis, et aliæ quædam imperii urbes, libertatem vindicans, principem agnoscere archiepiscopum renuit, eumque ut dominum admittere recusavit: cumque res componi nulla ratione possel, ad vim necessario ventum, et quarto idus Junias, Treviros archiepiscopus obsidione cinxit, quæ decem ferme hebdomadas tenuit; quo tempore tres lunas visas fuisse, præfatus Thuanus asserit. Tum demum pax facta, receptusque obedienter archiepiscopus, tanquam

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

² Ut sup. pag. 52. nn. 80. et pag. 470. §. 7. — ² Thuan. Histor. lib. 43. pag. 525.

princeps: cumque causa dissidii fuisset ad imperatorem delata, hic tandem sententiam pro archiepiscopo tulit.

108. *Colloquium Altemburgense inter Lutheranos molles et rigidos, hæreticis nocivum, Catholicis vero perutile.* — Interea acrior aucta in dies magis atque magis Lutheranorum, inter Lutheranos ipsos, dissensio est; nam eorum alii *Molles* vocati, ut Philippus et Eberus, cum reliquis scholæ Wirtembergensis; alii *Rigidi*, ut Gallus, Flacius, Merlinus; illi in doctrina scriptisque Lutheri nonnulla ad moderationem revocanda putabant; isti vicissim anathema maranathia pronuntiabant, quod iota unum aut apicem vel addendum vel adimendum omnibus Lutheri scriptis minime arbitrarentur, tanquam sacrosanctum esset, quidquid novus ille propheta vel scripsisset vel pronuntiasset. Ad componendas idcirco has turbas, hoc anno Altemburgæ colloquium institutum est, in quo, quæ acta fuerint, libeat hic proferre, ex præstantissimo viro Nicolao Saendero¹ Anglo, qui contra idem colloquium in sex libros distributum insigne admodum volumen edidit, in quo hæc habentur:

« Anno a partu Virginis sexagesimo octavo super millesimum et quingentesimum, ex præscripto illustrissimorum principum, hinc Augusti Saxonie ducis et electoris: inde Joannis Guilielmi tantum Saxonie ducis, tam sex electorales, tam alii totidem Saxonie theologi convenerunt Altemburgæ, quod est Saxonie oppidum, ut certis legibus, arbitris et notariis, in eam rem constitutis, inter se conferrent, de quibusdam corruptelis emendandis, quæ in Ecclesiam Augustanæ Confessionis addictas, dicebantur irrepisse, maxime circa Justificationis et alios præterea duos articulos, unum de libero arbitrio, alterum de Adiaphoribus.

« Duodecim ergo isti theologi, vigesimo die Octobris, anni sexagesimi octavi, usque ad nonum Martii diem proxime sequentis anni, de Articulo Justificationis collocuti, nihil aliud quam errores mutuos, et cupide annotarunt, et pertinaciter tutati sunt, absque ulla vel utriusque partis sperata concordia, vel alterius partis manifesta condemnatione. Sic nimirum accidere solet, ubi nullus iudex unus vice Christi præsidere assensitur: cujus voci et sententiæ qui non obediat, secundum legem Mosaicam mori, secundum Christi legem excommunicari debeat; ut auferatur malum ex nobis ipsis, et devitetur hæreticus, post unam et secundam correptionem.

« Ex hac autem disputatione, licet Protestantes nullum eo tempore fructum perceperint, tamen et Catholici valde magnum perceperunt;

neque parva spes est, Deum, ex infinita misericordia, eam quoque rem in ipsorum Protestantum utilitatem aliquam conversurum. Catholici enim, cum viderent eos, qui prius ab ipsis defecissent, pacem, quam secum abruerant, nec inter se ipsos quidem, aut servare illasam aut redintegrare violatam voluisse: verum instar Donatistarum et Arianorum, quo magis in opere malo progrediebantur, eo in sectas plures quotidie dividi et dissecari; ex ea re magis in fide sua confirmati, Deum pacis glorificaverunt, qui et ipsos per unitatem spiritus in vinculo pacis colligasset, et adversarios eorum in manifestum opprobrium tradidisset; ut quos charitas fraternitatis in una nobiscum communione relinere non poterat, illos saltem dissensionis mutuae tedium ad meliorem mentem revocaret. Omnia enim cooperantur in bonum diligentibus Deum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti etc.

« Tot ergo amicabile colloquii causæ cum essent, sic tamen omnia sunt acclitata, ut appareat de illis scriptum fuisse: Dolus, an virtus, quis in hoste requirit? Nemo credit, nisi qui legerit quantopere omnia in suspicionem trahantur, quantis et calumniis et conviciis referta sint. Quidquid uni parti placuerat, mox displicuit alteri, adeo ut, ne placitis quidem ipsis principum suorum (quem *Recessum* vocant) inter ipsos convenerit, non de origine dissidii, quod electores a Flavio Hlyrici clamoribus, Saxonici ab edicto potius (quod *Interim* dicebatur) exortum esse volunt: non de via et ratione colloquendi, quam alii malebant ore, alii vero scriptis fieri; non de scopo et fine colloquii, quem Saxonici dicebant esse, ut de corruptelis, post obitum Lutheri in Saxonias potissimum Ecclesias introductis, collatio fieret, electorales autem, non ita, sed potius, ut pacis ineundæ causa de articulis controversis amicam institueretur colloquium: non de norma, intra quam electorales petebant Philippi Melanthonis libros includi: quod tamen Saxonici ferre non poterant. Non de Augustana Confessione, quam a Philippo aetam recipiunt electores, rejiciunt Saxonici; non de interpretatione ejusdem Confessionis: non de scriptis Lutheri; non de particulis exclusivis aut solius fidei justificatione; non de reconciliatione nostra cum Deo et adoptione in filios; non de articulo et actu justificationis; non de causis justitiæ; non de effectis; non de justitia passiva; non de libero arbitrio, non de Adiaphoribus; non de Scripturarum intelligentiâ, quas mirabili modo huc atque illuc torquent. Alteri alteros vocant Severianos, Antinomos, Enthusiastas, Manichæos, Epicuræos, Pseudoprophetas, profanos, stolidos, talpis ceciores, spectra fugacia, vertiginosum spiritum, sycophantas, falsarios, impios, errorum et corruptelarum palliatores,

¹ Nicol. Sand. de Justificat. C. Colloquium Altemburgense. Par. prima, cap. 1.

Agoystarum et præstigiatorum similes, furoris æstro peritos, et alia ejus generis infinita. Nonne isti sunt, sine affectione, sine pace, et criminatores ?

« Quorsum ergo hæc prolulimus? numquid et nos delectantur istiusmodi conviciorum recitatione? Absit; verum idcirco recensuimus ut inde sciretur, Deum nobis revelasse, arborem malam esse, quæ tam malos fructus produxerit. Nam, si ad rem ipsam aspiciamus, nulla ex colloquio subsequuta est pax aut concordia; si ad verba, ejusmodi fuerunt, quæ ministros verbi et dispensatores Mysteriorum Christi non deceant.

« Hunc autem ¹, præterquam quod in causa justificationis, quem isti articulum inprimis repurgandum susceperunt, vix ulla discordia tolerari, aut ullus error levis videri debeat, etiam de ipso doctrinæ suæ fundamento, ac de multis, et iis longe maximis Christianæ fidei capitibus se ipsos dissentire, quinimo pugnare, non semel confitentur. Saxonici theologi in Alfenburgensis colloquii prima collatione pag. 17: Nonnulli, inquit, in electoralium theologorum Ecclesiis, a multis sinceris Ecclesiis Christi, palam et publicis scriptis accusati sunt, quod in summis quibusdam articulis a veritate divina exorbitarint: utpote Ecclesiæ Saxonicæ Lubecensis, Hamburgensis, Lunaburgensis, Brunsvicensis, Wismariensis, Rostochiensis; item Ratisponensis, Magdeburgensis, Turingica, Mansfeldensis, Pruremica etc. Libros et folia quorundam notarunt, atque corruptelas non exiguas verbo Dei luculente refutarunt. Nam hoc certum est, vivo Luthero, non soliti sunt sinceri Ecclesiæ ministri sic loqui et docere, quemadmodum isti, qui reprehensi sunt post obitum Lutheri, polissimum locuti sunt: imo nec Augustana Confessio et ejus Apologia eas corruptelas continent. Deinde nos jam in uno articulo de justificatione et bonis operibus, planis et perspicuis verbis adsignavimus, quibus in partibus, a verbo Dei, Augustana Confessione, apologia et scriptis D. Lutheri sit deviatum; idque ex libris auctorum, qui in ipsorum cætu versantur, ad oculum liquido demonstravimus.

« Ex altera vero parte electorales theologi pag. 50: Judicavimus (inquiunt) dissentire nos non in tantum; sed in re principali. Et pagina 60. B: Non amplius audirent a nobis voces testificantes in re principali nos adhuc dissentire ac disjunctos esse. Itemque pag. 129. B: Nobis (inquiunt) quantus dolor allatus sit ex scripto collocutorum proximo, quo se in fundamento dissentire ab Ecclesiis nostris ostenderunt, non possumus ullis verbis nostris exprimere. Reddunt Saxonici vices et

aiunt pag. 210: Non de re parva jam tractari, sed de illo ipso puncto, de quo Christus inquit: Spiritus sanctus arguet mundum de justitia: et pag. 227: Solemne est (inquiunt) omnibus falsa docentibus, ut miris modis recta in suam pravam sententiam detorqueant. Sic nostris D. collocutoribus, errantibus in fundamento doctrinæ justificationis, etiam accidit. Cæterum, quia infiniti prope laboris esset, singula contradictionum loca in unum colligere, summam disensionem, quam ipsi Protestantés ediderunt, suis ipsorum verbis proponemus.

CAPITA RERUM, DE QUIBUS INTER SE ALTERCANTER SAXONICI ET ELECTORALES IN MATERIA JUSTIFICATIONIS.

« Saxonici statim a principio colloqui has, ut appellant, corruptelas objiciunt electoralibus, quibus eos a verbo Dei, Confessione Augustana, Apologia et scriptis Lutheri deviasse affirmant fol. 8. 4. et 407. B. 491. a.

« 1. Imputatione et inchoatione nos simul coram Deo justificari.

« 2. Præcipue nos justos esse fide.

« 3. Bona opera ad salutem esse necessaria; impossibile esse sine operibus salvari aut justificari. Nemo sine operibus salvatus est unquam.

« 4. Bona opera justitiam et salutem retinere.

« 5. Non pugnandum de particula *sola* in hac propositione: *sola* fide justificamur contra Antichristum revelatum.

« 6. Discrimen esse inter salutem et justitiam, in negotio et propositionibus justificationis.

« 7. Justitiam Christianorum, qua coram Deo justi sunt, in hac vita imperfectam esse.

« 8. Pro bonis operibus dari vitam æternam.

« 9. Fide et Confessione homines apprehendere justitiam et salutem ».

His propositionibus in disputationis progressu, et subsequentes adduntur.

« 10. In articulo justificationis bona nostra opera, necessitate præsentia esse necessaria.

« 11. Doctrinam de justitia passiva, conceptum esse errorem.

« 12. Dicto Pauli tantum excludi meritum, non necessitatem præsentia bonorum operum in articulo justificationis.

« 13. Augustanam Confessionem et Apologiam, non tantum merita, sed ipsa quoque opera in articulo justificationis excludere prorsus esse

« 14. Lutherum in omnibus suis dictis de articulo justificationis, solam de operibus præsumptionem prohibere.

« 15. Novitatem inchoatam esse partem salutis.

« 16. Fidem esse causam efficientem, propterquam credenti fides impulatur ad justitiam.

¹ Ibid. Cap. 2.

« 17. Novam obedientiam esse formale conversionis ».

Electorales, contra, objiciunt Saxonice hæc præcipua omnia, ut illi appellanti, capita.

« 1. Reconciliationem nostri cum Deo, et adoptionem in filios, et hæredes vitæ æternæ, esse inter effectus seu fructus justitiæ colloquandos.

« 2. Justitiam passivam ita interpretari, quod Deus sine operibus nostris nos justos efficiat et salvet, quia ipse in nobis operatur contritionem.

« 3. Justificationem crescere et augeri in dies.

« 4. In dicto, *ei qui non operatur* (Tom. 4), non solum merita bonorum operum, sed etiam opera excludi.

« 5. Fidem factam bonis operibus justificare.

« 6. Vocabulum necessarium, vel activitatem nostrorum operum, vel meritum, vel causas justificationis et salutis declarare.

« 7. Christiani debent bona opera facere : oportet illos bene operari.

« 8. Necessitatem et præstantiam honorum operum, per doctrinam de fide et justificatione excludi.

« 9. Esse discrimen inter justitiam et salutem, in articulo justificationis.

« 10. Bona opera pro facultatis, temporis, et aliarum occasionum ratione facienda esse.

« 11. Bona opera esse perniciose ad salutem.

« 12. Dictum Pauli, *qui ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*, etiam de operibus renatorum, quæ sunt fructus fidei, intelligendum esse.

« 13. Quod dictum D. Pauli Rom. 10. *Ore fit confessio ad salutem*, a quodam ex collocutoribus manifesta audacia depravatum sit, hunc in modum : *Ore fit confessio de salute*.

« 14. Fidei justitiam esse primariam.

« Cum igitur Protestantes de tot et tantis rebus inter se dissentiant, id porro sequitur, ut quid inde utilitatis possit capi, consideremus. Neque vero id solum notari potest, cum sit inter eos zelus ¹ et contentio, carnales ipsos esse, et secundum hominem ambulare, verum etiam cum sit zelus pertinax, et contentio immortalis, extra Dei Ecclesiam ipsos degere, juxta illam Augustini distinctionem in libro de unitate Ecclesiæ ² : « Quosdam esse in Ecclesia « carnales, aliter sentientes, quam veritas habet ». Sed cum veritati apertissimæ, qua redarguuntur, resistunt, et malo studio contradicunt, eradicatos et præcisos esse ».

Ista Sanderus ³, de actis et agitatis in Altemburgensi colloquio inter molles ac rigidos Lu-

theranos questionibus. Scripsit vero (ut ipsemet in Præfatione fateatur) egregium hoc opus, paucis abhinc annis in Sublacensi conubio, laud procul ab Urbe, jubente vigilantissimo illo Catholice religionis custode, cardinali Hosio, de quo hæc habet Rescius, cum ¹ de hoc ipso Altemburgensi colloquio agit : « Ejus Acta (præfati nempe colloquii) valde proluxa Janenses dogmatistæ, quorum caput Vigandus, et Latine et Germanice edenda curaverunt, quæ, cum Hosio cardinali perlegerentur, cætero omnia vana, futilia, inutilia, maledica, vel risit suaviter, vel contempsit Abramicus ille senex. Illud ferre non poterat, quod Lutheristarum cohortes ita invicem dissident, sed præcipue Flacciani (nempe Rigido-Lutheristæ) eodem loco haberent Antichristum Islebiensem, ex diabolo seu incubo natum, quo Christum Deum de Deo genitum, eumque in omni suo sermone et oratione cum Luthero conjungerent : verbi gratia, ita docet Christus et Lutherus : teste Christo et Luthero : juxta verbum Dei et Lutheri ; ex verbo Dei et Lutheri : Deus et Lutherus : Non est discipulus Christi et Lutheri. Isti Filio Dei et Luthero cogentur Eberiani (Lutheranistæ videlicet *Molles*) rationem reddere. Acquivit Spiritui Sancto et Luthero etc. ». Sic ille : alia autem, quæ Hosius, ex hujus Altemburgensi colloquii sumpta occasione, pro Catholica fide egit, sequenti anno ponenda erunt. Paucis mox complexus Rescius ² impia ac sacrilega jurgia, quæ super propositos articulos inter utramque dissidentium partem intercesserunt, ista subjungit :

« In hoc itaque Colloquio, ut discessionem suam ab omnibus Lutheranis placitis excusarent, Virtembergenses et Lipsienses, hoc est *Molliores* Lutherani, profitebantur sese quam proxime in Confessione sua accedere, ad *interim* Casareum. Stoici vicissim, *Rigidique* Lutherani vociferabantur, ex ejusmodi *interim* isticis actionibus vim inferri verbo Dei, reprobata dogmata revocari, novas locutiones excogitari, et abolitas suscitari cæremonias : idque agi, ut sensim doctrina Lutheri in sede Lutheri evanescat, atque ad extremum esibiletur. Addunt et hoc illi stoici Lutherani in Præfatione libri ; quod Eberiani conati sunt in Ecclesiæ suas vicissim introducere Missalia, et Agendas Papisticas, licet correctas et circumcisas : quod iterum doceant necessitatem bonorum operum ad salutem, quodque asserant vestem nuptialem, non esse solam fidem, sed fidem et opera bona. Graviter etiam conqueruntur, quod iisdem ipsi *Molliores* Lutherani plurimum ipsis negotii facessant, in transferendo statu controversiæ, et imponendis mira arte insidiosis pedicis, quibus incauti constringerentur ; diu ipsos in Thesisibus

¹ Prima Corinth. 20. — ² D. August. lib. de Unit. Eccles. cap. ultimo. — ³ Sander. in Præfat.

¹ Resc. Evang. Conventiculi. Colloquium Idemburg. 1568. pag. 251. — ² Rescius ut supra.

circumduxisse et quæstionibus, irrisionibus, contumeliis, satyricis invectivis exagitasse, suasque corruptelas et falsa dogmata, et horrida quasi tempestate maledictorum verborum, absque omni fundamento et timore Dei conatos esse tutari. Accusant etiam, quod noluerint permanere usque ad finem in colloquio, sed variis sermonibus id eos egisse, ut Ienenses putarentur mirabilia portenta in medium allaturum fuisse, si in colloquio Virtembergenses permansissent. Protestantur etiam, se omnia studia sua et consilia referre et accommodare ad utrumque Testamentum, ad veram Augustanam Confessionem, ad apologiam, et veros libros Lutheri. Dicunt, et hoc in septima causa editi colloquii, quod Eberiani suo privato arbitrio colloquium abruperint, quod clanculariam Synodum, ex quibusdam suarum partium coegerint; partemque alteram absentem, decretis et calculis suis damnaverint, eamque damnationem in civitates et aulas principum ac potentium sine mora seriat. In octava vero causa, querunt, quod Eberiani, absque ullo fine invectivas in Flaccianos edunt, sicut fecit M. Seelner Pseffinger major in suis libellis famosis et alii. Addunt adhuc impium esse institutum quorundam politicorum præpostere sapientium, qui velint istas contentiones affabre conciliare, ac si tantum de verbis litiget, ubi de rebus gravissimis confertur; mira est autem istorum Ienensium, sive Flaccianorum pietatis et religionis simulatio, ita crebro timorem Dei, pietatem, Deum omnia insipientem, regentem, conformantem, crepant; Christum etiam orant, ut cito ad iudicium veniat et adversarios castiget. Hæc et alia innumera *rigidi* Lutherani impingunt, et effingunt *Molliores*. Quid autem ad hæc omnia *Molliores* Theologi? Noluerunt illi tot inania verba fundere, sed aut causæ suæ diffidentes, aut de concordia desperantes, e colloquio discesserunt, et cum ex adversariis quidam Dresdam ad electorem missi venissent, resumptis, ut aiunt, domi suæ alis, in altum sese efflentes, excommunicationes contra Ienenses protulerunt, seque nullam habituros cum illis societatem denuntiarunt: nec eos ad cætum suum et ad conciones admittere voluerunt. Nihilominus tamen et ipsi libellum ediderunt, in quo Flaccianariorum objectiones refutant; et quia crimen falsi impingebant Philippo, quod Augustanam Confessionem Cæsari oblatam corruperit, addendo pleraque, mutando, minuendo, ex eaque cothurnum sive calceum Polonicum utriusque pedi aptum effecerit; respondentibidem Eberiani, verum esse quod mutaverit pleraque Philippus in illa Confessione; sed hoc ei licuisse dicunt, quandoquidem auctor illius fuerit, et ob hoc primam illam Confessionem, quod in Manichæi dogma videretur inclinare, recte fuisse emendatam, affirmabant.

Exitus tam acerbæ contentionis sic fuit, quod *Molliores*, sive Virtembergenses, sive electorales, si Diis placet, theologi, in despectum Ienensium Flaccianorum, et omnium *Rigidiorum* Lutheranorum, interdictum fecerunt, ne Lipsiæ, vel in templis, vel in scholis, Lutheri scripta quisque allegare audiret; sicut nec illi pati voluerunt, ut in colloquio, ex libro Philippi, quem inscripsit, *Corpus Doctrinæ*, testimonia ulla citarentur. Quodque magis est, Ienenses seu Flacciani damnarunt eam Confessionem, quam posterius correclam in lucem edidit Philippus. Cæremonias præterea omnes, et formam, ac rationem administrandorum sacramentorum, qua utebantur Eberiani, abolerunt, eas solas relinquentes, quas expresse statuisset atque ordinasset Lutherus.

« Et quoniam adhuc Eberiani vestis Ecclesiasticae, lineæ genere, quam superpelliceum vocant, in sacris suis utebantur, Flacciani in despectum eorum, uti superpelliceo desierunt, et tabellas præterea quasdam pictas imprimi curaverunt, in quibus videbatur Sathanas superpelliceo indutus, cornuto capite, aduncis unguibus, et barba Eberiana, verba ad populum pro concione facere. Eberiani vicissim seu Virtembergenses damnarunt et diro anathemate percusserunt eam, quæ fuit Cæsari oblata, Confessionem, et omnia Flaccianis contraria et ingrata statuerunt.

« Ex isto fortasse fonte consilium illud in vesano Smidelini capite natum est, ut librum quemdam, ac omni sectarum genere consarcinaret et conglutinaret, quem concordiam vocavit; cui, paucis exceptis principibus, quos honoris causa prætereo, supra octo millia sutorum, sartorum, lictorum, ministrorum, geniorum, consulum, burgimagistrorum, scholariorum et pædotribarum Evangelicorum subscripserunt; ita ut merito vocatus *Namembuch*: in quo certe, cum reliqua omnia strepitu et sibilis digna sint; tamen illud dolendum est, tot oculos, tam crassos errores, tamque crassa mendacia non vidisse. Electorales certe ministri rejecerunt: Calvinistæ, libris editis, refutarunt. Libet lepidum de ista concordia cujusdam Calvinistæ Distichon addere:

R. habet Ausonium liber hic, habet atque Pelasgum;
Et habet Hebraeum, prætereaque nihil.

« Nil, scilicet, habet liber hic, præter errorem ». Sic Rescius.

« Eo autem pervenisse maledicta, convicia ac calumniæ, quibus se invicem *Molles* isti ac *Rigidi Lutherani* impellisse agnoscuntur, ut ipsis principibus, a quibus pars singula tuebatur, crimen inferre haud dubitaverint. Quapropter *Rigidis* seu Saxonis absque dubio tribuendum est, quod vulgaverint Saxonicum electorem ad Catholicam reversurum brevi veritatem; ut hoc videlicet nomine, commu-

nem populorum ab eo animum averterent, sicque in suas transire partes, ad abolendam infamiam, pertraherent. Fabulosam eam ac commentitiam vociferationem optime intellexit cardinalis Hosius, qui Melchiori Bilio, Apostolico apud Cæsaream majestatem nuntio respondens, cum audisset insuper Clebitium quemdam, licet hæreticum, contra profanum illud Altemburgense colloquium librum edidisse, cujus titulum fecit: *De victoria veritatis, et ruina Saxonici papatus*, e Lutheranorum manibus, qui eum capere idcirco tentaverunt, elapsum fuisse; sequentem ad præfatum Bilium Epistolam ¹ dedit:

« Fuit mihi pergratum, quamvis parum jucundum, ex litteris dominationis vestræ cognoscere, quæ de principe electore Saxonie feruntur. Illic etiam ab hæreticis creditum est, cum ad Christianismum, quem ipsi papismum vocant, inclinare; quod inde natum existimo, quia non fert rigidos illos Lutheranos, qui nefas esse putant a Lutheri sententia, vel in minimo, dissentire; sed mavult Adlaphoritas, Synergistas, Majoristas, quin et Calvinistas, omnes æque bonos, hoc est, æque judicat hæreticos, cum sub una Confessione Augustana pallio tegantur omnes, quam minus Calvinista sibi vindicant, quam Lutherista, dummodo qui conditor fuit, idem illius optimus interpretis habeatur: quod etiam jure sic cautum esse videtur: deinde nec Pontifici maledici patitur, quod prohibere apud Lutheranos crimen est capitale, cum hoc ad professionem suæ sectæ pertinere dicant, ut in omnibus concionibus quamplurima probra, convicia, maledicta, scurriliter in Pontificem Romanum, et in omnes Christianos, quos papistas vocant, ejaculentur. Legi ego editos etiam ea de re libros, quod princeps elector in papismum inclinet, quodque formulas religionis præscribat, nec, qua decet libertate, Lutheri, quantum scilicet Evangelium, in suis terris prædicare permittat: quin, et hoc agebatur ante biennium, ut etiam subditorum contra illum animos concitarent, nec propius quicquam factum est, quam ut quod volebant, perficerent. Nam, quæ sunt postea constituta, dominio vestra non ignorat. Ego vero persuasum habeo, si maxime vellet princeps elector confiteri Christum, et Antichristum Islebiensem rejicere, fortasse metu subditorum vix auderet. Eo, proh dolor! in Germania res redacta est, quod non omnibus Christum libere confiteri liceat.

« De Clebitio gaudeo, quod captus non sit: scripsit hic lepidum admodum libellum. *De victoria veritatis, et ruina Saxonici papatus*, quem a dominatione vestra legi cuperem. Nam, etsi multa habet impia, sunt in eo tamen plera-

que valde festiva et cognitu necessaria. Miror vehementer, quod qui totius orbis Christiani papatum evertere conantur in eos non animadvertitur, quin habentur in pretio; solum hunc misellum homuncionem plecti volunt, quod ausus est mutire contra Saxonicum papatum, quasi vero sacrosanctus is esse debeat. Ego vero non video, cur meliore debeant esse loco Lutherista quam Calvinista, cum utrique Sacramentarii dici queant. Certe, quod ipse confitetur Calvinus, primus ei Lutherus viam ostendit, quæ grassari eum oporteret, ad everendum Christianismum, quem nunc papismum vocant; et sicut paulo ante scripsit, Calvinismus etiam sub Augustanæ Confessionis pallio tegitur, cum auctorem illius, ad extremum Calvinismam esse factum constet. Cavetatem illorum satis deplorare non possum, qui tanto studio contendunt, ut Christianam deserere, Augustanam vero Confessionem amplecti liceat; cum ea nihil aliud sit, quam Babylonica quædam confusio. Mihi quoque cum hoc hominum genere, proxima superiore Quadragesima, multum fuit negotii. Visum est autem, ut mitterem R. D. V. quæ sunt acta per me. Responsum autem, quod mihi datum est, simul et refutationem meam, certis ex causis mihi mittere non licuit. Cæterum hoc a dominatione vestra peto, quæ mittuntur a me, sic ut assertare velint, ne prodeant in publicum; legendi potestatem cui facere volet poterit, modo ne describantur. Nam contra voluntatem meam pleraque sunt edita, quin et typis mandata, quæ non edi maluissem. A serenissimo quoque rege meo fuit aliquando postulata confusio Augustana. Quale responsum ab eo dari petiverim, e scheda præsentibus inclusa, cognosceat, quam, si faciendum id judicaverit, etiam Cæsareæ majestati poterit exhibere, cui ut per occasionem obsequia servitutemque meam diligenter commendet rogo. Helisperge xxvi etc. MDCXVIII ».

109. Lutheranis autem, qui (ut diximus) in provincia Austriae morabantur, præ cæteris permolestum fuisse dissidium illud, quod inter Saxonicos *Molles* ac *Rigidos* Lutheranos agitalum hoc tempore est, ex hac Epistola conjicitur; quod ipsi tunc a Maximiliano (ut narravimus) obtinere Confessionem Augustanam contenderent, cujus existimationi haud parum has contentiones detrahere agnoscerent; ideoque et Clebitium capere et plecti curaverunt, quod a veritate Saxonicum papatum delatatum ostendisset. E contra vero maledicta ipsa certamina, Catholicæ rei profuisse, ex ipsa Epistola intelligitur; nam ex illis sumpta occasione, Catholici et Hosius in primis, a proposito præfatæ Augustanæ Confessionis concedendæ, Maximilianum, suis ei ad legendum oblati scriptis, valuit deterere.

Et certe, ut id malum ab Austria averteret,

¹ Inter Epist. card. Hosii Epist. 107. pag. 231.

Hosium quoque laborasse, colligitur etiam ex altera ejus Epistola ad Lucam Podoskyum Cracoviensem canonicum, et apud eundem Maximilianum Cæsarem regis Poloniae oratorem, hic rite pariter ponenda, tanquam insigne tanti cardinalis zeli testimonium. Igitur sic se habet¹:

« In causa religionis, quæ fuerint isthæ acta, ex his quæ fusiùs ad Cromerum nostrum scripsit, cognovi. Quandoquidem rejecta res est ad festum D. Martini. Quem hæc fabula exitum sit habitura, si Deus volet, videbimus. Equidem, ut probarem, quæ de causa fidei fuerint pactiones, adduci nunquam potui. Fides non est nisi una. Quidquid est extra unam fidem, non fides, sed perfidia est. Quod ego serenissimo regi nostro frequenter inculcare soleo: medium aliquod inter fidem et perfidiam, quomodo reperiri possit, non intelligo. Si Dominus Deus est, dicebat olim Elias, sequimini eum; si vero Baal Islebiensis, sequimini illum. Quorum attinet utroque pede claudicare? Recte nos monet Apostolus, ut ne jugum ducamus cum infidelibus. Quæ enim participatio, inquit, justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Quotquot autem ab una fide patrum nostrorum recesserunt, eos perfidos et infideles esse non dubitanter affirmaverim. Sed isti, prætextum ut aliquem habeant, tantum de abusibus tractari velle dicunt. Quid autem si ii vocent abusum, quem verum et legitimum usum esse constat? Agnoscere Deum, et ei debitam servitutem præstare, quod sancti patres nostri, jam inde a mille annis et amplius, per sacrosanctum Missæ sacrificium fieri docuerunt, abusus a nonnullis vocatur. Sed et hanc dicendi formulam sunt qui rejiciant; sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis, non magis Trideistæ, quam Calvinistæ; scilicet ea nunc sunt in dubium revocanda; de iis pactiones aliquæ faciendæ, quæ tota per orbem Christianum universum frequentat Ecclesia; quæ sunt etiam in sacro Concilio Tridentino prope cec episcoporum sententiis approbata, quos constat in eum locum, ex orbe toto Christiano, gravissimos, doctissimos sanctissimosque viros convenisse. Ibi locus fuit, vel de confusione Augustana, vel de quibuscumque tandem abusibus, aut rebus ad religionem pertinentibus tractandi, non in uno aliquo angulo. Sed verum est illud: *Quod omnis qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.* Etiam apud nos tale quid expetitur, ut de totius orbis Christiani judicio vertiginosi spiritus aliqui suum iudicium interponant. Sed ego, quantum possum impedire, conor. In Germania tantum unum Belial, Martinum Lutherum adjungendum Christo putaverunt; apud nos autem

ante biennium¹ fere duos Belial adjungere Christo conati sunt, ut soli proscriberentur Anabaptistæ et Trideistæ; tolerarentur autem Lutheristæ et Calvinistæ, quorum ego conatibus obstiti pro virili mea. Nec enim video, cur esse meliori loco debeant Lutheristæ et Calvinistæ, quam eorum dociles discipuli Trideistæ et Anabaptistæ; cum hi plura divinæ legis oracula proferrent quam illi; et ab illis docti, nihil præter Scripturas recipiendum esse magnis clamoribus contendant. Si licet in Germania quibusdam sequi fidem, vel perfidiam potius Lutheranam; si licet in Helvetia vel in Gallia Zuinglianam vel Calvinianam potius amplecti; cur non liceat in Polonia propriam etiam habere fidem, seu perfidiam Gregorianam? Aut omnes perfidiæ sunt extirpandæ, ut una fides retineatur; aut omnes tolerandæ, ut a se invicem tanto citius consumantur: quandoquidem refrexit jam in eis qui cum potestate versantur, zelus ille qui fuit memoria Patrum nostrorum, quo prius extremum vitæ periculum adire parati fuerunt, quam ut vel unguem latum a totius Ecclesiæ placitis discedere quemquam paterentur. In hæc ego sententiam, et scribere et dicere multa soleo, non sine fremitu nonnullorum, quos ego pili non facio: memor illius, quod scriptum est: *Si hominibus placere, Christi servus non essem* etc. xxviii Octobris anno MDLXVIII.

Sicut autem Confessionis Augustanæ negotium non statim ac Commendonus Viennam pervenit, ac Maximilianum allocutus est, ut Gabutiùs² aliique scripsere, fuisse absolutum, sed diu dilatatum, et supra retulimus, ex hac quoque Epistola intelligimus; ita, ex hæreticorum parte, quæ diximus inter *Molles ac Rigidos* Saxonicos Lutheranos dissidia, illud pariter evenisse censendum est. Quibus addas et aliud; eam nimirum, quam eodem tempore perfidiæ ministri in dominiis Gerâu, Graitz et Seumburg, impiam Confessionem conlarunt, ac Maximiliano ipsi offerre ausi sunt. Fuit siquidem adeo horrendis instructa blasphemis, ut ex ea novas argumentorum vires orthodoxi sumentes, et hæc et alteram nullatenus a Cæsare permittendam esse, ac utrasque pariter in ore explodendas, evidentissime monstrarent. De hæc nova Confessione ista Stanislaus Rescius³ scripto tradidit:

« Ministri quidam non pauci, in dominiis Gerâu, Graiz et Seumburg convenerunt, ut novam aliquam fiduciam cuderent. Confessionem itaque suarum Ecclesiarum conscripserunt, in qua Confessionem Augustanam, Carolo V oblatam, quod sub ejus titulo, quasi quodam pallio omnes hæreses tegerentur, vocaverunt Cothur-

¹ Vid. ann. 1566. — ² Ut supra. — ³ Resc. Evangelic. Conventicul. pag. 1511.

¹ Epist. Hosii Epist. 108. pag. 251.

num, sive Ocream Polonicam, utrique pedi aptam, et scriptores fautoresque Confessionis, Cothurnifices. Non defuerunt alii ministri ex Austria, qui et a Confessione et a Catechismis, et ab Agendis, ut vocant, Lutheri recedentes, suas quasdam ordinationes conscripserunt et præscripserunt, in quibus etiam ipsum Christum detraxerunt, non plus illi tribuentes, quam apud nos Sanctis tribuitur, ut intercedant pro nobis, sicut homines pro se invicem intercedere solent; et quas orationes (collectas vocant) Catholici solent concludere: Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat etc., isti, nec Domini nec Filii nomen ei tribuere dignati sunt: verum *per fidelem*, aiunt, *et justum servum tuum Christum*; quem etiam pluribus in locis viculicum appellant.

« Hanc tamen tam impiam Confessionem suam ausi sunt impurissimi ministri Cæsareæ majestati offerre, et ut approbaretur postulare; quod tamen non obtinuerunt. Contra eam scripsit vir doctissimus Eysingremius, ubi magno cum dolore queritur, Machometismum in Austria introduci, et viam Turcis aperiri, qua possint etiam absque vi et armis ea potiri, posteaquam illi ministri, Turcarum fautores et præcursores, virus Machometicum, qui Christum fidelem Dei veri servum credunt, Austriæ principibus et populis afflare conantur ». Hactenus ille, ex quo agnoscas miram Dei providentiam, que contra Augustanæ Confessionis hæresim, tot hæresum alia monstra hoc tempore insurgere permiserit, quod, et eam, et ista longius ac latius serpere in Germaniæ ac præcipue Austriæ perniciem prohibere voluerit: ac melius judicaverit (ut Augustini ¹ verbis utamur) de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere.

110. *In Angliâ Puritanorum origo, mores, fautores et hostes.* — Eodem vero tempore, quo diabolicum Lutheranorum regnum visum est in semetipso divisum, juxta Evangelicum illud, Calvinistarum pariter in Angliâ domus supra domum cadere visa est; nam hoc anno, juxta Camdenum ² ac Thuanum, Puritanorum ea in insula erupit secta; licet Spondanus ³ ac alii id in aliud tempus rejiciant. Revera siquidem, cum Zuinglianorum Puritanorumque operam, in novis præcipue Ritualibus condendis, sub Eduardo VI adhibitam fuisse supra narraverimus: hinc longe antea exortam, hoc tandem anno, et deinceps in pejus profeculam, novisque erroribus auctam potius quam exortam, in apertum prosiliisse dicendum est: quo quidem, a cæteris sectis, nedum a Catholica religione, omnino se sejungens, nominis celebritate, se

magis etiam discrevit. De illa autem hæc scribit Sanderus ¹: « Divisit hoc tempore in Angliâ Deus linguas hæreticorum; nam, præter nunc vel alterum, qui asserebant quendam Joannem Morum tunc viventem, esse Messiam; et præter varias Fratrum amoris, Anabaptistarum et Athcorum (nam omnes fere hæreses in Atheismum degenerant, et ex multis fidibus, ut quidam dixit, tandem nulla fit fides), nova etiam *Rigidorum* Calvinistarum secta, qui *Puritani* appellantur, scriptis et concionibus vulgares Protestantibus exagitare cœperunt, ritus eorum Ecclesiasticos, et regiam seu parlamentariam Ecclesiæ gubernandæ formam, de capitibus plusquam centum, ut impiam ac supersticiosam redarguentes etc ». Et in libro de visibili Monarchia: « Puritani (inquit) in Angliâ pars quedam est sectæ Calvinisticæ, nisi quod cæteris puriores haberi volunt, adeo ut recusat in his locis orare, baptizare aut convenire, quæ Catholico ritu unquam consecrata fuerunt ». Et inferius: « Quod ad doctrinam attinet, præter Zuinglij et Martyris errores, hos, qui sequuntur, suos proprios habent. Non ferunt, quod in clero quisquam sit alius alio superior, et ideo valde ægre ferunt, quod Calvinistæ permittunt, archiepiscopos habere jurisdictionem super episcopos, et episcopos super inferiores ministros: quod, quoniam reliqui Calvinistæ permittunt, *Puritani* vocant eos Papistas, quia eodem, inquit, jure, quo unus archiepiscopus potest habere jurisdictionem super omnes episcopos unius regni, potest et unus papa habere jurisdictionem super omnes episcopos totius mundi; quod neutra secta admittit. Non ferunt etiam Puritani, quod Calvinistæ, ad confirmandam doctrinam suam aliquando allegant S. Augustinum, et alios antiquos Patres, quos omnes usque ad unum rejiciunt, tum quod secundum ipsos Ecclesia statim ab ipsis Apostolorum temporibus fuit corrupta, tum quod admittendo aliquos doctores antiquos, videant necesse fore admittere humanas traditiones. Non ferunt, quod Calvinistæ admittunt, principes sæculares habere potestatem condendi leges circa ceremonias Ecclesiasticas. Non ferunt usualem modum celebrandi festum Paschæ semel in anno; eo quod Resurrectio Domini semper debeat versari in memoriis hominum, et non ad aliquod particulare anni tempus ejus memoria debeat limitari. Narravit etiam nobis vir, pietate et dignitate illustrissimus, cardinalis Alanus, cum hæc nostra revideret, quod inventi sunt inter illos plerique, qui deficiente vino celebrarunt, et Communio- nem obtulerunt in cerevisia, reclamantibus licet nonnullis ejusdem farinae ministris. Volunt etiam, quando aliqua congregatio vel consilium

¹ D. August. Enchirid. Cap. 25. 26. 27. — ² Camden. Histor. Elizab. ann. 1568. Thuan. — ³ Spondan. Ann. 1565.

¹ Sander. de Schism. Anglic. lib. 3. pag. 431.

ad consultandum de aliqua re convocetur, ut unus aliquis ex illa congregatione, communi omnium consensu eligatur, qui solummodo durantibus negotiis sit illius congregationis caput et gubernator. Admittunt tamen nomen episcopi, dummodo sit pastor unius Ecclesie tantum, nam episcopos, in sacerdotum Ordinem redigere satagunt. Vellent etiam, quod magistratus compellerent Catholicos venire ad ipsorum prædicationes, et quod saepe examinarentur, si proficerent in ipsorum doctrina: quod si doctrinam ipsorum non acceptarent, tunc abscederent; et dicunt quod major severitas est nunc exercenda in tempore Legis Evangelicæ, quam olim in tempore Legis veteris, et reprehendunt Calvinistas, quod sint contrariæ sententiæ etc ». Ninianus pariter Virizetus Scotus, in *Flagello Hæreticorum* apud Stanislaum Rescium¹ in Evangelicis Sectarum Centuriis, hæc habet: « Puritanos propterea vocant, quod, spreis omnibus Christianorum caeremoniis et ritibus circa Sacramenta et positam Ecclesiasticam; lametsi ubique terrarum ab ipsorum Apostolorum ætate, ab orthodoxis, magna cum utilitate, servatis: ex oculis penitus et memoria hominum, externa omnia, quæ hebetes sensus nostros ad pietatem exstimulent, auferenda esse decernunt. Res mira! Decrevit, inter alia absurda plurima, atque plane impia, ipsi homines cum sint, sed qui humanas traditiones, quasi ipsi plane divini, et omnem carnem exuti, plusquam hostiliter insectantur: decrevit, inquam, ubicumque in Britannia dominari permittuntur atque consistere, indictis severioribus penis, ne ulla, quid dicam Apostolorum, et beatissimæ Virginis Deiparæ, sed ne ipsius Christi nati (O spiritum Machometicum), circumcisi, a regibus adorati, passi, resurgentis, aut ad Patrem ascendentis, descensusve Spiritus Sancti in Apostolos, annua celebraretur memoria ». Sic ibi.

111. Impiissimæ sectæ primarium inventorem ac protoplastum existimatum fuisse Sampsonem quemdam, scribit Sanderus²; quem quidem Sampsonem, mille aureorum redditibus potius carere elegisse scribit, quam ut minister ejusdam Ecclesie cum esset, presbyteri habitum gestare, vel solo sacerdotali pallio indui in animum induceret; perfida uxore ad consilium hoc stimulante.

Alii vero, ut Camdenus et Thuanus, Colmannum Buttonum, Hallingamum Bensomum, et alios, ejusdem sententiæ auctores faciunt; quod (inquit) plus cæteris, in religione ac puritate doctrinæ sinceri, aut sibi esse persuassissent, aut videri saltem voluissent. Adduntque reginæ jussu, mox istos in custodiam

fuisse datos. Verum, cum talis ac tanta esset horum puritas, ut hoc novæ doctrinæ præsidio suffulti, tum ipsi, tum plurimi alii, præcipue nobiles, Ecclesiasticis bonis potiri posse arbitrantur; ideo non paucos adstipulatores habuerunt, quod nulli iisdem bonis, insaturabili cupiditate inhiarent. Inter alios vero horum furiosorum Calvinistarum primum in Anglia fautorem et patronum, sicut et Catholicorum maximum persecutorem extitisse Comitem Huntingtoniæ, optimi cardinalis Poli pessimum pronepotelem: scribit Sanderus: eumque, hæreticorum suæ sectæ opera, ex antiquo Eboracensis familie titulo, unde erat oriundus, Lancastrensi rejecta, licet frustra, ad regnum aspirasse affirmat.

112. Cæterum, cum scribat Camdenus, hoc eodem tempore Thomam Hardingum, præfatum Nicolaum Sanderum, aliosque sacræ Theologiæ professores, episcopalem potestatem a Pontifice Romano acceptam absolviendi in foro conscientie Anglos omnes, qui ad Ecclesie gremium reverterentur, et dispensandi etiam in causa irregularitatis, exceptis casibus, ex homicidio voluntario provenientibus, seu deductis in forum contentiosum: etiam ab irregularitate ratione hæresis, dummodo absoluti, per triennium a ministerio altaris absterentur, et deinde, ex opposito affirmet, contra illos insurrexisse, qui sinceriores religionem ardenti zelo profiterentur, nihilque, nisi quod e sacramentis Litterarum fontibus haustum probassent, reciperent (ac si veritatem Catholicam infelix ea, quam prædiximus, Puritanos inter ac alios hæreticos, tot blasphemiarum tunc suborta procella obruisset, vel hæreticorum cum hæreticis aliis bellum potius non extitisset): cum hæc, inquam, scribat, veritatem minime agnovisse, vel cognitam subdole reticuisse dicendus est; nam præter id, quod Sanderus idem recenset, hoc, videlicet, hæreticorum dissidio, Catholicos in dies plures constantioresque fuisse effectos; mendacem insuper scriptorem arguunt Camdenum, innumera pene convicia, maledicta, ac rixæ, quæ Puritanos inter ac sectarios cæteros interessere, quibus, implacabili pene odio, sese invicem colliserunt. Quæ quidem omnia silentio præterire ipse censuit, vel ut turbas universas, quibus, ob religionem, hoc tempore, acta Angliæ est, in solam Romanam Ecclesiam ac fidem converteret; vel, ne pendenda sectarum, quibus ipse adhereret, summo earum sive dedecore, revelaret.

Verum, tacente eo, iniquitas ipsa, omni confusionis propriæ respectu abjecto, abunde se prodidit; nec dispari prorsus ratione, qua, ut innumis, Saxoniorum se altera revelaverat; cum revera concertatio Anglica, Puritanos inter ac sectarios alios; ac Saxonica, inter *Molles* ac *Rigidos* Lutheranos, fere eadem visa sit; cum

¹ Resc. Evangelic. Sec. Cent. Verb. Puritan. par. 437. — ² Sander. ut supra.

æque Puritani, Calvini; Rigidi Saxonici, Lutheri parvis dogmatibus adhererent. Et, e contra, uti Lutherani, alii Calvinistarum *Mollium* nomine censeri posse viderentur, qui adeo districte cuncta Calvinii placita non sequerentur. Ut Lutherani igitur in Germania, sic isti in Anglia inter se diuturna vicissim iniere certamina, de quibus hæc Rescius ¹: « Calvinista accusant Puritanos, tanquam Arianorum et Anabaptistarum fautores; et sic se invicem verbis adeo virulentis proscindunt, ut verisimile sit, eos tandem ad arma venturos. Malus quippe malo, quo propius adhæret, eo major fit illi inimicus ». E contra vero, quid Puritani de illis sentiant, audi ex Andrea Philopato ² his verbis: « Sed ut propius (inquil) adhuc domum veniamus: quid, quaeso, de hoc ipso Elisabethæ, quod tantopere nobis per edicta obtrudit, sentiunt ipsi sui concionatores Anglicani? Quid scribunt? Quid profitentur? Certe Guil Gilbii ³, vir non infimi apud eos ordinis, cum de potestate Ecclesiastica in personam regiam translata, Anglos Scotosque admonet; his verbis ulitur: Monstruosus ille aper Henricus VIII omnino caput Ecclesiæ appellari voluit, sub pœna perduellionis, atque sic de loco suo deturbavit Christum, cui soli id competit, et in hoc nihil erat melior Romano Antichristo, qui eo nomine se ipsum Deum facit ». Sic ille, et inferius:

« Quod si quis hæc esse dicat unius tantum hominis, vel in uno tantum articulo disensionem; proferam totius multitudinis eorum, (qui Puritani, a pura Calvinii sectanda doctrina nominantur) consensum, qui scripto publico, comitiis exhibitio, universam fere religionem, quæ hodie in Anglia auctoritate regia defenditur; et Evangelium hoc loco ab Edicto vocatur, impugnant, rident et convellunt. Scribunt enim ⁴ sectam hanc errores continere penitus intolerabiles, et manifestam a Christo defectionem, Verbum Dei circumcisum esse in Anglia et alligatum; Sacramenta corrupta et profanata; stas in Ecclesia Anglicana precandi formulas fœdos continere abusus, varias et impias batologias, mendacia aperta, stoliditates, vel manu tractabiles, multaque cum Scriptura divina pugnantia. Pseudo-Episcopos Anglicanos, meras esse reliquias seminis Antichristiani, bellum Christo indicere: ideo sic de illis sentiendum esse omni vere Christiano, ut de juratis plane Christi Ecclesiæque suæ hostibus. Reliquos reipublicæ Anglicanæ rectores politicos et atheos, sive Judæorum, sive Turcarum, sive hypocritarum Angliæ Protestantium partes tueantur; perinde illis fore in die Domini, quando Sodomæ et Gomorrhæe tolerabilis erit, quam ipsis iudicium ». Hæc ille.

¹ Rescius ut supra. — ² Andre. Philopat. in Resp. ad Edict. Regin. Angl. Sect. 5. pagin. 418. — ³ Gilbii in admonit ad Angl. et Scot. pag. 417. — ⁴ Admonit 2. ad Parlament. præfat. pag. 3. 4. 14. et deinceps.

« Denique Martinus Marprelatus, cæterique Puritani, qui reverentissime quidem, sed omnium longe acerbissime invidiosissimeque, contra præsentem Angliæ sectam, quam regina (Elisabetha nempe) vocat Evangelium, scripserunt; hanc generalem propositionem tuentur: nimirum, quod, post tot annorum diligentissimam acerrimamque frumenti hujus Evangelici cribrationem, quidquid expressum est bonæ puræque farinae (ut ipsissimis eorum verbis utar) id totum penitus ad se, id est, ad Puritanorum sectam transiisse. Reliquis vero Zuinglianis, Lutheranis, vel Protestantibus, reginæ religionem defendentibus, furfur tantum et siliquis remansisse ». Hactenus Philopatus. Verum qui plura de Puritanorum cum cæteris Angliæ hæreticis dissidiis agnoscere desiderat, Rescium aliosque consulat, imo utriusque sectæ scriptores, qui de his fusissime disseruerunt.

113. *Mariae Scotiæ regina e carcere elabatur.* — At Elisabethæ animum, plusquam, quod sibi elegerat, sui Evangelii studium, res Scotiæ hoc anno divexarunt, cum Mariam reginam e carcere, in quo a perduellibus suis in munitissima Lavini Lacus arce inclusa fuerat, elapsam audivit. Cum enim nulla verborum aut promissorum suavitate, neque ipsa, quam recensuimus, regni abdicatione, obtinere Maria potuisset, ut ex ea indignissima educeretur custodia, ad ipsa beneficia, perfidis sectariis hostibus suis magis obduratis, vix tandem unus repertus est inter eos, qui tantæ majestatis virtutisque misertus, fidelis ad eam liberandam manus porrexit: isque fuit Georgius Duglassius, ejus ad quem arx spectabat frater, sagacis consilii et raræ fortitudinis vir: quidquid ad obnubilandam ipsius fidei ac virtutis præstantiam, aliud de illo commentus fuerit Thuanus ¹, qui ab eodem, corruptis custodibus, omnibusque ad fugam necessariis paratis, facilem hæc ratione fugam reginæ parasse, falso etiam scribit: nam insciis penitus cunctis custodibus, adolescentem tantummodo quemdam, nomine Gulielmum, Mariæ pincernam, ætissimæ sibi amicitie vinculo, in egregii facinoris societatem pellexisse; cuncti fere scriptores uno ore testantur.

Hic igitur Duglassii consilium non modo aspernatus non est, quin potius operam suam reginæ salutis, cum propriæ licet vitæ dispendio lætissime obtulit. Dictus est fugæ dies, quo solemne in arce convivium, cum nobilibus aliquot arcis præfectus instruxerat, ad quod comiter pariter invitata regina, morbo simulato, interesse recusavit. Hinc dum vino exhilarati convivæ præter omnem suspicionem essent, in risusque ac jocos solverentur, fido ducis indicio, virili habitu assumpto, per medium cœna-

¹ Thuan. Histor. sub hoc ann.

culum, quatuorque arcis stationes intrepida pergens, in lembum a Georgio Duglassio ad eam recipiendam transmissum, viam ubique demonstrante Gulielmo, descendit. Cum vero praevidentibus renuntiatum esset, reginam, navicula conscensa, elapsam fuisse, frustra in arce tumultuatum scribit Thuanus ¹, quia scaphis nempe omnibus in siccum extractis, ibi foramina, in quæ remi immittuntur fuerant obturata; ut fugientem facultas insequendi adimeretur; quo certe nihil improbabilius, cum id, nec a solis Duglassio et Gulielmo, nec absque suspitione, eorum jussu, ab aliis, neque tunc, neque prius fieri potuerit. Omnem quidem insequendi spem abstulit obstinens Gulielmus alia ratione: obseratis videlicet januis singulis, per quas regina transierat, ac clavibus in profundum lacu demersis: ita ut fugientem ægris nequicquam oculis persecuti fuerint, jam ipsi captivi vigiles, donec eam in mediam equitum turmam suscipiens Georgius Duglassius, ex arcis conspectu deduxisset. Quaedam nihilominus reginæ puellam Joannam Zuedam nomine, dominæ suæ fuga comperita, e gynæceo per fenestram desilientem eam secutam fuisse, scribit Ræmundus ².

114. *Nothus illam insequitur et commissa pugna, reginæ exercitum proffigat.* — Ubi notho reginæ fuga innotuit, copias ad eam insequendam statim contraxit, non suo quidem, sed regis nomine, quo magis propitiis vulgi animis et linguis exciperetur quod gesturus erat bellum. Ei adhæsere Glamesii, Hircadii, Ogiltrii, Semplici, Rueni, Lindesii, Hircadii, Mortonii, Martiæ et Glencarniæ comites, et universa Duglassiorum familia. Reginæ e contra auxilio venire tota Hamiltoniorum familia, Rothusiæ comites, Cambelli, Levistoni, Selonis, Flaminii, Brussii, Haresii, Balsusii, aliique, quibus, vel religionis in Deum, vel pietatis in principem scintilla remanserat. Hunsleiæ comites et Ogilvius, etsi et ipsi ad auxiliandum reginæ militem conscripsissent, ad eam tamen venire nequiverunt; et hic quidem postea ob Catholicam religionem in Galliam se recepit, ac Burdigalæ domicilium fixit, ubi multa, quæ ad harum rerum notitiam pertinent, ab ipso se expiscasse, quæ postea scripto tradidit, testatur Ræmundus ³.

115. Visum est autem ante omnia, ut nobilium ac procerum qui aderant consensu, cessio a regina in carcere facta, tanquam metu, qui in constantissimum quemque cadere posset, extorta, nulla ac irrita declararetur (si Thuanus credatur): qui ea de re confectum publicum Instrumentum, iurejurando reginæ firmatum asserit; quo facto, inquit, magna animorum ad novum casum renudatorum mutatio secuta est.

Hi vero qui reginæ accesserunt, antequam belli fortunam experirentur, eam Brintonodurum, munitissimam arcem deducere, ut ibi salva securaque utrique casui superesset, statuerunt. At præclarum consilium turpis proditio prævertit; nam edocius per experiatorem Nothus, qui in castris reginæ meditaretur, Landsidum petiit, et iter, quo transcursum erat, occupavit, atque ad pugnandum regios compulsi. Ibi utrinque infestis armis concursum est; at in ipso congressu Simplicius Baro, qui primam aciem ducebat, vel morbum in ipso pugnæ initio simulans, vel revera epilepsia correptus, magnam inter suos confusionem peperit; nihilominus tanta pertinaciâ pugnatum est, ut diu in ambiguo res fuerit, pellentibus se invicem pulsisque, ubi fractæ hastæ cominus ensibus, pugionibus, lancearum fragmentis, et qualibet re, quam furor aut hostilis rabies ministrabat, mutuo sese petiere; donec tandem victoria ad sectarios inclinavit. Ex sola Hamiltoniorum familia, quinquaginta septem glorioso fine occubuerunt, ac totidem supra viginti capti sunt; unde ingentem ex gregario milite numerum, vel occidit, vel captum conficere licuit.

116. *Maria ad Elizabetham secedere statuit.* — Spectata a regina crudeli hac suorum cæde ac casu, cum equitibus aliquot, qui superstitibus ex certamine remanserant, sese in tutum recepit, atque amicorum fidissimos, quid in tam deperdito rerum statu faciendum esset peruncinata est, cum in Scotia deinceps se nullatenus posse subsistere existimeret. Placuit cunctis emigrationis sententia, ac de loco, quo pergendum esset, haud parum difficilis dubitatio est injecta. Suadebant nonnulli, ut in Belgium ad Albarum Ducem; alii, ut in Galliam amicam regionem trajiceret; sed neuter eorum facile erat (inquit Ræmundus) in tanta omnium ad id necessariarum rerum inopia. Catholici se alicujus principis arci includere periculosum insuper videbatur, ne vi obsessa inde extraheretur. Hispaniam etiam nonnulli petendam censuere, at Maria, omnium posthabito consilio, in Angliam ad Elizabetham secedere statuit, nec ullis precibus, vel suorum lacrymis acquiescens, ab eo nunquam proposito divelli potuit. Archiepiscopus Santandreas, vir inimicæ prudentiæ, incorruptæque erga principem fidei, Joannes nomine, ex inclita Hamiltoniorum familia, multis ad averlendam ex ea sententia reginam adductis nihil se profecisse cum agnovisset, chirographum a se et ab ea spreto consilii testem petiit ac impetravit.

117. Anglicani Hoilingsedi ejusdam Annales, ad excusandam Elizabethæ crudelitatem compositi, Mariam non ultro ac sponte, sed vi ac necessitate coactam in Angliam venisse referunt, ut quæ subditorum armis premeretur, adæque ad supplicium quæreretur, nec post adversum

¹ Thuanus ibid. — ² Thren. de ortu et progres hæres. — ³ Thren. ut supra.

prælium ullum tutum locum haberet, donec Overhringtonum, qui Angliæ in Occidentali parte est portus, pervenisset. At falsum id esse multum convinci potest (inquit Ræmundus) cum, vel in Belgium, vel in Galliam, licet difficulter, trajicendi Maria adhuc potestatem haberet. Sed nihil putidius est (ipse subjungit) quam quod miseram exulem, Angliæ coronam tunc affectasse scribant; quæ enim suam lueri non poterat, atque unius spiritus conatibus, inter suos obistere haud valuit; qua ratione alienum regnum occupare voluisse censendum erit? Communior igitur, atque ideo verior sententia ea habenda est, quæ Mariam blandis litteris, nuntiis, muneribus ab Elizabetha in Angliam invitata assertit, eamque præsidio militum, quo in regnum restitueretur, promisso, se in Angliam receptisse dicit.

118. *Maria Carleolam ducitur, ibique ut captiva tenetur.* — Priusquam vero e Scotici sui regni finibus egrederetur Maria, ut narrat Camdenus, ad Elizabetham præmisit Joannem Bethonium cum adamante, quem in mutuæ benevolentiae symbolum ab ea prius acceperat; qui significaret se in Angliam venturam optime imploratam, si subditi ulterius bello persequerentur. Cui Elizabetha, assueta fraude, amorem et omnia sororis studia cumulatissime promississe, idem scribit. At vix Angliam est ingressa, et Londinum versus iter arripuit, quod Elizabetha jam sui voti compos effecta, tanquam lupa rapax, ovinam pellem statim deponere cepit, et litteris per Franciscum Knolles et alios est quidem consolata, et patrocinium ex æquitate causæ promissit; accessum tamen negavit, eo quod multorum criminum vulgo insinularetur, jussitque (ipsius Camdeni sunt verba) ut Carleolum, tanquam in locum tutiorem, si adversarii quid in eam molirentur, a Laudero loci præfecto, et nobilibus eo tractu deduceretur. Verum Conæus¹, cognito ab Elizabetha Mariæ adventu, obviam venienti præfatum Franciscum Knolles misisse dicit, ut eam rogaret, quod Carleoli, dum regiæ majestati conveniens ad eam recipiendam apparatus institueretur, subsistere vellet; quod Maria, doli nescia, in optimam partem et civititer interpretata est. At ubi appositi sunt custodes, ne in hostium manus incideret (vel potius, ne ulla ex vere hostium manibus elabendi facultas esset) aliqua, licet levis, futurae captivitalis suspicio miseræ principis animum, malorum præ sagum, inaccessit. Et tandem, cum Carleolo Bertonum a Scupio limitaneo præfecto, Elizabethæ jussu deducta, arctius se quam majestas pateretur custodiri animadvertit inimiam suam incusare credulitatem, et Hamiltonii præsulis serum ad auxilium fidem invocare; eaque omnia, quæ ipse prædixerat,

tanquam jam initium sumpsissent, vereri cepit. Ista Conæus²: quæ quidem, ut ab assuetis artibus Elizabethæ haud aliena, recensere prætermisit Camdenus, quod tam infamis proditiōnis singulas partes, plus forte cum dicere, quam Elizabetham patrare puderit.

119. Interea, ut ipsemet refert, dum adhuc Maria Carleoli detineretur, per litteras Elizabetham obtestatur, ut, vel ad colloquium cum ea admitteretur, et adjuvaretur, vel ex Anglia discedere ad opem aliunde implorandam, bona cum venia, quam primum permitteretur, nec tanquam captiva diutius in Castro Carleoli detineretur; quandoquidem sponte in Angliam venerit, freta amore, toties litteris, nuntiis et symbolis, honorifice promisso. Et quidem: « Ex his litteris² et Herisii ipsius legati verbis (Camdeni sunt verba) Elizabetha videbatur (abditos enim principum sensus quis assequatur? et prudentes tacito sinu cogitationes coercent) principis cognatæ et afflictissimæ serio misereri, quæ a subditiis vi et armis capta, in carcere contrusa, in extremum vitæ discrimen deducta, inaudita, condemnata, regno spoliata (cum ne in privatum inauditum sententia ferenda), in Angliam spe certa auxilii ad ipsam confugerat. Ad hæc promovebatur, quod misera regina causam coram ipsa disceptandam, sponte obtulerit, atque in se receperit adversarios reos omnium criminum peragere, quorum ipsam innocentem accusaverant ».

Ista ille: post quæ statim addere potuisset censebis, Elizabetham, juxta pristinam fidem, juxta sanguinis ac naturæ leges, juxta omnium gentium jura ac scita, miseram fuisse Mariæ, ut vel vi regno restituentam censeret, vel liberam dimitteret, vel saltem coram audiret. Verum quia nulla charitatis ac pietatis viscera ei inerant, quæ veram fidem, vel nunquam admiserat, vel admissam nefarie rejecerat; idcirco nil prorsus, quod ratio ac preces miseræ principis postulasset, ab Elizabetha statutum: quin potius, ea procul dubio instigante, a perfidis consiliariis, eodem Camdeno³ referente, decretum; belli jure esse detinendam, ac si in prælio capta fuisset, nec dimittendam, donec de titulo Angliæ arrogato satisfecisset, et de morte Darlæi mariti, qui subditiis Angliæ notus erat, respondisset: ac si carcere merito plectenda esset regina, quod jus, quodecumque esset (sed eo magis justum) oblenderet, et ipsa Angliæ subdita evasisset, quod alienum subditum, sed in proprio regno, ac per consequens sibi subditum occidisset.

120. *Maria per litteras Catholicos ad deponenda arma inducit.* — Dum hæc vero in Angliam agerentur, Nothus, ubi reginam in potestatem Elizabethæ constitutum esse intellexit; omnes, qui

¹ Conæus in Vit. Mariæ Stuard.

¹ Ibid. ut supra. — ² Ibid. ut supra. — ³ Ibid. ut supra.

ejus partibus favebant, indictis comitiis vocari, et majestatis crimine damnatos, bonis exui, pellicque in exilium imperat; sed crudelis apostate tyrannidi restitit Hamiltonii, Huntley comites, et alii causæ regie acerrimi propugnatores, qui tantum adversariis incussere terrorem, ut viribus suis diffisi, subsidium ab Elizabetha petierint: verum, ut scribit Cœneus, hæc militem conscribere verita, ne Angliæ tranquillitatem incerto exitu turbaret, rursus fraudibus Mariam aggreditur, atque ab ejus sincerissima etiam in hostes benignitate impetravit, ut Catholicos ad arma deponenda per litteras induceret; quod si fecisset, omne se in recuperando regno auxilium ipsi præstituram pollicita est. Maria igitur mandante, Catholici ab armis discedunt; post quæ habitus celebris Edimburgi conventus: in eo cum nihil actum esset, his libertatem, vindictam illis de regina poseentibus, Elizabetha omnium rerum ad se vocato arbitrio, judicis partes injustissime sibi vindicans, hinc per suos delegatos Mariam, hinc per se, vel alios Moravium Eboraci adesse imperavit.

121. *Judices ipsi testimonium reddunt de Mariæ innocentia, unde irascitur Elizabetha.* — Quæ inter utrosque acta fuerint, cum longo dictamine Anglicarum ac Scoticarum rerum scriptores prosecuti sint, nostrum non est hic per singula recensere. Illud tamen prætereundum non est, Mariam, ut diximus, per delegatos, ad dicendam causam invitata, cum primum negasset se ullius, vel Elizabethæ, vel alterius, præterquam Dei ac Christi vicarii subesse judicio: quæ objecta erant, tanta deinde facilitate delevisse, ut qui ab eadem Elizabetha constituti judices assidebant, non modo a scelerum de quibus insinutabatur crimine, sed ab eorumdem quoque, vel minima suspitione alienam prorsus expertemque pronuntiaverint. Quod quidem luculentissimum de Mariæ innocentia testimonium, quam ægre tulerit Elizabetha ipsa, testantur passim scriptores, nec Camdenus¹ ipse, qui tam nefariæ læminæ, ex instituto, scelera, aut contenda, aut delenda suscepit, obscure id innuit; dum refert toties ab Elizabetha mutatos fuisse judices, qui rem agnoscerent: quod primi, uti optaverat, in Mariam sententiam minime dixissent. Imo ejusdem Mariæ accusatores præcipuos, Moravium, Mortonium, Lindesium graviter increpasse, scribit Ræmundus, quod segniter in causa adhuc versati fuissent. Quapropter Moravium novas insidias struens, amatorias quasdam epistolas et carmina, reginæ manu (ut asseruit) conscripta, ut eam cædis mariti consciam probaret, et Buchanani libellum, cui titulus *detectio*, judicibus legendum exhibuit. Verum his (inquit Camdenus) parum fidei apud majorem partem cognitorum invenit, ut

hominis paritarii et fide promereri. Epistolis vero et carminibus, cum nomina, suscriptiones, notatioque temporis deessent, et ubique plures sint falsarii, qui aliorum characteres tam scite assimilare et exprimere norunt, ut veri ab emittitis non internoscantur, Elizabetha ipsa vix fidem adhibuit; licet (inquit) muliebris æmulatione, quæ illum sexum transversissimum agit, intercesserit; satisque habuerit quod ex his accusationibus aliquid saltem probri Scotorum reginæ adhærere putaverit.

122. Sed quæ post hæc statim addit, infensissimum in reginam Mariam Elizabethæ animum magis ostendunt: hæc enim subdit¹: « Ubi autem illius, nempe reginæ Scotiæ, delegati acceperissent, illam contumeliosissime a Moravio accusari, respondere paratissimi erant; sed illa delegatam auctoritatem jam abrogaverat, jurisperitis nonnullis Anglis clam edocta, hoc ex jure licere, quandoquidem prior cognoscendi auctoritas duci (videlicet Norfolkiciæ) et cæteris esset abrogata, novosque cognitores quorum sibi iniquiores existimavit, plane recusavit, nisi Galli Hispanique legati adjungerentur, et ipsa coram regina et illis, ad suam innocentiam tuendam publice admitteretur, Moravium detineretur, et judicio sisteretur, quem cædis Darlei architectum probari posse affirmavit. Quæ cum Norfolkicius, Arundelius, Sussexius, Leyecestrius, et Clintonus non iniqua censerent, Elizabetha subirata, palam dixit: *Advocatum Scotæ nunquam defuturum, dum Norfolkicius superesset.* Satisque habuit crimina, a Moravio objecta singulis a sacris consiliis, et etiam comitibus Northumbriæ, Westmorlandiæ, Salopiæ, Wigorniciæ, Auntindoniæ et Waruvici convocatis imperitri sub sacramento silentii, ne alterutri parti præjudicarent. Cumque Moravium domum revocaretur, et Boidus (quod vulgo ferebatur) opera certe Elizabethæ, ac ipsius Moravii, Scotorum reginam e carcere subducere moliretur, res in aliud tempus dilata est etc. ». Sic ille, cui credar, cui libet: ineptissime certe et pèrperam statim subjungit, rem fuisse dilatatam, quod Elizabetha in abdicaanda regina, Scotorum insolentiam ex animo fuerit aversata.

123. *Dolose spargitur rumor de Mariæ nuptiis cum Norfolkio duce.* — Quo pariter animo ipsamet subirata pronuntiaverit, *advocatum Scotæ nunquam defuturum, dum Norfolkicius superesset,* quæ etiam sunt subsecuta facile declarant; rem prodit Camdenus² ipse his verbis: « Moravium, paulo ante discessum, subdole Norfolkio nuptias cum regina Scotorum, et ipsi etiam reginæ spem restituendi in regnum, per Melvinum clam proposuerat (ut mox dicemus); simulque, ut Elizabetham a Scotorum regina

¹ Ibid. ut supra.

¹ Ibid. ut supra. — ² Ibid. ut supra.

magis abalienaret, sparserat rumores, illam transcripsisse jus suum in Angliam, in ducem Andinam, transcriptionemque Romæ fuisse confirmatam. Litteras enim ostendit (veras an ementitas non dixerit), quas Scotorum regina ad suos scripserat, in quibus, et Elizabetham arguit, quasi contra ac promiserat ipsam tractasset, et aliunde spem auxiliorum ostendit. Has autem nuptias Norfolkio a netho oblatas fuisse consilio Elizabethæ, asserit Conæus¹ (quidquid Thuanus ac Buccananus, Moravii ac Elizabethæ mendaces scriptores astruere in contrarium contenderint) : quod illa Scotiæ reginam, una ac Norfolkium virum, ob auctoritatem spectabilem, adeoque sibi inivisum, perdere statuisset. Quapropter, nec assentiri Catenæ² possumus, qui ipsum Norfolkii cum Maria nuptiarum negotium, a Roberto Rodolpho, de quo mox, confectum fuisse scribit : quod id, ad utrosque, ut diximus, perdendos a Moravio et Elizabetha tantum fuerit excogitatum.

Ex litteris vero (quas veras an ementitas Camdenus idem asserere non audet), in quibus regina Maria auxiliorum spem aliunde ostentasse dicebatur : certissime idem infert, firmam hanc auxiliorum spem, non aliunde habuisse Mariam, quam a Romano Pontifice, quod is Robertum Rodolphum Florentinum, qui diu institorem Londini egerat, subornasset, ut Catholicos in Anglia contra Elizabetham clandestine concitaret; quod quidem sedulo et secreto fecisse scribit. At si ignoravit, an litteræ quas recenset veræ an ementitæ fuerint; quid hæc, quæso, cum concitatione per Rodolphum facta in Elizabetham? Quid cum certissima auxiliorum spe, quam dicit a Scotiæ regina concepta, quæ ementitis forte litteris tantum, ab ipso pronuntiatum innixa? Si enim ementitæ hæc litteræ fuerunt, nec Rodolphus certe, nec regina aliquid in eis habere poterunt, quo vel turbæ in Anglia concitarentur, vel e manibus Angliæ evadendi spes aliqua Scotiæ affligeret.

124. *Elizabetham, per fas et nefas omnia conturbantem, Pius coercere tentat, mediante rege Hispano.* — Et hæc quidem ad detegendam celebris hujus scriptoris ineptam scriptionem. Cæterum non modo Hieronymus Catena in Vita Pii, sed cuncti orthodoxi scriptores palam confessi sunt, Pontificem, non tantum Rodolphi, sed cujuscumque opera potuit, concitare in Elizabetham turbas stituisse, et eam e regno deturbaret. Quod si clam ac secreto id curavit, hoc certe fuit, quod negotio perficendo secreta necessariam ceasarit, non vero quod egregium plane opus eruberit; quod nos etiam rursus palam referre non dubitamus, et ut veritati inserviamus, et quod tanti Pontificis ferventis zeli facinus dignissimum arbitremur. Accipe

illud ex deserto, præ aliis, ipsius Vitæ scriptore Gabutio³ : inquit enim :

« Pius nonnullis viris in Anglia mandavit, ut de rebus, et Catholicorum, et hæreticorum omnibus cognoscentes, cuncta perscriberent ad se, atque ad pristinum sacrorum ritum in ipso regno instaurandum Catholicos incitarent. Sed cum haudquaquam permetteretur, ut vel Apostolicus internuntiatus, vel alius quispiam, sacrosanctæ Romanæ Sedis personam sustinens, posset ibi consistere : omni studio faciendum curavit, ut Robertus Rodolphus nobilis Florentinus, qui per mercaturæ speciem, illo commorabatur in regno, incolarum animos ad Elizabethæ perditionem, rebellionem facta, commoveret. Is ergo Pontificis nomine rem diligenter egit, non modo cum Catholicis, quorum ibi bonus erat numerus, sed cum multis etiam Protestantibus, qui in id variis de causis pariter conspirabant : alii quidem ob vindicandæ privatas inimicitias, quibus dissidebant ab iis, qui ad ejus regni hæreditatem aspirare conabantur; alii vero majori spe rerum innovandarum excitabantur etc. ». Ita Gabutius : verum quamvis peculiare nil certi eorum, quæ Pius in Elizabetham tunc moliebatur, adhuc eluceret, nihilominus ipsiusmet Elizabethæ jussu, paulo post Scotorum reginam a Boltoua, ubi omnes Catholici circumvicini erant, in regni interiora ad Turburiam abductam fuisse, et Georgio, Salopitiæ comiti, in custodiam traditam, refert Camdenus. Hiberni vero Catholici, qui his circiter temporibus, partim veteri in Anglos odio, partim propter religionis dissidium, collectis quibusdam copiis transfretaverant, et ad extremas ad occasum Angliæ provincias hostiliter ingressi erant, omniaque flamma ferroque vastaverant; indeque ingentem prædama vexerant, in causa quoque fuere, si Traccagnotta credamus, quod regina Scotiæ, non modo ab Elizabetha non liberaretur, sed tutiori etiam custodia traderetur. Ad ea autem patranda Hibernos commotos, præ aliis, ex eo arbitramur, quod Armachanus, ipsorum archiepiscopus, regni primas, et alius eorum quidam ab Anglis capti, ac in arctissimum carcerem trasi, barbære admodum haberentur : pro quibus hoc ipso anno, ad archiepiscopum Rossanensem, suum et Apostolicæ Sedis nuntium apud Catholicum regem, Pium scripsisse reperimus : ut rege ipso agente apud Elizabetham, vel mitius tractarentur, vel libertati restituerentur. Ea Epistola :

« Venerabili fratri, archiepiscopo Rossanensi, in Hispania, apud regem Catholicum, nostro et Apostolicæ Sedis nuntio⁴.

¹ Ibid. ut supra. — ² Catena. in Vit. Pii.

³ Gabut. in Vit. Pii. — ⁴ Ex Archiv. Vaticano.

PIUS PAPA V.

« Ven. frater etc. Relatum nobis fuit, ven. fratrem archiepiscopum Armachanum, qui, ut nosti, primas est Hibernia, captum fuisse ab Anglis, et in Turre Londinensi in compedibus haberi : dilectum autem filium Davidem, ex Hibernia Societatis Jesu professorem, ab iisdem Anglis in oppido Dublino arctissime custodiri, ambosque durissime tractari. Valde admodum dolemus tantam calamitatem utriusque eorum, propter singularem ipsorum probitatem, et multos ob religionem Catholicam susceptos labores. Quia vero adjuvare eos, quantum possumus, cupimus et debemus, alia ratio nobis non occurrit, quam ut clarissimus in Christo filius noster rex Catholicus reginæ Anglorum pro eis diligenter scribat; itaque fraternitas tua cum ipso rege pro utrisque diligentissime loquatur; et curet, instetque, ac roget nostris verbis, ut ad ipsam reginam atque ad oratorem suum accuratissime scribat. Quo ejus officio, nihil in presentia gratius nobis esse poterit. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xiii Martii MDLXVIII, Pontific. nostri anno tertio ».

Verum hujusmodi Elizabetha non erat, ut his officiis deliniri posse putandum esset, neque apud eam officiis ipsis aliquid proficere posse Philippus censere potuit, utpote qui, et illam inmanissimam contra se hostem experiretur; Elizabetha siquidem communis fidei ac pacis toto Christiano orbe infensissima inimica, non Scotiæ modo, quas diximus, turbas excitaverat, sed in Belgio, in Galliis atque in Germania tumultus omnes vel commovit vel saltem commotos fovit ac auxit; adeo ut mirum non sit, de ipsa colibenda sollicitè Pium cogitasse; quod, ea repressa, publica omnium regnorum tranquillitas, religioni incolumitas, erroribus depulsis, restituta omnimode censenda esset. « Impatiens illa siquidem (inquit ab Isselt¹) pacis et tranquillitatis, belli occasiones quærebat, nam, præterquamquod Condæ factionem fovebat, his etiam rebus sub illo prætextu contra regem Galliæ studebat. Cum enim intellexisset, Auriacum cum exercitu in Galliis esse, ejus uti opera (ut Materanus refert), non ad utilitatem tantum Hugonottorum, sed et propriam constituerat; ut scilicet per eum, Cælestium cum toto istius loci territorio sæ denuo potestatis faceret, ad quam rem expediendam, pecuniam, unde exercitui satisfaceret, procuraret. Scripsit de hoc negotio ad Auriacum litteras: at illæ, proditione cujusdam reginæ ministri, in manus cardinalis Lothareni pervenerunt, qui, re cum rege communicata, per litteras respondit.

« Interea, dum hæc ultro citroque geruntur, tempus labitur, et Auriacus, priusquam consilii Angliæ certior fieri potuit, exercitum dimisit.

« Neque his contenta Anglia, Hispanum quoque, et regem deinde Philippum in se provocavit, hac occasione. Navigium quoddam Cantabricum, cum quatuor minoribus navibus (assabras vocant) piratarum Gallicorum metu ut quidam, vel tempestate ut alii, compulsus fuit in portum quemdam Anglicum sese recipere. Vehebantur his navibus his centena ducatorum millia, ex Hispania in stipendia copiarum Albani missa. Gneracus Spilius, Hispanus in Anglia legatus, petiit a regina ut pecuniam hæc, quæ a publicanis detinebatur, liceat sibi Antuerpiam mittere. Conceditur; sed quia multi erant in eo mari piratæ, iterum flagitavit, ut pecunia hæc bellicis navibus per mare, aut terrestri itinere deducatur. Quod etiam, non solum concessum, sed etiam Francisco Winteno, classis Anglicæ præfecto, reginæ litteris mandatum est, ut Hispanica ista navigia, quocumque opus esset, deduceret, donec in securum locum pervenissent. Aliis vero litteris imperatur, ut pecunia efferatur e navibus; quod et factum est, nequicquam reclamante Stephano Serra, Hispanicis navigiis præfecto, dataque est custodia Britannis hominibus, ipsis etiam navibus Angli sunt impositi, prætextu navium a piratis Condeanis defendendarum. Cum autem instaret legatus, ut pecunia redderetur, respondit regina, se intra triduum daturam. Sed cum Angli minime illius essent animi ut redderent, speciosus euditor titulus, quo pecuniam juste retinere se posse arbitraretur: eam scilicet non esse regis Hispaniarum, sed Genuensium mercatorum; reginam hæc pecunia opus habere; licere autem principibus jure antiquo, necessitatis tempore, omnia in usum suum convertere, quæ sub suo imperio reperiuntur. Proinde se hæc pecuniam retinere, et mercatoribus debitam usuram solvere decrevisse. Quinquaginta igitur cistulis inclusam navibus efferri, et in ærarium suum regina inferri mandavit. Quod cum legatus Albano præscripsisset, ille indignatus vigesima nona Decembris, omnes Anglos in Belgio negotiantes capi, et in ædibus Anglicanis Antuerpiæ custodiri, omnia quoque illorum bona, apographa, syngrapha, accepti expensique codices in tabulas referri jussit, ut ad exitum negotii custodirentur. Idem, et in Hispaniis factum est. Anglia vicissim omnes subditos regis jussit comprehendere, et in custodias duci ». Sic ab Isselt: ejus narrationem parum immutasse cognoscitur Camdenus, excepto eo, quod Odetum Castilionæum, olim cardinalem, qui ob hæresim a Pio purpura spoliatus sese e Gallia in Angliam receperat, omnium primum inter Hispanum et Angliam jecisse ostenderit semina

¹ Isselt. Hist.

discordiarum, quæ deinde dolorum ac plurimarum armorum copiosam nimis frugem procrearunt, ut sequentibus annis dicendum erit.

Cum autem sat non fuisset Elizabethæ, turbas in Gallis ac Belgio quodammodo secreto usque adhuc conceitasse, ut audisti; non modo rebellibus deinde palam haud defuit, imo ad eorum defensionem centum aureorum millia, et apparatus bellicum large submisit; sed insuper hæresi addictos Gallos, aut Belgas omnes in Angliam fugientes, omni humanitatis genere est prosecuta, assignatis illis ad habitandum locis, ut non mireris, inter eos, quem diximus, Castilionæum expurpuratum etiam apostolatam recenseri.

125. Dum igitur Pontifex tot sceleribus obnoxiam, fidei ac religioni infensissimam Elizabetham (ut diximus) clandestinis machinationibus coercere studet; optimam sibi visam dissidii, quod diximus, cum Hispano opportunitatem, ut hunc in illam concitaret, his verbis narrat Gabutius ¹: « Ecce tibi (inquiens) exorta discordia inter Catholicum regem et Elizabetham Hispanicis de navigiis ac pecuniis Londini detentis, quibus rex exercitui in Belgio stipendia solvere cogitabat; quocirca Pius oblatam occasione non contemnendam ratus, eflagitabat ab rege, ut Anglorum in Elizabetham pia conspirantium studia foveret, cum præsertim nulla ratione posset, tutandis Belgicis ditionibus suis melius consulere, quam eam expugnando reginam, qua dominante, regiones illæ perpetuis infestationibus forent affligendæ. Ad hæc subijciebat debitum tuendæ religionis officium, quæ prima ad eum commovendum ratio esse debeat. Cui quidem consilio libenter acquiescente rege, illud Pio reliquum erat, ut in idipsum, et Gallorum regem, et Gallos ipsos, qui Catholicis Anglis itidem faverent, prudenter inclinaret etc. ». Ita ille; at quæ his subsequuta sunt, sequenti anno dicentur.

126. *Sueticæ res per mortem Errici, crudelissimi regis, compositæ.* — Infaustus vero præsens annus visus est regibus, quod non modo Scotorum regina, ut diximus, in carcerem tradita fuerit; sed quod regi Suetico idipsum etiam acciderit. Cum enim crudelitibus, quibus sese præterito anno tædaverat, ignominiosam adhuc libidinis maculam addere vellet; et juxta illud: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*, præter tot innocentium sanguinem effusum, regalem etiam sanguinem degeneri connubio ejusdam satellitis filia, a qua, jam uti concubina, duos filios acceperat, commaculare præsumeret; antequam ille nuptias has celebraret, fratres ejus Carolus ac Joannes Finlandiæ dux, quem e carcere præterito anno eductum vidi-

mus, Holmia discesserunt, et cum quibusdam proceribus, occupato Wasteno, in ipsum Erricum regem conspirarunt; nam cæteris nobilibus evocatis parochiarumque præfectis, de eo regno privando inter se consilia inierunt. Erricus igitur, conjurationis certior factus, licet præterito anno regiam omnem suam auctoritatem in Joannem transferre voluisse simulasset, seseque regno abdicare velle ostendisset: mutato tamen consilio, exercitum in fratres et hostes misit. Verum exercitus omnis (adeo invisum evaserat Errici nomen) cum ducibus suis, in Joannis et Caroli partes transiit. Illi vero his aucti copiis, ad obsidionem Holmiæ profecti, die Sancto Michaeli Archangelo sacra, illius potiti sunt: at ante ingressum, Georgius Perensius, Petri filius, ab epistolis, ac præcipuum libidinum ac flagitiosorum administer, ab iisdem ad supplicium a rege postulatus, una cum matre, scelerum conscia, ac venefici ac necromantia suspecta, ad Finlandiæ ducem in castra deducitur; in via vero mater ex equo se dejiciens, collo fracto, supplicii quidem pœnam subiit, at ludibrium evasit. Georgius autem ad Joannem adductus, et duabus horis, per exercitum circumductus, præcis naso et articulis ad furcam adfixis, ipse etiam vivus coram in patibulo pendens, et inde magno cum laxatorum membrorum cruciatu demissus, rursusque attractus, gratum omnibus spectaculum præbuit; indeque depositus, cruribus et brachiis rota contusis, demum in quatuor partes discissus interit.

127. Interim se in arcem receperat Erricus, ex qua mox, animo recollecto, cum satellitibus et corporis custodibus denuo egressus est, existimans vel sola sua præsentia, se hostes deturbaturum. Et primi quidem, vultus majestate terri, de via ipsi cedentes, et honoris significationem exhibentes, intra ordines eum receperunt. At cum obviam ei venisset avunculus Stenonius Ericsonius, cum a satellitibus suis, haud præteritæ suæ crudelitatis immemor, interfici jussit, unde in caput ejus adacta bipenni, prosternitur; post quæ, dum rursus in arcem repedere contendit, ab hostium celeritate ei regressus præcluditur, ideoque in vicini templi asilum confugit, ubi circumclusus, ingruente jam nocte, in fratris se potestatem dare compulsus est. Hic cum Vestrantium sub custodia misit, ubi post decem annorum captivitatem, anno tandem MDCXXVIII infelici fine occubuit. Arcem eam ab ipsius patre, ex Ecclesiarum ruinis adificatam fuisse, scribit Ræmundus; ut hinc etiam discas miram Dei justitiam, quæ patris scelus in filio plexa est, et filii scelera patris scelere punivit.

128. Urbem igitur ingressus Joannes Finlandiæ dux, triumphans, Sueciæ rex hujus nominis III renuntiat, cum scriptum publicasset,

¹ Gabut. in Vita Pii.

quo, ad vulgus sedandum, suscepti contra Ericum belli rationes fuse exposuerat. Statim verum cum Dania pacem inire studuisse, tradunt scriptores; at non nisi anno millesimo quingentesimo septuagesimo fuisse compositam referunt, licet ab Isselt et alii hoc anno id accidisse contendant. Quenam Catholicæ religioni, ex hac Joannis ad regnum provectione, bona advenierint, sequentibus annis dicendum erit.

129. *Polonos inter et Moscovitas bellum.* —

Neque bellum hoc tempore inter proxime Sueviæ adjacens Poloniæ regnum ac Moscos deferbuerat. Sigismundus enim cum validissimo exercitu (nam centum millia lectissimorum equitum et peditum in eo fuisse dicuntur) ingentique bellico apparatu, Moscoviam ingressus, ad Rodoviciam castrametatus est, quod tamen oppidum nullatenus occupavit; sed re infecta, post nonnullos dies reliquit, Grodnam reversus, exercitusque parte dimissa, copias reliquas sub Joanne Cholechiesvicio, Samogitiæ palatino, ad expugnandam Wivam arcem misit. Obsidione igitur eam cinxit et graviter tormentis divexavit: verum auxiliariibus advenientibus copiis, ceptum facinus deserere compulsus fuit. Ejus nihilominus, post menses aliquot, inopinata irruptione potitus est Romanus Sanguscovius, incendioque absumpsit, oppidanis pariter cunctis, aut igne aut gladio, aut aqua Dunæ fluminis interemptis. Post quæ Vielisam arcem, et oppidum, ditionis etiam Moscovite, in suam potestatem redegerunt. Multis præterea eis frequentibus incursionibus damnis illatis; quæ tamen Moscovite, una cum Tartaris illis rependere connixi sunt, unde ex tam magno exercitu, a Polonis coacto, parum utilitatis emerit; quod, ut Neugeubavarus ¹ narrat, expeditio longius in Autumnum protracta fuerit, ibique, non tam fortibus facinoribus, quam perpetuis comessationibus vacaretur: sicque in irritum abierit, ut Moscus quibusdam suorum abscissis capitibus, et in castra regia missis, regi insultaret. Nihilominus inducias per triennium factas hoc anno, Polonum inter ac Moscum, quorundam principum interventu, scriptores passim affirmant.

130. *Confessionem Augustanam Gedanenses obtinere student a Sigismundo Poloniæ rege, quem Hosius de ipsorum fraudibus monere festinat.* — Inducias quoque inter se tandem pepigisse, ut Catholicis formidabiliores apparerent, Lutherani, Calvinistæ, Trideistæ hoc anno confixerunt, ut narrat Rescius ², nam Sandomiriæ coacti, post multorum dierum acerbas contentiones et deliberationes, cum secta sectam truderet, nec quicquam Calvinistæ Lutheristis, nec isti Trideistis aut Anabaptistis concederent, pu-

dore ad extremum perurgente, ut Orthodoxis terrori essent, et syncretismum quemdam facere conati sunt, et nescio quam fidei confessionem ediderunt, quam Cracoviæ typis mandatum ipsi regi Sigismundo Augusto exhibere minime dubitarunt. Erat autem illa sic consarcinata et conscripta, ut quid de rebus controversis statuissent, neque unquam quisquam intellexerit, nec ipsi intellexisse deprehenderentur. Et quamvis inde quoque, irritatis invicem animis, re infecta discessissent, circumlatæ sunt tamen litteræ quædam in pecorina charta conscriptæ, et suscriptionibus, et plurimorum nobilium sigillis munitæ, ut ii quoque, qui in suas se domos e clamosissimo colloquio receperant, ante conventiculi finem, et manus et sigilla pariter sua applicaverint. In se tamen reversi Lutherani eam confessionem, alio edito scripto, pro hæretica damnarunt, quod Calvinii sententiam, nulla prorsus ratione reprobarret; licet is, qui eam conscripsit, omnes qui Sandomiriæ convenerant, vanarum sectarum homines, in omnia illius decreta consensisse gloria retur.

131. At, sicut erroribus errores contegere subdole hæretici conati sunt, ut unitatem simulant; sic eorum nonnulli palam asserere, nefandissimos licet, errores alios, veriti non sunt; nam hoc anno, teste Ræmundo ¹, theses Cracoviæ impressæ fuere, in quibus, inter alia, hæc legebantur: « Dicimus nos, post mortem animam non superesse. Figura hæc sunt Antichristi, ac potissimum Purgatorium, ei Sanctorum invocato ad quæstum excogitata, quibus animæ immortalitatem, mundo persuadere voluit ». Sic illi.

132. Ut autem Austriaci a Maximiliano Cæsare, Augustanam, ut diximus, Confessionem obtinere totis viribus hoc anno studuerunt; ita quoque a Sigismundo Augusto idem impetrare, aut jam impetrasse, ostendere Gedanenses, Tournenses et Elbingenses connixi sunt; quos jam præterito anno diximus acerbam cum cardinali Hosio contra Catholicam religionem concertationem suscepisse; et ad quos in officio continendos Joannem Koskam castellanum Gedanensem Sigismundus idem, cum regiis mandatis miserat. Verum illi parere renuentes, legationem ad illum (ut innuimus) initio ejus anni decreverunt. At durum nimis illis fuit contra stimulum calcitrare, cuncta ipsorum studia perspicacissimo cardinalis zelo evertente. Ubi enim trium illarum Borussia civitatem legatos (Elbingensibus enim, quos tantum Hosius commemorat, Gedanenses ac Tournenses se addidisse, Rugerius scribit) ad regem pervenisse pensavit, sequenti Epistola ² eum de ipsorum

¹ Neugeb. *Histor. Polon.* lib. 8. pag. 624. — ² Resc. *Evangel. Conventic.* anno 1468. pag. 154.

¹ Ræmund. *Histor. Hæres.* lib. 2, cap. 16. pagina 130. — ² Hosii *Epist.* 23. pagina 959.

fraudibus ac insidiis commonendum duxit :

« Audio, quod profecti sunt ad S. M. V. Elbingenses, fortassis, ut ea rescindi curent, quæ sancte per illam fuerant constituta. Sed ego mihi tantum de pietate, deque constantia M. V. polliceor, nunquam, ut eam commissuram existimem, ut persuasionibus eorum loci quidquam det. Mirum est autem, quod ita suæ ipsorum salutis invident. Quid enim aliud a me, quam salus eorum quæritur? Non habent atrociorē hostem, quam sunt ipsi; volunt se perditos, cum ego servatos cupiam. Nam in perfidia quomodo salvari possunt? Quidquid autem est extra veram fidem, non fides, sed perfidia est. Aut igitur perfidi fuerunt majores eorum et nostri jam inde a ccc annis, quibus Evangelium Christi receptum est in Prussia; aut hi perfidi sunt, quorum perversam doctrinam sequuntur, quod ego verius esse nil dubito. Per me, quod sit iter ad Christum in Bethlehem natum illi ostenditur; illi contra malunt ad Antichristum Islebii natum, cujus verbum, quæ est horrenda idololatria, vocant Verbum Dei, sicut alii Zuinglii sive Calvinii verbum, alii Gregorii, nescio cujus, et multorum similium (sunt enim jam infiniti) vocant ipsissimum Dei verbum, et Evangelium Christi. Videt majestas vestra, quorsum res perducta sit. Putant miseri, cum petunt Augustanam Confessionem, se petere Dei verbum. At Andreas Osiander, qui nihilo fuit in doctrina Philippo Melanctone inferior, vocat illam Philippi verbum, et monet suos ne mittant Wittembergam liberos, quod ibi coguntur abjurare Dei verbum, et jurare in verba Philippi. Idem æque doctus vir Tilemanus Hesusius Magdeburgensis, diligenter hortatur, ne suos liberos mittant Wittembergam, quod Augustana Confessio tota sit ibi corrupta. Et est hoc omnibus manifestum, quod qui scripsit eam, Philippus Melancton, in præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus ab ea discessit, et factus est in illis Christianus, sive Papista; in dogmate vero de Eucharistia, Calvinista. Si petunt aliquam fidem novam, cur petunt eam, quæ est in terris imperii, et non potius quæ est in regno majestatis vestræ, ne videantur ab illo esse disjuncti? Multo est absolutior fides Gregoriana, quam Augustana; nam illa lectum tantum Papatus, quemadmodum Tigurina parietes, hæc vero fundamentum ipsum evertit. Quid opus est multis ambagibus? Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora; simul potius evertat Papatum, hoc est, Christianismum omnem, quandoquidem verissime dixit ille, quod ad hoc coperunt esse multæ fides, ne ulla sit; ac tantumdem habet majestas vestra potestatis, ad Gregorianam, quantum ad Augustanam perfidiam concedendam. Annus jam sextusdecimus agitur, quod de illis Christo lucrificandi elaboro. Quantum autem profeci-

mus, adhuc me vehementer pœnitet. Sæpe illis denuntiavi, si qua de re dubitare eorum aliquis, ut ad me veniret, me fore paratum instruere quemque in spiritu lenitatis; sed non fere quicquam ex illis est, præcipue qui magistrato funguntur, qui se non esse doctiorem existimet, quam non solum episcopum suum, verum etiam Ecclesiam universam. Supplex a majestate vestra peto, cum ad illam venerint, ut eos ad me remittere dignetur, ut a legitimo pastore suo se doceri patiantur. Exhibeant mihi præclaram istam Confusionem Augustanam: ego ex ipsorum libris, quantis ea scateat erroribus ostendam. Nam nec ex Lutheranis desunt, qui vocant eam Colthurnum utriusque pedi aptum; fonsque caputque malorum omnium (quæ nunc in Germaniis et in Galliis videmus, et ingemiscimus), non est alia, quam Augustana Confessio. Quamobrem illam primam omnium extirpandam curet majestas vestra, si vult regni sui tranquillitatem conservare quaquam, ut eiciatur Sathanæ minister, quem alunt Elbingenses, ego nunc non insto: tantum hoc insto et supplex peto, liceat Evangelium Christi ministris ejus in civitate majestatis vestræ prædicare; liceat eam fidem profiteri, cujus esse majestatem vestram, certo persuasum habemus; liceat sub rege Christiano Catholico et Orthodoxo, quod etiam sub Turcarum tyranno licere scimus. De ministro Sathanæ postea videbimus: dummodo nihil interea contra Deum isthinc obtineant: quod, ut cavere majestas vestra velit, etiam atque etiam majorem in modum peto. Datum Helispergæ, xxviii Januarii MDLXVIII ».

133. *Acta Elbingensia.* — Supra diximus, quisnam minister ille Sathanæ fuerit, quem Hosius memorat, turbarum, quæ Elbingæ in templorum direptione ac Jesuitarum insultu, præterito anno acciderant, præcipuo concitato; nempè quemdam, nomine Sebastianum. Precibus vero Hosii non modo rex annuit, atque Elbingenses legatos ad eum remisit; verum, cum ipsi cardinalem adire cunctarentur, illum, ad habenda terrarum Prussiæ comitia, Elbingam misit¹, ubi quæ de proposita religionis quæstione agitata sunt, habentur ex Actis Elbingensibus², sub hoc anno, quos contractos dabimus, suntque hujusmodi :

« Ostensa fuit cardinali spes, Elbingenses non ita magno negotio lucrificari posse Christo etc. quamobrem occasionem hanc sibi minime negligendam esse putavit, et ad eos profectus, venit Elbingam vii idus Aprilis, ubi cum fuisset a consule et alio quodam senatore exceptus, postulavit ab eis, ut postera die senatum et populum Elbingensem in prætorium accersiri juberent, quod ad eos, certis de rebus

¹ Resc. VII. Hosii Cap. 30. — ² Acta Elbingen. 1508. inter Hosii Opera tom. 2. pag. 103.

verba facere cogitaret. Id illi minime gravatim se facturos obtulerunt; quin, si vellet cardinalis, in ipsius aedes venturos. Quoniam vero minus hæc capaces fore videbantur, satius visum est, ut in prætorio convenirent. Quo, cum ad constitutum horam cardinalis venisset, in hanc sententiam Germanicæ lingua sermonem ad eos habuit:

« Complures jam anni intercesserunt, quod pastor et episcopus animarum vestrarum a Deo sum constitutus; ac testis est mihi Deus, testis et regia majestas, testes denique sunt et alii mortales multi, quod honorem hunc ipse mihi non sumpsit; quia recusavi potius, ac, ut alii magis idoneo mandaretur, petivi. Sed cum regia majestas de sua sententia deduci se non pateretur, cum ejus de me iudicium, Sanctæ quoque Sedis Apostolicæ iudicio fuisset comprobatum, divinam hanc vocationem esse ratus, diutius illi resistendum esse non existimavi. Cæterum, ex quo tempore tantum hoc onus in me recepi, non alia me res habuit magis anxium et sollicitum, quam ut omni ratione eis providerem, quorum salutem fidei meæ Deus concedidit; ut hi possent unum corpus, unus esse spiritus, ut unum Dominum, unam fidem, unum baptismum agnoscerent. Quam etiam ob causam, ante annos quidecim, cum non deesse quosdam offecissem, qui doctrinis variis et peregrinis abducere vos, et in aliud Evangelium traducere conarentur, aliis nonaginta novem ovibus relictis, ad vos advolavi, totam fere Quadragesimam vobiscum transegi, nec intentatum quicquam reliqui, quo vos possem in unius Christi corporis compage retinere. Accidit autem, ut postea labentibus annis aliquot in Urbem a Paulo IV Pontifice Maximo vocarer; quo non adeo invitus sum profectus, quamlibet ingravescens fuerit ætas hæc mea: spem enim concepiebam, cum eo pervenissem, ut salubre consilium et auxilium reperire liceret, quo non solum in hac mea diocesi, verum, et in orbe reliquo Christiano tolli possent hæreses et schismata, quibus in tot partibus Ecclesiam Dei mirandum et miserandum in modum dissectam esse videmus et ingemiscimus. Cum autem alia ratio non occurreret, quam ut Concilium OEcumenicum congregaretur, quod unicum in ejusmodi malis remedium semper est habitum, de eo congregando, quoad Romæ debebam, vehementer fui sollicitus. Interea Paulus IV ex hac vita migravit, cui successit Pius IV qui pro singulari zelo, quo ferebatur, ad reintegrandam concordiam et unitatem Ecclesiæ, statim ut renuntiatus est Pontifex, de congregando Concilio cogitationem suscepit, et præter omnem expectationem meam, me nuntium suum ad pientissimum felicis memoriæ Ferdinandum imperatorem, hac ipsa de re designavit. Facile perspieciebam, quam essem impar huic oneri tanto

ferendo; quamobrem ut ad alium potius deferretur, deprecabar; sed cum urgeret Pontifex, non aliud mihi fas erat, quam jussa capessere. Quamobrem, divina fretus ope, tanto minus dubitanter tam duram provinciam hanc suscepi, quod memineram, cum apud vos fuissem ante quindecim annos, petivisse vos, ne de his quicquam contra vos statuerem, priusquam Concilium esset congregatum, ad quod vos tum referebatis, et quidquid in eo sancitum foret, in eo vos libenter acquieturos promiseratis. Quamobrem nullam, neque sumptuum, neque laborum, neque salutis meæ rationem habendam esse putavi, quodque mihi fuerat a Pontifice mandatum, qua summa potui fide diligentiaque perficiendum curavi. Et est, Deo gratias, cujus immortalis beneficio factum est, ut quem optabam legationis meæ fructum consequerer. Assensus est enim imperator ut Concilium congregaretur, seque suos ad illum oratores missuros esse promisit. Assensi sunt et alii reges et principes omnes, quotquot in orbe Christiano Catholici sunt et Orthodoxi; quin et serenissimus rex et dominus noster Sigismundus Augustus oratorem suum eo misit. At, ne quod parentis pii, deque salute liberorum suorum solliciti, munus in illo vere Pio Pontifice requiri posset, etiam ad eos Germaniæ principes, qui segregaverunt semetipsos, et ad præcipuas imperii civitates, quin et in Prussiam hanc nostram suos nuntios ablegavit, qui diligenter instarent apud omnes, quandoquidem ipsorum causa potissimum Concilium hoc OEcumenicum congregabatur, ut vel ipsi venirent, vel suos oratores atque theologos eo mitterent: ut quibus de capitibus Doctrinæ Christianæ controversi cæptum est, hoc infelici nostro sæculo, sanctæ Synodi iudicium de iis esse vellent. Offerebatur fides publica, quam salvum conductum vocant, ea forma quam superioribus annis ipsi præscriperant, nihil ut foret a cujusquam vi pertimescendum. Qui faciebant veritatem, omnes reges Christiani et multi principes venerunt per suos oratores et theologos, ad Concilii lucem opera sua manifestari facile tulerunt. Cæterum, qui sibi separationis consiliorum, quæ sacrilega vocat Augustinus et impia, qui schismatis et hæreseos fuerunt conscii, non audebant ad lucem venire, ne arguerentur opera eorum. Constat Concilium hoc totos annos viginti durasse, quibus adventus eorum fuit expectatus; quin etiam post illius tertiam Indictionem a Pio IV factam, per menses novem, nihil a legatis et episcopis, qui Tridentum venerant, actum est, si qui forte venirent interea. Cum autem nemo venisset, in Dei nomine tandem visum est, quod pridem fuerat inchoatum Concilium, id prosequi, totoque biennio diligenter expensa sunt et examinata doctrinæ Christianæ capita, de quibus nunc disceptatur. Disceptatum

est acriter a Theologis in utramque partem; a Patribus postea sententiæ dictæ sunt: ad extremum admirabili quodam et unanimi consensu, quid sentiendum de quoque dogmate, quidve sit credendum, diligentis disquisitione facta, constitutum est. Adfuerunt in eo Concilio trecenti propemodum episcopi, magna vite sanctimonia plerique, neque vulgari sacrarum litterarum peritia præditi. Theologorum autem ingenis erat vis. Adfuerunt imperatoris et regum omnium Christianorum oratores, quibus consentientibus, cum nulla spes ostenderetur venturos eos, qui se præciderunt ab Ecclesia Dei, laudem factum est, ut illi finis imponeretur. Quem autem fructum attulerit huic præsertim civitati, quæ referebat ante quindecim annos ad Concilium hoc, adhuc non video. Nam reversus ex eo, templum parochiale clausum reperi, nec erat in eo quisquam qui sacris operaretur. In monasterio vero, quod nunc etiam fit, impurum Dei verbum, pro puro Dei verbo, populo venditabatur; qua quidem ex re, majorem quam credi queat, animo dolorem accepi. Sed cum tanta sacerdotum penuria laborarem, quos mitterem ad prædicandum Evangelium Christi non habebam, donec misertus Ecclesiæ suæ Deus, de strenuis militibus suis illi providit. Quorum simul, ut potestas mihi facta est, Jacobum Fimermanum, Ecclesiæ meæ canonicum, qui præsens hic adest, ad vos legavi cum duobus Christi militibus, qui sanam ipsius et Apostolorum ejus doctrinam vobis annuntiant. Sed cum ad vestra desideria vobis magistros eoacervavissetis, Dei verbum rejecistis, et qui legitime missi fuerant a pastore et episcopo animarum vestrarum, eos recipere nolulistis. Quæ res et ipsa majorem animo meo quam prior illa molestiam attulit: quæ magis etiam aucta fuit, cum dato responso nuntio meo, quod etiam litteris mandari curastis; nulla circuitione prorsus usi, non Christianæ Confessionis, verum Augustanæ Confessionis ministros ut mitterem, a me postulatis: quos vero miseram, eos a vobis propterea non admitti, quod essent alterius religionis ab ea quæ nunc fovetur. Hæc enim sunt verba ea, quibus non obscure significatis, aliam nunc vos religionem fovere (sic enim loquimini) quam quæ fuit in hac civitate ante annos non ita multos, quæ fuit parentum, avorum et atavorum vestrorum tempore, jam inde a ccc et amplius annis, quibus Evangelium Christi Prussia recepit. Equidem obstupui, cum hæc audirem. Hanc variabilis est fides, ac per singulos annos religio vestra mutari debet? Scilicet in hac propecta jam ætate mea, non amplius mihi Christus confitendus, verum illius loco Lutherus, aut Philippus adorandus, et quod ab illis fuerit scriptum, tanquam Dei verbum amplectendum? Christiana Confessio deserenda est, Augustana nescio quæ

heri, quod aiunt, et nudius tertius nata, nunc demum discenda simul et docenda est? Mihi vero prius mentem omnem Deus eripiat, quam in hanc mentem impelli me patiatur, ut hoc tantum sacrilegium designem, ut Christum abnegem, et in Lutheri vel Philippi verba jurem! Ego nullam confessionem, extra Christianam Confessionem, nullum Deum, extra Deum patrum nostrorum, nullum scio Dei verbum, præter id, quod a dc jam annis in Polonia, a ccc autem et amplius in Prussia, sive per sermonem, sive per charitam et atramentum, a Christo et Apostolis ejus, patribus nostris traditum, per longam sacerdotum et episcoporum successionem ad nos usque pervenit. Ab hoc Dei verbo me dimoveri nunquam patiar, etiamsi fractus illabatur orbis. Confessionem autem Augustanam pro Dei verbo nec agnosco, nec deinceps agnoscam unquam. Nam, ut hoc loco silentio præteream quæ sint Christianorum, quos Papistas vocatis, de ea re judicia, nec de eo mentionem ullam faciam, quemadmodum sub illud ipsum tempus, quo Cæsari fuit oblata, per eum in comitiis imperii, magno cum consensu omnium ordinum, paucis admodum exceptis, rejecta fuerit et reprobatâ; vel ipsi Lutherani, qui Confessionis hujus censi volunt, editis libris, eam condemnare videntur etc.

« Scio, quod ad regiam majestatem ea de re nuntios vestros miseratis ¹, ad quam ego quoque meum cum litteris misi labellarium: quæ causa esset contentiosis inter nos indicavi, nec enim de alia re disceptari, quam, quod ego salutem vestram quero, quam extra unitatem Ecclesiæ nullam esse certe scio; quamobrem ad hanc omnibus modis vos reducere conor. Vos contra nullum atrociorum hostem habere potestis, quam sitis ipsi vobis, cum ipsi vos perditos ire velitis, quos ego pro virili mea servatos cupio. Me vobis ad Christum in Bethlehém natum viam ostendere; vos ad Islebiensem Antichristum ire malle. Supplex ab illius majestate petivi, quandoquidem nescitis quid petatis, ut quod in vestram perniciem petitis, id vobis ne largiatur. Sed quod in regni comitiis magna cum laude sui nominis fecit, semel et iterum, ut non dissimilia petentes, ad episcopos suos relegaret, quod sui muneris non esse diceret, de causa religionis quiequam statuere, nunc etiam idem faceret, ad me qui pastor sum et episcopos animarum vestrarum a Deo constitutus, vos remitteret; mecum ut iis de rebus conferretis, mihi præclaram istam Confessionem vestram exhiberetis, toties, quod ipsi queruntur Lutherani mutam, versam, perversam, ac multis in locis depravatam et adulteratam. Paratum me semper in spiritu lenitatis unumquemque vestrum instruere, in sana doctrina exhortari,

¹ Ibid. ut supra pag. 111.

rationemque fidei meae reddere. Si vero per novum istud Evangelium conversa jam et perversa sunt omnia; si non oves pastoris, sed pastor ovium vocem audire; si currus equos, non autem equi currum trahere debent; si jam hæc est hora et potestas tenebrarum, mihi quidem periniquum videri, sed facit nihilominus ingens desiderium, quo cuperem vos Christo Inerificare, ut nec hoc recusem, ad utrumque me fore paratum, ut, vel doceam vos pro pastoris officio, vel discam a vobis pro temporum horum ratione. In hæc ergo sententiam regie majestati scripsi, quin et hoc addidi, nihil enim coram vobis dissimulare volo, mihi nihil esse negotii cum Augustana civitate, quam tamen et ipsam Confessionem hæc minime recepisse constat, me non ad imperii, sed ad majestatis illius terras pertinere. Quamobrem si mihi nova foret aliqua fides amplectenda, quam a me dementiam pro sua misericordia procul Deus avertat! eodem jure me, vel Gregorianam in Polonia nuper, vel Osiandrianam in Prussia paulo ante natam recepturam, cum eodem prope loco sint apud me Confessiones omnes, quæ nomen aliunde quam a Christo ducunt. Sic actum est a me cum regia majestate. Quod autem responsum vobis datum sit, vos nosse melius potestis. Et quidem præstolabar, ut Heilspergam ad me veniret aliquis ex hoc ordine vestro, qui, vel disceret a me, vel doceret me de postulatis vestris. Cum autem per tot hebdomadas nemo venisset, ecce nunc præsens hic adsum ipse, quod regie majestati per litteras promiseram, id coram vobis nunc offero, nec video cur detrectare debeatis etc.

« Cæterum pro officio meo pastorali, proximis superioribus mensibus, de singulari doctrinæ pabulo prospicere vobis cupiens, miseram ad vos, qui purum Dei verbum vobis annuntiarent, viros magna vitæ integritate nec minori doctrina præditos; quemadmodum accepi, quantas pro Dei verbo persecutiones passi, quantum etiam in vitæ discrimen adducti fuerint, in præsentia commemorare nolo; sed hoc tamen satis mirari non possum, quod sub crudeli Turcarum tyranno, qui se Christi perduellum aperte confletur et præ se fert, majore securitate libertateque confiteri Christum liceat, quam in ista civitate, quæ subest regi Christiano, Catholico et Orthodoxo: cujus illa fidem, quæ eadem est Catholica et Orthodoxa fides, cum facta separatione condemnare videatur, quo loco regem ac dominum suum habeat, in opinione cujusque relinquere, quam in oratione mea ponere malo. Sed non est mihi propositum hæc de re pluribus nunc expostulare. Quæ facta sunt, quandoquidem infecta reddi non possunt, libenter memoriam eorum obruam oblivione sempiterna, dummodo provideatur, ne deinceps eadem illa designentur: sed hoc obsecro, quo

animo ferre debeo, quod missus qui est a me legitimo pastore et episcopo animarum vestrarum, penes quem est mittendi potestas, is a vobis non auditur, interea tamen auditur alius, qui ascendit aliunde, qui currit, cum eum nemo miserit qui mittendi facultatem habuerit; qui vero, legitime missus, purum Evangelium prædicat, is inauditus etiam condemnatur, ac e populo multi deterreri dicuntur, ne eum audiant. Quæso vos causam explicare, cur ab eo qui missus est a me, tantopere vestra voluntas abhorreat? Num aut in moribus aliquid est, aut in doctrina, quod merito vos offendere queat? Renuntiate mihi; promitto vobis quod non sum officio meo defuturus. Mihi quidem, non solum hujus, qui præsens hic adest, verum etiam quotquot sunt ejusdem Jesu Societatis alii, spectata satis est integritas et probitas. Sed si quid vos secus de illis judicatis, si quid est quod vel in doctrina vel in moribus eorum vos offendat, iterum atque iterum a vobis peto ne me celare velitis. Libere mihi quidquid exploratum ea de re habetis, indicate. Quod erit mei muneris, in me requiri non patiar.

« Cum finem dicendi cardinalis¹ fecisset, petivit Burgravius ut sibi secedere cum suis liceret, quo possent de responso illi dando deliberationem suscipere. Porro cardinalis cum animadvertisset sermonem longius protractum fuisse quam initio cogitabat, in diem crastinum responsum rejeci inlavit, quod ad illud audiendum sub eandem horam se rediturum in prætorium esse diceret. Venit postridie cardinalis. Tum Burgravius, altius sermone repetito, quæ dicta fuerunt a cardinale recensuit: quo facto testatum hoc omnibus esse voluit, quod quæcumque dicturus esset, nollet eo animo dicere ut quemque offenderet aut enjusque existimationi detraheret, verum ut responderet iis quæ per cardinalem proposita fuerunt. Qua præfatione præmissa, magnas egit gratias cardinali, quod civitatis tantam curam et sollicitudinem gerat, neque se dubitare dixit quin Deus Omnipotens tantum hoc studium illius in prospiciendo civitatis rationibus ampla sit mercede remuneraturus. Quod autem cardinalis non obscure tulit, aliam se religionem in civitatem hæc introducere velle, quæ minime convenit cum pridem recepta doctrina Confessionis Augustanæ, pridem id se cognovisse. Quoniam vero majestas regia non solum huic, verum et aliis duabus civitatibus Torunensi et Gedanensi clementer indulset, ut eis Confessionem Augustanam amplecti liceret, nec hæcenus quisquam est repertus eam divinæ legis oraculis refutare; se bona spe esse, quod cardinalis non difficulter sit laturus, ut in recepta semel doctrina et ritibus permaneant; cum citra ma-

¹ Ibid. ut supra pag. 416.

gnum levitatis crimen in aliam aliquam doctrinam tam subito se transferri non possint. Cum itaque regia majestas clementer illis indulserit, ut Augustanæ Confessionis doctrinam sequi possint; petere se, ne quid contra jura et privilegia sibi concessa cardinalis agere velit, quin eos, data sibi libertate, libere frui permittat. Quod autem scire cupit cardinalis, quid senatus et populus requirat in iis quos ad prædicandum superioribus mensibus huc misit; aut quid sit quod eos in illis offendat, ita brevibus accipiat: quandoquidem in confesso est, quod Augustana Confessio veræ, puræ, Christianæ et Evangelicæ doctrinæ prorsus est consentanea, et in verbo Dei fundata; qui vero missi sunt a cardinale, nec in vita, nec in doctrina cum eo conveniunt; deliberatum illis esse in Augustanæ Confessionis doctrinam constanter acquiescere, nec eam deserere; simul spem bonam concipere, quod in hoc suo proposito cardinalis eos minime sit impediturus, cum præsertim editus non ita pridem sit liber a Martino Kemnito, qui doctrinam Jesuitarum ita confutavit, ut hactenus ei respondere potuerit nemo: quomobrem eos audire se non posse. Quæ cum dixisset, postulavit a cardinali, singulorum ut sententias exquireret, num, ut ita loqueretur in mandatis ei dederint, ne forte suspicari posset eum hæc non ex omnium sententia dixisse. Vix autem decem aderant ex populo, cujus rei quæ causa fuerit, satis mirari cardinalis non potuit, et accidit illi responsum hoc Burgrabii permolestum, quod agreste nimis judicaret esse, cum tamen ipse perhumaniter egisset».

Quid autem eis responderit, quave argumentorum vi commentitias eorum rationes repulerit, fuscæ ex ipsis Elbingensibus Actis cognoscitur, qui ideo consueti erunt. Res tamen diuturnis ac contentiosis colloquiis in longum distracta. In fine vero Actuum hæc leguntur: «Cum autem animadvertisset postea cardinalis, quod non esset alia ratio civitatem hanc lueri-faciendi Christo, quam si minister Sathanæ, qui Lutheri verbum pro Dei verbo prædicabat, ex ea facessere juberetur (licet, ut vidimus paulo ante, id in aliud tempus rejiciendum existimasset), obtinuit litteras a regia majestate quibus id serio magistratui mandabatur». Fuerunt autem regis Epistolæ ad senatum Elbingensem hujusmodi:

«Sigismundus Augustus, rex Poloniae, pro-consulibus et consulis civitatis suæ Elbingen.»¹

«Spectabiles et famati fideles dilecti. Detulit ad nos cum magno dolore suo reverendissimus in Christo pater dominus cardinalis episcopus Warmiænsis, in cujus diocesi ipsa quoque fraternitates vestræ continentur, positum illic esse et constitutum per fraternitates ve-

stras, in civitate nostra, quemdam ministrum Sebastianum Mengengorgel, qui, occupato concionatoris loco, apud fraternitates vestras (quod ipsum, quoniam præter auctoritatem R. domini cardinalis factum est, vitio sane vacare non potest, cum ex eo quidem loco ad concordiam potius et pacem, quam Christus salutis nostræ dux et auctor pro peculiari nobis quodam et proprio religionis nostræ ac professionis Christianæ symbolo reliquit, populum vocare deberet) nihil pæne aliud, quam convicia in episcopos et reliquos magni nominis magnæque auctoritatis viros, atque ideo in summos ipsius Christianitatis præsides jacere, et conciones seditiosas, ad excitandos modo tumultus populares comparatas habere solet. Ita quidem, ut non Dei sed Sathanæ minister prorsus esse videatur. Cum autem ea res voluntati primum Domini et Dei nostri Jesu Christi adversetur; adversetur etiam officio eorum qui recte et cum fructu sacris concionibus præesse volunt; adversetur moribus et institutis, non solum Ecclesiarum, sed etiam civitatum bene constitutarum; et postremo adversetur auctoritati ac dignitati nostræ regie, quibus Respub. pacis, concordiæ, tranquillitatis publicæ curam demandavit. Idcirco mandamus serio fraternitatibus vestris, omni interposita auctoritate nostra, ut hunc istum factiosum hominem, et ad concitandas in pacatis civitatibus seditiones ac turbas natum, quamprimum facessere isthinc jubeant, inque loca ejusmodi, ne quem deinceps factiosum aut turbulentum hominem sufficient, qui aut seditioem in civitate concitet, aut in episcopos aut Ecclesiarum proceres invehatur. Quos sane episcopos, cum nos ipsi eo loco habemus, ut iis, et salutem animæ nostræ committere, et eos concilii et senatus regni participes facere non dubitemus; quanto magis F. vestris faciendum est, ut ipsis in civitate ista suis ac debitus honor, sua ac debita dignitas conservetur, tecta ac munita ab hujusmodi seditiosorum et turbulentorum hominum maledicentia; quam, quoniam procul omnino abesse volumus, idcirco iterum atque iterum fraternitatibus vestris mandamus, ne hunc istum hominem factiosum, de quo loquimur, intra urbem istam diutius esse patiantur, sub gravissima indignatione nostra, si secus quam volumus fecerint. Datum Knissini, xxviii Aprilis anno MDCXVIII, regni vero nostri trigesimo nono».

134. *Hosii votis non obtemperant Elbingenses.* — His autem regis mandatis tantum abest ut Elbingenses parere voluerint, quin potius auidaciorem factum perfidiæ ministrum, quod ab Hosio in se constructum exilium cognoverit, fovere adhuc ac in urbe pertinacissime retinere maluerint. Cujus temeritatis cum Hosius regem admonuisset, ille, non litteris modo, sed missis etiam Joanne Koska de Stempergh, castellano

¹ Habentur inter Hosii Epistol. Epistol. 91. pagina 238.

Gedanensi, ac Joanne Demetrio Solikovski secretario suo, ac pœna imposita, ni paruisset, ad expellendum pravitatis præconem adegit. Epistola ad eos tunc scripta hujusmodi fuit :

« Sigismundus Augustus, rex Poloniæ, proconsulibus et consulibus civitatis suæ Elbingen.¹

« Dedit ad nos rursus cum magno dolore suo reverendissimus in Christo pater et episcopus Warmiënsis, in cujus diœcesi ipsæ quoque fraternitates vestræ continentur, posilum isthinc esse et constitutum per fraternitates vestras in civitate nostra quemdam ministrum Sebastianum Mengengorgel, qui, occupato concionatoris loco apud fraternitates vestras, quod ipsum, quoniam præter auctoritatem reverendissimi domini cardinalis factum est, vitio sane vacare non potest. Cum ex eo quidem loco, ad concordiam potius et pacem, quam Christus, salutis nostræ dux et auctor, pro peculiari nobis quodam et proprio religionis nostræ ac professionis Christianæ Symbolo reliquit, populum vocare deberet; nihil pœne aliud, quam convicia in episcopos et reliquos magni nominis magnæque auctoritatis viros, atque adeo in summos ipsos Christianitatis præsides, jacere, et conciones seditiosas, ad excitandos modo tumultus populares comparatas habere solet. Cum autem ea res voluntati primum Domini et Dei nostri Jesu Christi adversetur, adversetur etiam officio eorum, qui recte et cum fructu sacris concionibus præesse volunt; adversetur moribus et institutis, non solum Ecclesiarum, sed etiam civitatum bene constitutarum, ac postremo adversetur auctoritati ac dignitati nostræ regiæ, quibus republica, pax, concordia, tranquillitatis publicæ curam demandavit. Idcirco commisit generosis Joanni Koska de Stemberg castellano Gedanensi, et Joanni Demetrio Solikoukii secretario nostris, ut fraternitates vestras nomine nostro admonerent diligenter, ac serio, omni auctoritate nostra interposita, mandarent; providerent fraternitates vestræ pro officiis suis, ne quam materiam seditiosis intestinæ, his præsertim periculosis temporibus, intus in civitate alant. In primis, ut hunc istum factiosum hominem, qui sub specie sacrarum concionum, seditioem in civitate excitat; qui nostræ, id autem est, Catholice religionis odium atque invidiam confiat, qui legitime in Ecclesia Dei potestati, cui nos quoque ipsi, item ut cæteri reges ac principes Christiani, secundum Deum volentes ac libentes paremus, non solum adversatur, sed etiam maledicit. Hunc talem quamprimum ex civitate ista fraternitates vestræ facessere jubcant, sub gravissima indignatione nostra, si secus quam volutus fecerint. Et sub pœna viginti millium

Hungarorum aureorum, dimidiam partem fisco nostro, et reliquam Ecclesie Warmiënsi irremissibiliter solvenda. Quemadmodum de his et aliis rebus, ex castellano et secretario prædictis, fraternitates vestræ cognoscent. Datum Grodræ, die decima sexta Junii anno millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, regni nostri anno trigesimo nono ».

Ad hæc nihil aliud respondit Elbingensis senatus, nisi se rem ad populum relatuos, ac postea regiæ majestati responsum daturos. Quid demum responderint, habebitur infra ex verbis Hosii. Interim nulla prorsus habetur ratio regionum mandatorum; et hæreticus minister minime urbe decedere cogitur, imo majori audacia sacro Ordini ac Catholice religioni detrahere permittitur, ut colligitur ex Epistola ejusdem Hosii¹ ad Wenceslaum medicum regium, Plocensem canonicum, die quarta Julii hujus anni scripta, in qua, inter cætera, hæc dicit: « Ministrum illum, non tanquam Augustanæ Confessionis professorem (quæ vel sola Catholico regi legitima causa videri deberet), sed tanquam seditiosum hominem pelli capere, nisi forte seditiosum non est, qui me presente fuit ausus hortari populum, e superiore loco, ne quid loci daret episcopi sui persuasionibus, multaque maledicta contra papam, cardinales et episcopos ejaculatus est, ut seditioem contra me commovere velle videretur. Qui semel et iterum admonitus, ut sibi temperaret a convitiis, non modo nihilo modestior, verum et multo procacior et petulantior factus est. Qui post exhibitas regiæ majestatis magistratui litteras, quibus ex illa civitate facessere jussus est, gravius etiam, quam antea cepit in *die Couffeliske Papisten, die Lausige Papisten*, hoc est, diabolicos papistas, pediculosos papistas (his enim flosculis uti solet) invehi; cum tamen ipsa etiam majestas regiæ se papistam esse profiteatur ».

Causa autem, ob quam repetitis regiis mandatis Elbingenses obedire renuerunt, ab eodem Hosio, in Epistola² ad præfatum Joannem Demetrium regium secretarium hoc modo dicitur: « Metuebam ego quoque, ne causa cum hædis meis Elbingensibus eum, quem videmus, exitum consequeretur. Hoc enim illis persuasum est, et ut persuasum sit, suis viribus laborant, quod non sit hæc seria voluntas regiæ majestatis, ut Sathanæ minister expellatur. Quod si vellet regiæ majestas, uno verbo perficere posset, ut nulla perfidia, sed una tantum fides esset in regno Poloniæ, et adjunctis illis terris, cum quidquid est extra unam fidem, non fides, sed perfidia sit, eam facile tolleret, si palam omnibus faceret se Christianum esse

¹ Epist. Hosii Epist. 106. pag. 253. — ² Epist. Hosii Epist. 90. pag. 235.

¹ Exat inter Hosii Epist. Epist. 401. pag. 248.

regem, et quicumque velit alterius esse fidei, nullos, ut ab illius majestate, vel honores, vel praefecturas, vel officia expectaret. Si semel hoc faceret majestas illius, jam ex malorum animis omnis esset subdita dubitatio, et intra paucos annos videremus in Polonia, et in Prussia, terram unius labii et eorundem sermonum. Uno ore glorificarem omnes Deum patrum nostrorum. Nunc Gedanenses, et Elbingenses aliud, et sibi, et aliis, de majestate ejus persuadent, quin et rumorem hunc spargunt, quod in proximis comitiis rejectura sit fidem Christianam, et illius loco perfidiam Augustanam receptura; ita fit, ut illius, in causa religionis mandatorum, ratio nulla prorsus habeatur, etc. ». Addit deinde, quod ex hoc ipso auctiores facti Elbingenses, gloriarentur, Jesuitis annuam tantum facultatem Evangelii Christi Elbingae concessam fuisse; et se velle jactarent, ejus anni exordium fieri, non a prima Dominica Adventus, sed ab eo tempore, quo primum Jesuita praedicare incipiens, lapidibus fuerat impetitus. Hincque insolentiorum factum haereticum ministrum alterum, Merlinum pseudoepiscopum Sambianensem, quem inter praecipuos *rigidos* Lutheranos supra recensimus, maledictis ac probris se lacessere minime veritum fuisse scribit; imo cuidam etiam auctorem extitisse asserit, ut de traditionibus ingens volumen conficeret, in quo vix ulla erat pagina, in qua plurimis eum conviciis non afficeret, illum sceleratum, illum impium, illum diabolicum, illum carnalem appellans; et in quodam praecipue loco his verbis usus fuerit: « Quid hic nunc dicit Stanislaus ille, non Osius, sed *ἀντίπλος πόννηρος* episcopus Warmienseis *der in der Belle*, si non convertatur, *wirdi in Ewigli cit warm bleiben?* » « Nescio quod (subdit Hosius ¹) in hunc bonum virum peccaverim, qui mihi linguis omnibus maledicit Graeca, Latina, Germanica. Sed facit hoc Merlini jussu, qui praefatus etiam in hunc librum, et ut eum edat hortatur. Sed haec ego risu prosequor magis, quam ut aliquam ex ea re molestiam capiam, eum ab haereticis vituperari, laudari sit. Datum Elispergæ, xxv Septembris MDCLVIII ».

135. Praeter legatos, etiam a tribus civitatibus una missis ², Gedanum alium ad regem misisse, scribit Ruggerius, ingenti pecuniarum vi munitum, qua plusquam ratione ac justitia, regis consiliariorumque animos expugnaret, ac in suam sententiam pertraheret. Et revera ingentibus pollicitationibus ad suos est reversus, ut scribit Hosius (a quo legatum hunc Cheseldium Burgimagistrum fuisse habemus), qui cum per tria cardinalis oppida proficiscens Gedanum rediret, gloriatus apud omnes fuerat, in aula accepisse quidquid optaverat; et ex animi sui

sententia apud regiam majestatem omnia concessisse.

136. Et revera, licet quae proposuimus Elbingensibus mandata fecisset rex, cum tamen non vere ex animo, sed potius Hosii importunitate victus, et vi quadam potius adductus, ea imperasse visus esset; ideo illa haeretici spernere ausi fuerunt. Quam regis in tuenda religione sive simulationem sive segnitiam, cum plurimum eidem obesse animadvertisset Hosius idem, de ipsa non semel conquestus erat, ut appareat (aliis omissis) ex praefata Epistola ad Wenceslaum regium medicum; nam, postquam illum hortatus est, ut in tuenda magis religione apud regem, quam in curando ipsius corpore se sollicitum exhiberet: « Quam omnino (subjungit) facturam existimo (dominationem tuam), ut de salute animae non paucioribus verbis agat, quam de salute corporis, quod etiam posterioribus litteris se fecisse declarat, et non raro satis ardentem fecisse dicitur proximus antecessor illius D. Petrus Posnanien. Quod scribit se responsum accepisse, paulatim amovendum esse, quem Burgimagister Elbingae episcopum creavit. VELLEM SCIRE, QUANDO VENIET ISTD *PAULATIM*; NUNC VIGESIMUS ANNUS AGITUR, QUO SUM EPISCOPUS RENUNTIATUS, ADHUC ISTD *PAULATIM* EXPECTO, NEC QUANDO SIT VENTURUM SCIO ». Et paulo post: « Hoc sciat regia majestas, quod una civitas duos episcopos non feret. Si minister ille Sathanæ non habuerit honorem hunc regiae majestati, qui per summum nefas constitutus est a burgimastro, ut ibi cedat imperanti, qui per majestatem regium nominatus est legitimus episcopus; burgimagistros non invitum honorem hunc habebit, ut ei cedat, non expectato regiae majestatis mandato. Sic enim existimabit aulam propterea velle alium tolerare, ut facite significet, quod cupiat a regia majestate nominatum cedere. Datum iv Julii MDCLVIII ».

Et in altera ad Stanislaum Crancovium, episcopum Vladislaviensem, vigesima quarta die Julii scripta, nempe post secunda a rege facta mandata; nec prima quidem regem ipsum fecisse, maluisse ostendit Hosius ³, quod forte ex ipsorum executione neglecta, contemptui ea exposita deprehendisset: « Sum adhuc (inquit) intra spem et metum. Duos ex pueris miseram, sub Maii mensis finem, unum postridie Pentecostes, alterum, quem non jussi diutius quam viginti quatuor horas expectare. Is reversus est absque mandatis, et unam aut alteram Epistolam attulit. Scripsit mihi quidam, quod, cum regem petivisset, responsum hoc tulerit: Non esse quidquam temere faciendum, nec repente ejciendum, sed paulatim inde amovendum, ne seditio aliqua oriatum. QUANDO VENTURUM SIT

¹ Hosii Epist. 90. 116. — ² Ex Archiv. card. Alexandrin.

³ Epist. Hosii Epistol. 104. pag. 151.

ISTUD PAULATIM, NESCO. Sed maluissem, prius illud mandatum de superintendente ejiciendo non fuisse missum ».

137. *Elbingensium querelæ ab Hosio diluuntur.* — Burgimagistrorum vero in hæretica pravitate perfidia, tribuere potissimum consuevit Hosius, et quod mandatis regiis minime paretur¹, et quod Catholica religioni tam acriter Elbingenses adversarentur; ut tam, ex eadem Epistola, quam ex aliis agnoscitur, in quibus passim in eorum temeritatem invehitur, eoque pervenisse illorum insolentiam queritur (utpote qui se pro papistis in religionis rebus gerere consuevissent), ut eam non Christiani modo, verum nec ipsi Lutherani ferre possent. Qui tamen, juxta illud Ezechielis², dederat Deus Hosii faciem valentiorum faciebis eorum, et frontem ejus duriorum frontibus illorum, et ut adamantem et silicem faciem ejus dederat; ideo, vel invitum, vi cedere tandem fuere compulsi, cum, licet sero, vel rex tandem agnovisset, incassum usque adhuc vulnere quod computruerat leniora remedia adhibuisse; aut in posterum se adhibiturum, vel saltem in gravem regis suæ auctoritatis offensam verti, qui ipsius circa religionem spreta mandata. Rorsus igitur ad illos (et quidem Hosii precibus, ut ex Actis Elbingensibus infra apponendis apparebit) commissarios misit, qui regiis mandatis obedire compellerent, ut apparet ex ipsius Hosii Epistola³, sub die vigesima octava Octobris hujus anni, scripta ad Lucam Podoskium Cracoviensem canonicum, et apud Cæsarem Poloniae regis oratorem, in qua hæc dicit: « Quod ad meos hædos Elbingenses attinet, missi sunt iterum ad eos commissarii regii ». Additque: « Fuerunt ibi per duas hebdomadas, de religione verbum, ut audio, nullum. Compertum est autem, quod qui noluerunt esse papistæ, etiam registæ esse desiderunt. Itaque duo consules moti sunt, et dies illis coram regia majestate dictus est ». Sic ille. Verum ex alia ejusdem Epistola ad Andræam Patritium, regium secretarium, satis compertum est; commissariis in mandatis datum, ut regis quidem jura acriter, in iis autem quæ ad religionem spectabant remissius agerent, ne tumultus cicerent. Quam indignitatem Hosius æquo animo ferre non valens, ut videre est ex ipsa Epistola, aulicam eam prudentiam pluribus detestatus est, utpote quæ omnia perverteret; et mortalium veritus neminem, se quidquid potuisset facturum significavit, nisi Christus in subditorum suorum cordibus resurgere faceret.

138. At in Elbingensi civitate, magnus ex burginagistris amotis exortus tumultus, cum Elbingenses, non culpam in Deum, cardinalem et regem commissam, sed penam duntaxat

considerantes, imparem nimis eam meritis censerent; hinc coram Hosio denuo alia fuere coacta comitia, in quibus graves fuerunt querimoniarum, quod nova fierent omnia; quod nulla jurium, privilegiorum, libertatum, quæ erant eorum terris concessæ ratio duceretur; quod plura constituta fuissent in consiliis, non adhibitis eorum consiliariis: nuper etiam, nova quadam et insolita forma, commissarios fuisse missos, qui nullo servato legitimo processu, duos suos burginagistros loco suo movissent. Magna demum contentione a cardinali postularent, quod memor ejus personæ, quam gerebat, jurium, privilegiorum et libertatum suarum defensionem apud regiam majestatem, una cum aliis harum terrarum senatoribus susciperet, sequæ murum pro illis opponeret, eorum exemplo, qui locum hunc antea tenuerant. Proficisceretur ad regni comitia, modis omnibus contenderet et elaboraret, ut ea, quæ per commissarios decreta fuerant, in loca sua Burginagistris restitutis, antiquarentur, et irrita redderentur, ac in posterum etiam, ne quid in eos novi decerneretur, provideret.

Quid ad hæc Hosius¹? « Ego vero (inquit) omnem novationem suspectam semper habui: etsi qui sunt, qui ab omni in republica novatione abhorrent, inter eos ego quoque nomen meum profiteor. Sed quis primus novationum auctor in his terris exiit? Nonne vos? (duarum autem civitatum, præter Elbingenses, Gedanensis nempe et Torunensis burginagistros appellabat), qui veteri religione Christiana repudiata, antiquis et usu receptis Ecclesiæ ritibus reprobatis, novas in Prussiae civitatibus religionum formulas, novos ritus introduxistis, et nova fecistis omnia? A vobis igitur novandarum rerum factum est initium. Voluistis vobis licere novas religionum formulas condere, veteribus abrogatis; miror, quod non vultis regi et domino vestro licere, nova jura, nova privilegia in provinciam introducere, veteribus abrogatis. Cum olim ab illius majestate peteretis, ut vobis usum Augustanæ Confessionis permitteret, nonne Pontificiam illi auctoritatem, et plus etiam quam Pontificiam visi estis attribuere? Nunc, cum regia sua potestate in politicis rebus administrandis et decernendis uti vult, eam illi ereptam cupitis? Voluistis vobis quoque licere, pontifices esse: et universæ religionis sanctitate violata, novarum religionum impunitas conservare; et non vultis, ut rex regiam suam potestatem exerceat, et leges politicas arbitrato suo, aut scribat, aut inducat? Servate vos jura, et privilegia Christi et ejus Ecclesiæ: servabit rex jura quoque vestra et ejus provinciarum ».

¹ Acta Elbingen. anno 1568. Inter Hosii opera pagin. 174. — Resc. Vit. card. Hosii cap. 30.

² Ibid. ut supra. — ³ Ezechiel 3. n. 8. — ³ Pag. 151. Epist. 108.

Ad id autem, quod contra privilegia illorum queritarentur factum, ut non communicato eorum senatoribus consilio, pleraque constituta fuissent: « A quoniam edocta hoc fecit (inquit ¹) regia majestas, præterquam a burgimāgistris? Multo graviora sum passus, et adhuc patior a burgimāgistris Elbingensibus, qui me dignitate mea episcopali deturbarunt, altare contra altare crexerunt, cathedram contra cathedram constituerunt, et alium sibi *Superintendentem* elegerunt qui publice Christum blasphemaret, et quod lingua dicere, quod etiam aures horrent audire, Diaboli nomen illi tribuit. Hæc ego ferre cogor et fero, quandoquidem prohibere non possum; hic neque pro episcopo neque presidente agnoscor; et ubi leviora committuntur, ubi de politicis tantum rebus agitur, ibi voluit, ut presidentis munere fungar, ut pro iuribus, privilegiis et libertatibus harum terrarum pugnem, et nullius offensionem reformidem, dum ea sarta tecta conservari queant: quin prius mihi, quæ non magis mea, quam ipsius Dei jura et privilegia sunt, Burgimāgistri mea jura, mea privilegia, meas Ecclesias, quas per summam injuriam occupaverunt, restituant; et ita demum, postquam id fecerint, a me quod est munus presidentis exigant.

« Quod, nullo servato legitimo processu, D. commissarios regie majestatis fecisse dicitur, duos ut burgimāgistros loco suo moverent, quemadmodum vere possit affirmari, non video. Constat enim quod fuerunt citati, fuit illis facta causæ dicendæ potestas, fuit actor, fuit reus, et cum audita fuisset utraque pars, sententia per iudices lata est. At ego, quando fui citatus? Quando mihi fuit facta causæ per me dicendæ potestas? Quis fuit accusator? Quis iudex? Nihilominus, quemadmodum duarum aliarum civitatum episcopi, sic et ego, de cathedra mea per burgimāgistros dejectus, et episcopatu meo sum spoliatus, et omnia templa per summam injuriam ab illis occupata sunt. Miseram viros pios et doctos, qui purum Dei verbum in regis Christiani, Catholici et orthodoxi civitate, quæ meæ jurisdictionis est Ecclesiasticæ, prædicarent, et Christiano ritu Christum colerent; non sunt admissi, vel extra mœnia saltem civitatis, ut mandato sibi munere pro me fungi possent, quin lapidibus petiti, ac modo non interfecti sunt. Quid facerem? Regiæ majestatis fidem imploravi, ne pateretur Christianus rex in sua civitate prohiberi; petivi, quod in suis civitatibus, quamlibet a Christo sit alienus, etiam immanis Turcarum tyrannus liberum permittit. Fecit majestas regia, quod erat Catholici regis officium. Misit commissarios suos, per quos mandavit, ut magistratus Evangelii cursum impedire ne pateretur, sed qui forent ad id prædicandum a me, tan-

quam legitimo episcopo missi, mandatum sibi munus exequi permitterent, ac serio providerent ne quis eos violare, salvo conductu majestatis illius munitos, auderet. Ac fuit mihi quidem parochialis Ecclesia restituta, sed quod ad sanctos illos patres a me missos attingit, non major est regie majestatis, quam episcopalis dignitatis habita ratio. Petebantur illi nihilominus grandioribus eliam saxis, et frustra contra sacrilegos homines magistratus fides implorabatur; quin quanto magis regia majestas illorum qui missi sunt a me, securitati prospicere conabatur, tanto magis levissimorum hominum contra eos impetus fiebat, tanto gravioribus eorum injuriis erant obnoxii.

« Mandaverat regia majestas, ut eiceretur ex urbe seditiosus ille et blasphemus minister. Contra burgimāgistri, quasi in despectum regie majestatis: Pellantur, aiebant, polius Jesuitæ. Res est admiratione digna, rebus etiam ipsis nomina commutata vidimus; nam qui subinde superiori de loco detonabant in papistas, in quibus regia quoque majestas nomen profitebatur suum, in cardinales, episcopos, qui Christum etiam ipsum probris, conviciis et maledictis afficiebant; deinde qui lapides in pios homines, pueros verbi Dei ministros jaciebant, audiebant pacifici: qui vero neminem vel verbo læserant unquam, qui saxis a saxeis hominibus petebantur, seditiosi vocabantur.

« Ego nihilominus, et audire cogor et ferre. Interea, qui mutus ut sim in Christi causa cupiunt, idem illi, posteaquam aliquid in rebus politicis novari cœptum est, nescio quos clamores excitare me volunt, contra potestatem a Deo constitutam, quæ si mihi foret offendenda, mallem in Christi causa quam in alia quæpiam offendere. Quamobrem cum Elbingenses burgimāgistri de gradu meo me dejecterint; cum, quæ proprie spectant ad munus meum, ea sibi præfer fas et æquum arrogaverint; cum eorum quisque majorem sibi sumat auctoritatem, et minus tolerabilem, minus etiam excusabilem potestatem, quam papa Romanus unquam: ab illis nunc exigite, non a me, presidentis ut munere fungantur, ut ad regni comitia proficiantur; ut in eis jura, privilegia, libertates harum terrarum tueantur: ego vero quando ferre cogor multo graviora, feram et hæc leviora, quo possum animo ».

139. Cum plura in hanc sententiam cardinalis effatus fuisset in suam excusationem, obsequenti, saltem in speciem, animo ac sermone Elbingenses, alique qui comitiis intererant, multa protulere. At, cum sermo incidisset de Confessione Augustana, cujus professionem sibi a rege permissam acriter contendebant, et eam sibi magis licere, quesitis aliunde etiam exemplis comprobarent, cum eo fere tempore de ipsa recipienda in Austriæ proxime adjacente

¹ Ibid. ut supra.

provincia, ut diximus, ageretur; fuit qui dixit Cæsaream majestatem Augustanam Confessionem in suis terris jam recepisse ac approbasse. Verum cardinalis respondit, expectare se elaudum nuntium, qui esset melius et melius novum allaturum; quod etiam, statim ut absoluta sunt comitia (ut scribit Rescius, vel quisquis extitit Actorum Elbingensium scriptor), per Dei gratiam factum est. Addidit autem et hæc cardinalis: Si maxime verum fuisset, quod a Cæsarea majestate factum videbatur, dissimulare se nolle, quod regiae majestati suasisset, quin et deinceps se etiam suasurum, si, quod pro sua misericordia procul Deus averteret, semel deliberatum habuisset, politicum agere pontificem, et res ad pastorum officia pertinentes ad se raptare; ut saltem regni terrarumque suarum tranquillitati prospiceret, ne suis hominibus Augustanam Confessionem permitteret, sed aliquam aliam in Polonia scribere faceret, vel, si id magis visum fuisset, jam scriptam Gregorianam illis concederet: ut ita, non ad imperium, sed ad Poloniae regnum eas terras pertinere comprobaret; cum Poloniam potius quam Germaniam fidem amplexæ visæ essent; quia potestas majestas illius, uti Augustanam, sic Gregorianam concedere potuisset; nec ita multum referret, cum perinde futurum esset, ac si cui in littore, an in mediis maris fluctibus mergi contingeret. Cumque quidam dicere auderet Confessionem Augustanam perpetuo duraturam, quod mortaliolum nullus haecenus repertus esset qui eam refellere potuisset: cui dicit hæc? Cardinalis respondit: Mirum nisi ille, qui nihil præter Lutheri postillam, et alia quædam ejus opuscula legit, et Philippi Melancthonis locos communes. At mihi plus minus decem videre licuit, inter quos aliqui fuerunt excellenti doctrina præditi, qui sic eam confutarunt, ut nullus Confessionistarum adhuc inventus fuerit, qui vel mutire contra potuerit.

Dixit autem quidam se mirari, quod cardinalis omnia conferret in burgimagistris, cum tamen quo tempore regia majestas Gedanum præcipue venerat, præsens adfuerit, et quid universus populus ab ea petiverit, acribus ipse suis audiverit, adeo, ut burgimagistris solis, quod ab omni populo fuerat postulatum, tribui recte non posset. Respondit cardinalis: Audivi cum peteret, sartores, sutores, zonarii, bajuli, figuli, et ejusdem farinae alii, purum Dei verbum et legitimum sacramentorum usum a regia majestate sibi concedi. Quibus etiam eachinnis excepta fuerit a multis hæc eorum petitio, vidi. Num autem penes hanc faciem, tantis de rebus, de puritate verbi Dei, deque legitimo Sacramentorum usu judicium esse debet? Num statim assensum præbere magistratum oportet, si quid parum pudenter et prudenter a minus prudentibus fuerit postulatum? Num fas fuit burgima-

gistris, ut, solis terrarum harum consiliariis exclusis, in rebus tam arduis a regia majestate fieri novationem impetrarent? Quod autem in vulgum conferunt quomodo res agantur, obscurum adeo non est. Si vellent burgimagistri, facile vulgum in officio continere valerent ».

140. Hujusmodi fere sermonibus dies ille consumptus fuit. Postero vero die, cum iterum vehementius institissent, ut cardinalis ad comitia regni proficisceretur, et admoneretur promissi sui, quod in proximis Marieburgensibus comitiis id se facturum recepisset; respondit tenere se memoria, quid promiserit, et qua conditione promiserit, neque nunc recusare, quominus promissum præstaret. Nam, et visendæ regiae majestatis, domini ac benefactoris sui, se desiderio teneri, neque se ferre posse diutius, ut quod sui muneris esse sciret, a se requiri pateretur. Sed cum esset episcopus, quæ proprie spectarent ad episcopum, in primis ea sibi curæ futura: qua summa potuisset animi submissione se petiturum, ut non magis quæ factæ fuissent in republica, quam factæ in religione novationes, a regia majestate tollerentur. Nam non esse personæ suæ, de juribus humanis magis esse sollicitum quam de divinis; et magis de fortunarum quam de animarum salute laborare suum esse.

141. Postulate ab eis fuere etiam commendatitiæ litteræ pro Elbingensibus burgimagistris, ut loca sua quibus moti fuerant recuperare valerent. At ille respondit, se nulla ratione assentiri posse, ut ejusmodi litteræ darentur. Nam, cum ipse petiisset, quamvis aliis de causis, Elbingam commissarios mitti; qua fronte nunc poterat a regia petere majestatem, ut, quæ per eos recte fuerant constituta rescinderet? cum præsertim videret, quod per Dei gratiam, quietiora jam in illa civitate erant omnia, duobus illis amotis? Post varia tandem super hoc colloquia et disputationes, dictum est ei congregatorum partem majorem statuisse, commendatitias hujusmodi litteras dari debere. Tum cardinalis: Quominus (inquit) quod majori parte videtur, id fiat, impedire nolo; sed tamen hoc testatum faciam, ubi locus fuerit, quod ut hæc litteræ commendatitiæ scriberentur, assensus nunquam fuerim. Tandem regio nuntio absoluta, cardinalis discessit. A prandio vero, cum in prætorio cardinalis non adesset, litteræ quibus Elbingensium burgimagistrorum causa commendabatur, obsignatæ fuerunt etc. Ista ex Actis Elbingensibus. Additur, et in ipsis alia quædam, et quidem hoc ipso tempore iisdemque comitiis mota inter Elbingenses, et cardinalem quæstio: de bonis, nimium, quæ moriens reliquerat nobilis quidam Albertus Lusianus, ipsius Hosi cardinalis subditus. Lis namque inter relictam viduam ac defuncti agitabatur sorores. Cum enim ad judicium venissent, visum fuerat cardinali, quandoqui-

dem inter propinquos res agebatur, ut amice potius inter se transigerent. Dati igitur fuere arbitri, quos ipsæ sibi dari partes petiere, quorum opera amice res composita fuit. Petita est deinde a cardinali concordie factæ confirmatio, cui libenter assensus est ipse; verum cum in calce litterarum confirmationis scribi mandasset, ut quicumque bonorum possessionem, quæ sita erant in Ecclesiæ terris adire voluisset, non aliam quam Catholicam fidem profiteri teneretur: hinc vehemens inter cardinalem ipsum ac doctorem Rhodum, qui ex parte sororum Lusiani fuerat, est exorta ob eam clausulam contentio, ut fusc in allatis Actis videre est.

142. *Hosius frustra contendit ut ministri hæretici Elbinga ejiciantur.* — Cum autem in iisdem dicatur, amotis a regis commissariis burgimagistris, quietiores tranquillioresque Elbingensium res evasisse: censendum procul dubio videretur, quod una cum illis, loco suo pulsus, ex urbe tandem facessere etiam Sebastianus seditioum auctor compulsus fuerit. At oppositum deprehendi posse cognoscitur, ex præfata Epistola¹ ad Andream Patritium, regium secretarium die octava Decembris hujus anni scripta, ex quo plane intelligitur, Elbinga minime ministrum Sathanae ejectum fuisse, nil contra eum prævalente Hosii tum auctoritate, tum zelo, licet longe ante burgimagistri munere suo delurbati fuissent. Frustra etiam contendisse Hosium, Merlinum pseudoepiscopum Sabinensem ejeci, ex illius insuper Epistola² ad Stanislaum episcopum Cujaviensem habetur.

143. *Hosio ad comitia Lublinsensia proficiscenti ingentes offeruntur commensus.* — Cum vero a cardinali (inquit Rescius)³ nihilominus obtinuissent terrarum Prussiæ consiliarii, ut ad comitia regni Lublinsensia proficisceretur, et ibi jura et libertates provinciae, auctoritate illa sua, salva semper Catholicae religionis incolunitate, defenderet, nec haberet ipse, unde tantos sumptus faceret: communicato cum venerabili capitulo Ecclesiæ suæ Varmiensis consilio, ab ejus Ecclesiæ subditis petivit, ut ex suis angustiis, quantum sine incommodo rationum suarum præstare possent, præsentem suam necessitatem sublevarent. At illi omnes, animi et imperii plane moderati memores, sine ulla tergiversatione aliquot millia se collaturos receperunt, ut ne a tam necessaria et patriæ salutari profectio desisteret. Egil gratias subditis suis Hosius pro tanto studio, et egregia significatione amoris, quam re ipsa comprobare conabantur: sed se tantis sumptibus, quantos illi offerebant, minime indigere respondi: cum nihil unquam magis sibi fugiendum existimaverit, quam ne cuiquam mortalium esset oneri. Longe minore

summa se contentum esse velle, imo etiam, et hoc promittere quidquid ex ea pecunia, postquam reversus ex eis comitiis fuisset, superfluerit, quod viritum id in singula vicissim capita distribuere. Egerunt vicissim Hosio subditi ejus gratias, quod tam benigne secum ageret, et illam animi moderationem pecuniaeque contemptum vehementer admirati, Domino gratias egerunt, quod talis illis episcopus contigisset, qui subditos magis quam pecuniam amaret. Haectenus ex Rescio. Quæ fecerit autem in Lublinsibus comitiis, sequenti anno dicenda erunt.

144. *Calvinistæ Hosium calumniis impetunt.* — Interim cum tam acre bellum cum Lutheranis committeret Hosius, Calvinistæ eum frustra impetere ex eo connixi sunt, quod præteritis annis, ut suo loco retulimus, toto Poloniae regno Trideistas ac Anabaptistas minime pellendos edixerat (ut ipsi totis viribus contendebant); nisi una cum eis simul Calvinistæ ipsi, Lutherani, ac sectarii cæteri ejicerentur; cujus sententia, tum rex, tum alii adhaerant. Præter eam igitur, quam prædiximus, Sandomiriæ, ad Orthodoxorum terrorem, quamdam cum Lutheranis simulatam concordiam, et cum iisdem Trideistis, summo conatu curatam frustra reconciliationem, acerbissimo insuper in Hosium ipsum accensi odio Calvinistæ, maledictis ac conviciis illum impetere, pro more aggressi sunt. Inter eos vero præcipuus perditionis filius, et auctor Theodorus Beza, cardinali per calumniam crimen impingere est ausus, quod regem ab hæreticorum insurrectione averterit, in libro, quem de Joannis Valentini Gentilis hæretici Trideistæ seu Ariani supplicio hoc tempore conscripsit. Ille enim (ut supra non semel diximus), cum articulos quosdam disputandos in publicis locis affigi fecisset, postquam a rege Sigismundo Augusto tota Polonia fuerat eliminatus, et apud Helvetios se recepisset; primum in carcerem conjectus, nec ita multo post, Bernæ capitis pœna affectus fuerat. Quod judicium adeo probavit Beza, ut peculiarem de Gentili eidem illata morte, quem diximus, libellum exaravit, in quo, a proposito hæreticos insectandi Poloniae regem deterriunt ab Hosio scribit; non quod, vel Hosius ejusmodi consilium unquam dederit, vel hæreticos hæreticos puniendos esse statuere voluerit; sed quod per regem ipsum, cæteris hæreticis e Poloniae regno aut expulsis aut pœnis vexatis, unus ipse suam in eodem regno hæresim tantum superesse exoptasset; et ea quidem prorsus mente, qua diu antea hæresiarcha alius Nestorius, ut Vincentius Lerinensis⁴ observat: « Ut uni hæresis suæ aditum patefaceret, cunctarum hæresum blasphemias insectabatur ». Rem narrat cardinalis idem in

¹ Ibid. ut supra. — ² Hosii Epist. 100. — ³ Ibid. ut supra.

⁴ Vincent. Lerien. adver. hæres.

Epistola ¹ ad Stanislaum Karnkoukii Cujaviensem episcopum, his verbis :

« Cæterum, illud silentio præterire non possum, quod missus est mihi libellus quidam de supplicio Gentilis. Pluribus verbis præfatur in eo pater ille, scilicet sanctus Theodorus Beza, quo nihil ætas nostra vidit impurius. Inter alia nota me, quod ego majestatem regiam, de coercendis blasphemis cogitantem, a rectis consiliis pro viribus avocare sim conatus : quod mihi falso tribuit. Nunquam enim id a me factum est; quin auctor fui regis majestati ipsius, ut omnium hæreticorum ex æquo, non autem unius vel alterius sectæ, blasphemias coerceret. Metuebam enim, si tantum una vel altera secta profliganda foret, ne tanto plus virium reliquis accederet, et earum tolerantio, speciem tacite eusdem approbationis habere videretur. Quamobrem satius fore ducebam, si minus profligari possent omnes, ut ferrentur omnes, quo mordentes et comedentes invicem consumerentur ab invicem. Scitum enim est illud, quod bellum hæreticorum, pax est Ecclesiæ. Quanto magis autem hæreticis displicere consilium hoc meum intelligo, tanto minus illius me poenitet. Quamobrem in ea sententia sum adhuc, ut prius coercerentur blasphemie Lutheristarum et Calvinistarum : deinde qui sunt ex illis prognati, seque dociles eorum discipulos præstiterunt ». Et paucis interjectis :

« Hortatur fax illa seditionis, Theodorus Beza, majestatem regiam, et obtestatur, ut coereat blasphemias istas Trideistarum et Anabaptistarum : monet idem, et principem Transylvanum, et regni proceres, et nescio quos Treccios, Lascios, Sarnicios quos pastores vocat, ut in curam hanc toto, et aiunt, pectore incumbant, quibus etiam scribit se submittere Synagogistas : in quos ego primum exemplum aliquod edi vellem a majestate regia. Neque satis mirari possum, quod Lutheristas et Calvinistas jam hæreticos minime judicari video, sed solos Trideistas et Anabaptistas. Datum Heilspergæ, xxiv Februarii MDLXVIII ».

Eadem fere scripsit ² ad Stanislaum Carnovium, episcopum Wladislaviensem, duabus ad eum datis Epistolis, quæ in ordine earum a Rescio collectarum centesimum quartum et centesimum quintum numerum obtinent, ac in iis vehementer queritur, non quod de se præfata oblocutus fuerit Beza, sed quod impune Beza ipse Synagogistas suos in Poloniam miserit; in quos si rex (inquit) statuisset, qualia facta fuerant de Serveto Genevæ vel Bernæ de Gentili, sempiternam nomini suo laudem comparasset.

145. *De immunitate Ecclesiastica in Polonia Diploma regium.* — Sed quamvis id totum obti-

nere a rege minime potuerit Hosius (quod forte temporum conditio prohiberet), impii tamen Synagogistæ, ac nefarius Beza libellus, non tantum Calvinistis nil attulit utilitatis, quinimo justa ira ex his rex accensus, in eos ac una alios depravatæ doctrinæ præcones, auctores et libros invexerit, ac toto regno stricte prohibuerit ac expelli mandaverit; non modo ac Hosio ac episcopis cæteris quid detrahendum existimaverit; quin potius eorum auctoritatem ac jus, temporum iniquitate non parum labefactatum, in communem Catholicæ religionis utilitatem, augendam ac corroborandam, Pontifice monente, censuerit, regio edito suo Diplomate, quod ex proprio excerptum originali, hic duximus inserendum. Scripserat autem hac de re Pontifex ad regem ejusmodi Epistolas :

« Charissimo in Christo filio nostro, Sigismundo Augusto, regi Poloniæ illustri ¹.

« Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Cum audiamus in regno tuo Ecclesiasticam libertatem multis modis lædi atque imminui; certum quidem habemus id contra voluntatem tuæ majestatis admitti : sed si diutius talia dissimulentur, hominum improborum licentiam in dies longius progressuram esse videmus. Itaque majestatem tuam, pro commisso nobis officio, et paterno erga ipsam amore, hortandam in Domino et excitandam ac rogandam duximus, ne patiatur talem temeritatem crescere, sed cum animæ, tum existimationi suæ diligentius consulat. Omnia quidem sua jura servanda sunt, sed ab Ecclesiis præcipue Ecclesiasticisque personis prohibendæ sunt injuriæ ac propulsandæ, cum eæ vel maxime ad Dei et Salvatoris nostri injuriam contumeliamque redundent, ac furorem ejus provocent. Semper Catholici ac sapientes reges ac principes clericis, propter divini nominis gloriam, patrocinium præstare consueverunt; et pro Ecclesiastica libertate, se, tanquam murum opponere; qui vero eam opprimi patiuntur, sero postea quam id sibi et suis rebus perniciosum fuerit, sentiunt. Si non hæresus pestilentia per regnum tuum diffusa esset, hæc hæresus origo, hoc violandæ religionis initium futurum fuit. Potes etiam nunc, charissime fili, potes reprimere tales audacias, et hujusmodi licentias improbis eripere. Nondum adeo hæreticorum sectæ creverunt, quin multo major pars populorum regni tui in officio maneat. Utere modo potestate tibi a Deo data, et cleri ac sponsæ ejus Ecclesiæ causam audacter suscipe ac tuere. Minus quam forsitan metuas audebunt, ubi regem pro clero et Ecclesiis stare videbunt. Magna est regis auctoritas, magna celsitudinis regis observantia. Non contentetur rex nisi mira patientia sua, se contentum ac despici sinat. Nec est fere quisquam

¹ Epist. Hosii Epist. 100, pag. 247. — ² Epistol. Hosii. Epist. 104, pag. 250. Epist. 105, pag. 252.

¹ Ex Archiv. Vatican.

tam malus, qui non regis gratiam malit cum securitate, quam iram et offensionem ejus cum periculo. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vii Maii MDLXVIII, Pontificatus nostri anno tertio ».

Regium porro Diploma ¹, hujusmodi fuit :

« Sigismundus Augustus, Dei gratia rex Poloniæ, dux Lithuanicæ, Russiæ, Prussicæ, Marescovicæ, Samogitiarum etc. dominus et hæres.

« Significamus presentibus litteris nostris, quorum interest, universis, quod, et si omnem reipublicam, quam modo firmam atque diuturnam esse cupiamus, legibus in primis devinci oporteat, quod ea sine legibus, multorum libidini et potentia exposita ad exiguum modo tempus duratura esse videatur : tamen illud profecto, ex experientia ipsa assidue discimus, ipsius quoque leges, sine quibus respublica diu salva esse non potest, disciplina necessario esse vincendas : quod sensim siquidem, omnis legum vis et oratio primum languescere, tum arescere, extremum denique emori prorsus videatur et interire. Ita sane, ut quemadmodum leges nervi sunt reipublicæ, ita disciplinam legum ipsarum nervum merito possumus appellare. Esse igitur diligentis et ad omnem reipublicæ mutationem attenti magistratus judicandum est, non solum leges ipsas ferre, non solum litteris et libris consignari, non solum, aut obscuras illustrare, aut discrepantes conciliare, aut anceps interpretari, aut nutantes denique et vacillantes, multa capitis vigilantia sarciri : sed etiam, idque multo magis latas jam et consignatas, et illustratas, et conciliatas, et interpretatione explicatas, et sanctione sacratas, nervo disciplinæ obfirmare casque tueri, ut, si forte unquam effluere et dilabi cœperint, disciplina ipsa, quæ et custos, et ut diximus, nervus illarum est, adstringantur. Atque hæc quidem ita se habent. Verum nos sane hanc tam sanctam et tam necessariam rem, disciplinam, cum in omnibus propemodum reipublicæ regni nostri partibus amissam esse et extinctam, cum magno dolore nostro videamus ; et reparandam profecto ac instaurandam, illum, ab iis rebus potissimum, quæ ad Summi Dei nostri religionem, et ad vitæ atque morum integritatem pertinent, initium sumi debere existimamus. Sic quidem, ut qui in hoc excelso solio regio divinitus sumus collocati, illud propemodum ante omnia præstare debeamus, ne in vita ac moribus subditorum nostrorum aliquid publicè appareat, quod vel sanctissimæ religionis nostræ Catholicæ instituta convellere, vel nomini atque professioni nostræ Christianæ, probro atque dedecori esse ; vel denique si quid contra admissum fuerit, id incastigatum prorsus atque impunitum permanere videatur. Itaque, cum canonibus

quidem Apostolicis, moribusque adeo et institutis nostris Christianis sancta mater Ecclesia, episcopos potissimum earum rerum posuerit inspectores, qui gregem Domini sibi commissum ita curent, ut supremo illi judici vivorum et mortuorum rationem redditori : cumque ii, ad executionem munerum et functionum suarum, nostræ in primis regie potestatis et auctoritatis adminiculis, his præsertim deploratis temporibus, opus habere videantur ; nos præclara admodum divorum majorum nostrorum vestigia imitati, quorum in episcopos et universum Ecclesiasticum Ordinem propensio semper extitit singularis : presentibus litteris, ex certo et proprio mandato nostro conscriptis, serio et omnino habere volentes, præcipimus et mandamus, ut omnes magistratus sæculares in regno nostro nobis inferiores, prædictos reverendos dominos episcopos, in primisque adeo Sanctæ Sedis Apostolicæ legatos, pro tempore existentes, in officis et muneribus eorum, quæ potissimum ad vineam Domini a manifestis vitis et sceleribus repurgandam pertinebunt, non modo ne impediant, nec ipsos, nec eorum curias seu executores respective, sed etiam, ab eis moniti et requisiti, auxilium et favorem suum ipsis præsent, manique et brachio, quod vocant, nostro assistant, tam in investigandis quam in capiendis, ubi opus est, et puniendis flagitiosis hominibus, qui illorum subsumunt jurisdictioni. In quos quidem omnes, plenum jus illis, plenamque potestatem, qualem unquam optimis illis divorum majorum nostrorum temporibus habuisse memorantur, nunc etiam relinquimus ; nec illos unquam in ejusmodi jurisdictione illorum, seu per nos sive per alios quoscumque impedire permittimus, quo minus possint, nunc item, ut olim, in clericorum omnium, etiam, si opus fuerit, Regularium, vitam et mores inquirere, delinquentes castigare, temerarios coercere, omnes intra suas ejusque officii metas continere, idque auxilio, ut diximus, quorumcumque magistratum nostrorum. Quibus ipsis præterea magistratibus nostris severe admodum præcipimus et mandamus, pro gratia nostra, et sub pœna contrafacientibus quinque millium florenorum proposita, ac fisco nostro applicanda, ut decreta nostra, tam illud, quod est *de Libris Hæreticis* non imprimendis nec vendendis intra ditiones nostras, quam etiam, quod est de exteris et peregrinis ex regno nostro exterminandis, Warschoviæ anno MDLXII, die sexta Augusti latum, cum ipsius declaratione, modis omnibus tueantur. Reverendisque dominis episcopis executionem eorum urgentibus, præsto sint officio et auctoritate sua. Nos enim ipsi quoque in ejusmodi rebus libenter ipsis omni officio et auctoritate aderimus, brachiumque nostrum regium illis impartiemur ; ut ita conjunctis viribus, facilius etiam vepres extirpentur, quæ

¹ Ex archiv. cardinalis Aresta.

interea in vinca Domini eorum negligentia, quicquam excolere debuerunt, succreverunt. Mandantes, et sub eadem poena, ut supra applicanda, quod in omnem casum supradictum repurgationis seu delictorum, quo, tam ipsi episcopi quam legatus Summi Pontificis uti voluerint, vel usi fuerint, eorum curia et famulatio ordinario, ut qui non virtutis amore, saltem formidine poenae terreantur et coerceantur; illos nec eorum quoslibet, prout ad eorum et cujuslibet eorum jurisdictionem pertinuerit, audeant in aliquo impedire, sed illis et cuilibet eorum auxilium brachii saecularis, ad omnem requisitionem concedere; cum intentio nostra sit quod, in omnibus supradictis, libere possint omnia munia et officia sua exercere, sine aliquo obstaculo, vel impedimento, sub quovis praetextu vel causa; et quod in omnibus supradictis ad laudem et gloriam Dei et incrementum religionis, sollicita et diligenti cura possint libere, licite et sine aliqua molestia se exercere et tueri; et decreta nostra, ut supra, et officia sua debite executioni demandare, tam eorum curiae et famulatiis, quam brachii saecularis invocatione, ut supra, omni meliori modo. In cuius rei fidem et testimonium, manu nostra subscripsimus, et sigillum nostrum praesentibus apponi iussimus. Datum Warschoviae, die xx mensis Octobris, anno Domini MDLXVIII, regni vero nostri trigesimo nono.

« Sigismundus Augustus, rex etc. »

146. *Wladislaviensis episcopi zelus.* — Nec parum, tum ex aliis, tum ex benigna hac in Catholicam religionem regii animi significatione (exilia licet haec viderentur cardinalis Hosii ferventissimo zelo,) religio ipsa, etiam ante editum hoc regium Diploma, profecerat; nam felici confederatione juncti utrique gladii, temporalis, nempe regis, ac spiritualis episcoporum, fidei hostes mire divexaverat; ut testatur Rugerius, apud eundem Poloniae regem tunc Apostolicæ Sedis nuntius, in Epistola ad cardinalem Alexandrinum ¹, sub die vigesima Aprilis hujus anni; nam de nuper electo a Pio in episcopum Wladislaviensem Stanislao Carnovio verba faciens, ab eo se accepisse ², ad duo haereticorum millia, quæ e Belgio transfugæ, se illuc, ea episcopali sede vacante, receperant, ibique sedem figere statuerant, ipsum dimisisse asserit; imo quod Fricium quemdam haereticum, jubente Pontifice, licet plurimo haereticorum praesidio ac patrocinio munitum, toto episcopatu suo facessere coegerat. Et insuper, ut a praefata ejusdem Rugerii Epistola discimus, diocesanam Synodum habuit, in qua praecipua quatuor decreta fuerunt. Primum, professio fidei. Secundum, sanctæ Apostolicæ Sedi obedientia. Tertium seminarii fundatio, cui construendo episcopus ex episcopali sua mensa annuos sex-

centos florenos, et abbates ac propositi regulares quadringentos attribuerunt; et quartum demum, ut quatuor commissarii judices delecti fuerint, quibus causalem ad Apostolicam Sedem pertinentium cognitio demandaretur. Quod ipsum fere confirmat episcopus ipse ad Pontificem in hunc modum scribens ³:

« Beatissime pater.

« Post oscula pedum Sanctitatis vestrae, et humillimam devotionem subjectionemque meam. Magna hæc est dignitas Sanctitatis vestrae, quæ me indignum et minimum sacerdotem, ex alto culmine dignitatis respexerit, et in partem sollicitudinis Ecclesiae periclitantis, in diocesi Wladislaviensi ad munus episcopale, nullis meis meritis, vocaverit confirmarique; ex quo intelligo, quid ea de me sentiat. Sane iudicium hoc gravissimum, et maximum Sanctitatis vestrae de me, praepone omnibus honoribus et sedibus, ac divitiis nihil esse duco in comparatione illius. Quis enim in terris, Sanctitate vestra, dignitate et potestate majus? Innocentia aut ullo genere laudis praestantior? Cujus Sanctitatis fragrantia et odor bonus totum orbem replevit. Quamobrem non eas, quas debeo, sed quas possum, maxima cum humilitate et submissione ago, et habeo Sanctitati vestrae gratias, Deum Optimum precaturus, ut populo Christiano, cuius tutela et securitas salute et incolumitate Sanctitatis vestrae continetur, eam diu sanam florentemque praestet. Enitar autem pro virili mea, ne istud ejus iudicium, et conceptam de me expectationem fallam. Et licet difficillima sit episcopatus mei administrandi ratio, tot haeresibus virulentissimis in eum incumbentibus: quantum tamen per me praestari poterit, in ipso in provinciam ingressu non neglexi. Synodum diocesanam coegi, ac, ut totius clerus diocesis meae professionem fidei Catholicæ sub iurejurando, juxta decreta Concilii Tridentini faceret, obedientiamque Sanctitati vestrae praestaret, curavi. Seminarium institui, censuque ex proveniuntibus episcopatus mei ac nonnullorum abbatum dolavi. Porro de Fricio, mandato Sanctitatis vestrae satisfaciens, ita constitui: Quia patrociniis illustrium virorum, in unam sectam secum conspirantium ita munitus esse videbatur, ut a me bonis spoliari, sine aliqua seditione non potuerit: obstantibus praeterea tribus advitalia testibus a Joanne Drojerojo, antecessore meo, cum approbatione capituli concessis: malui jacturam ararii mei facere, contractu secum inito, ut certa pecuniarum summa a me accepta, bonis omnibus in episcopatu meo renuntiaret. Quod Sanctitatem vestram ex reverentissimo domino Rugerio, nuntio suo vigilantissimo, perspecturam arbitror. Reliqua exponet Sanctitati vestrae Georgius Ticinius, serenissimi regis mei

¹ Ex Archiv. Card. Alexand. — ² Ex Archivis ducis Bonelli.

³ Ex Archiv. Card. Alexand. et ex propr. Origin i.

apud Sanctitatem vestram agens, cui nonnulla a Sanctitate vestra pro utilitate Ecclesie meae postulanda commisi. Quamobrem, ut illi faciles aures et benignum assensum Sanctitas vestra præbere dignetur, majorem in modum supplico. Apud Ecclesiam meam Wladislaviensem, vigesima die mensis Martii, anno Domini M^oDLXVIII.

« Ejusdem Sanctitatis vestre humillima creatura, et servus addictissimus, Stanislaus Carnovius, episcopus Wladislavien., manu propria ».

Pontifex] his litteris in hunc modum respondit ¹ :

« Ven. fratri, Stanislae episcopo Wladislaviensi.

PIUS PAPA V.

« Ven. frater etc. Spei, quam de te habuimus, abs te ipso, tuæ administrationis initio, gaudeamus esse responsum. Quod enim synodum diæcesanam celebrasti, in qua curasti, ut totus clerus professionem faceret fidei Catholicæ. Quod Seminarium, ex decreto Tridentini Concilii, instituisti. Quod in hæretico illo ejiciendo, mandatum nostrum tanta cura executus es; fecisti muneris tui præclara admodum fundamenta. Ex istis porro præteritis officiis tuis, in spem non dubiam venimus de futuris. Ad quæ præstanda non egere te cohortatione confidimus, sed tamen, quia merita tua apud Deum crescere cupimus, ut exemplum tuum finitimis episcopis ad imitandum fore propositum speramus: ut, quanta maxima potes, cura et diligentia creditas tibi oves pascere ac tueri; et eas quæ aberrarunt ad ovile Dominicum reducere ac sanare studeas, adhortamur. De his, quæ mandato tuo a nobis postulavit familiaris noster Georgius Ticinius, quid tibi concesserimus, ex ejus litteris cognoscere poteris. Confidere fraternitatem tuam volumus, nihil te unquam frustra a nobis desideraturam, quod quidem salvo officio nostro concedi possit, etc. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvi Maii M^oDLXVIII, Pontific. nostr. ann. tertio ».

Præter hæc ², hujusmet episcopi Wladislaviensis opera, ad Catholicæ fidei veritatem rediisse Palatinum Præstensem, in præfata Epistola testatur idem Rugerius, additque hoc exemplo plures commotos, spemque conceptam fuisse ad Ecclesie gremium reversuros. Imo in præclaro hoc episcopo tantus fidei zelus enituit, ut non suæ dumtaxat, sed aliis etiam Ecclesiis, licet sibi minime commissis, profuerit. Quapropter Danciscam Wladislaviensis suæ Ecclesie archidiaconum misisse, ut ex Pontificis mandato, jurisdictionem spiritualem in ipsa

civitate exercens, eam ad meliorem revocare frugem studeret, idem Rugerius ¹ asserit; confirmatque cardinalis Hosius ² in scripta ad illum Epistola, in qua inter alia: « Quod, ut Gedanenses in viam veritatis revocet (inquit) laboraturum se scribit, valde fuit gratum ex litteris R. D. vestræ cognoscere etc. ». Episcopus pariter Wilnensem, magno viginti millia florenorum sumptu, ad Ecclesie Catholicæ in ea civitate, ac tota Lithuania propagationem ac propugnationem, Jesuitarum collegium hoc anno instituisse, præfatus etiam ³ Rugerius scribit.

147. *Chiovensem episcopum a sede sua dejicit Pontifex.* — At inter hos, suo munere optime fungentes Poloniae episcopos, reperitus tamen est fur et latro, qui Christi oves mactare, perdere ac occidere quæreret. Is erat Chiovensis episcopus, hæretica labe infectus, qua etiam sibi commissam Ecclesiam turpissime infecerat. Pluribus cum rege egerat Pontifex, ut tanta abominatio e loco sancto deiceretur; at frustra, cum viri potentia ac auctoritas ipsi regi formidanda videretur. Cunctabatur idcirco is in dies tantum scelus e medio tollere, ne, ex uno subdito malo, plura (ut ipse putabat) ac deteriora orientur: quod videns Pius, humanam hanc prudentiam, ubi de fide agebatur, prorsus abjiciendam existimans, validioribus argumentis, e sua sententia regem amovere connixus est, hac Epistola:

« Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto, regi Poloniae illustri ⁴.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Majestatis tuæ laudi gloriæque, pro paterna nostra benevolentia faventes, expectavimus et futurum etiam speravimus, ut ipsa tantum illud scandalum de Chiovensis Ecclesie episcopo tolleret, et ne tam infamis hæreticus Ecclesiam illam diutius delinere; et tanquam episcopus et regni senator, publicis conventibus interesset, provideret. Etsi autem intelleximus, ex proximis litteris majestatis tuæ, quantopere periculosum putet, et hoc, et alia regni sui sanare mala, quæ quorundam negligentia nimis crevisse et corroborata fuisse queritur; tamen ne obijci unquam nobis possit, quod tua majestas nunc aliis, fors immerentibus, obijci, quod negligenter officio nostro functi simus; desistere nolimus quin ad tantum scandalum tollendum majestatem tuam iterum hortemur et excitemus. Fallitur enim, si hujusmodi scandalum tolerando ac dissimulando, regni sui quieti et tranquillitati sese consulere putat. Non posse hæreses simul cum Catholicæ religionis cultu in eodem regno tolerari, illud ipsum exemplum regni Franciæ, quod majestas tua affert sui excusandi causa,

¹ Ex Archiv. Valica. ut supra. — ² Ex Archiv. card. Alexand. ut supra.

¹ Ibid. ut supra. — ² Epist. Hosii Epist. 104. pag. 251. — ³ Ibid. ut supra. — ⁴ Epistol. Pii apud Goub. Epistol. 4. lib. 2.

documento est. Si superiores reges Franciæ dissimulando et tolerando, id malum crescere passi non fuissent, facile extirpare hæreses, et regni sui paci et quieti consulere potuissent. Neglectis prædecessorum nostrorum paternis hortationibus, dum istiusmodi carnis prudentia nituntur, sublata pace, quæ sine unico recte veræque religionis cultu manere non potest, regnum illud, olim adeo florens et tranquillum, miserandum in modum perturbarunt, et in extremum periculum adduxerunt.

« Nam quod majestas tua, de zizaniis non evellendis, propter periculum evellendi simul tritici, Domini et Salvatoris nostri dictum, non ita, ut intelligit ipse, intelligendum affert; mallemus ejus meminisset, quod idem Salvator nosler, de regnorum in se divisorum futura desolatione adeo aperte et perspicue dixit. Quæ vero divisio detestabilior, quæ perniciosior regnis ac populis existere potest, quam de religione dissensiones atque dissidia? Si scandala adeo creverunt, ut scribis, ut spes non sit adeo facile omnia simul tolli posse; at aliqua eorum, quæ tolli possunt tollenda sunt: cujusmodi hoc appellati Chiovensis episcopi. Quo ab Ecclesia illa avulso, nequaquam timendum est, ne convellatur status regni. Facile majestas tua illum, ut eam Ecclesiam dimittat, auctoritate sua regia adducere poterit. Quod ut faciat, eam iterum paternè hortamur et vehementer rogamus. Consulat famæ suæ, consulat Dei Omnipotentis honori, et illius Ecclesiæ, atque animarum saluti. Sed si facere diutius recusaverit, cogemur ipsi adversus illum pseudoepiscopum, secundum sacros canones agere, ex necessitate cum majestate tua; ne nostro ipsi quoque desimus officio, quod sine gravi Dei et hominum offensione prætermittere non possumus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die XXVI, Martii MDLXVIII, Pontificatus nostri anno tertio ».

148. *Deteguntur fraudes Gnesnensis episcopi.* — Cum autem Pontifex sic in hæreticum episcopum inveheretur, assimilata alia boni specie, ab episcopis aliis Poloniæ, et quidem Catholicæ religioni et Apostolicæ Sedi forte haud minus infensis, decipitur. Rem ordine dabimus.

Hoc anno, quem toties supra memoravimus Julio Rugerio, Romam revocato, in ejus locum Apostolicum suum nuntium, Vincentium Porticum Lucensem, Pius in Poloniam misit. De illo, ista Gabutius ¹: « Post Rugerium Pius Vincentium Porticum, integrum virum, quem deinde Epidaurensis archiepiscopus novimus, internuntium Pontificum, apud Poloniæ regem constituit. Hujus autem opera Pontifex ibi multa eaque præclara ita gessit, ut magnam integra-

tis, animi magnitudinis, ac liberalitatis laudem sit consecutus ». Litteræ, quas fidei vocant, a Porticu ad regem delatæ hujusmodi fuerunt:

« Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto, Poloniæ regi illustri ¹.

PIUS PAPA V.

« Charissime etc. Redeunte ad nos dilecto filio Julio Rugerio, qui apud M. T. nostri et Sedis Apostolicæ nuntii officio functus est; in ejus locum, nostrum et ejusdem Sedis oratorem et nuntium delegimus ex prælatis, dilectum hunc [filium Vincentium a Porticu] Sedis Apostolicæ protonotarium, virum nobis probatissimum atque gratissimum, cujus opera, consilio atque doctrina uli consecuimus, in nostris et hujus S. Sedis negotiis, a quo M. T. plane edoceri poterit, de nostra erga te paterna voluntate, et de cura quam pro commisso nobis officio habemus salutis regni tui; et quidem tanto majorem, quanto vehementius illud perturbatum esse videmus, tum externo bello, tum intestinis hæreticorum sectis. Non esse hortandam M. T. satis scimus, ut cum advenientem benigne excipiat; id enim pro sua erga Sedem Apostolicam pietate et reverentia facturam esse certum habemus. Quia vero recedenti a nobis, quædam ad te mandata dedimus, eandem M. T. rogamus, ut et hoc tempore, et in posterum, quibuscumque de rebus tecum aget, parem ei fidem habere velis, ac si nos ipsos audires. Quod erit nobis gratissimum. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVIII Februarii MDLXVIII, Pontific. nostr. ann. tertio ».

Ad ejusdem ferme exempli, ad cæteros quoque Poloniæ regi proceres, tam Ecclesiasticos quam laicos, a Pontifice, Vincentio Epistolæ deferendas fuisse; disserere in Vaticano Registro ² asseritur. Exiit et inter eos percelebris ille Martinus Cromerus pietate et eruditione insignis, qui post cardinalis Hosii obitum, Varmiensem cathedram obtinuit, et exemplo et scriptis Catholicam Ecclesiam illustravit: cujus, quia nacti sumus originale responsum, quod cardinalis Alexandrini litteris pariter ab eodem a Porticu sibi exhibitus reddidit: hic non abs re inserendum illud judicavimus ³, utpote quod ex eo nonnulla scitu digna intelligi posse videantur. Dicit igitur:

« Reverendissime et illustrissime domine.

« Dicit non potest, quam grata ⁴ jucunda mihi acciderint Sanctitatis Domini nostri, et reverendissimæ ac illustrissimæ dominationis vestræ litteræ, quas mihi vir ornatissimus et gravissimus D. Vincentius a Porticu, nuntius Apostolicus nuper, huc veniens reddidit. Quid enim

¹ Vit. Pii lib. 3. cap. 10. pag. 108.

¹ Ex Archiv. Vatic. Brev. Pii V, sign. 2910 — ² Ex Archiv. Vaticano Ibid. ut supra. — ³ Ex Archiv. card. Alexandrin.

majus aut honorificentius contingere mihi potuit, quam notitia, gratia, et clementissimis litteris dignum haberi, primum ejus, qui rempublicam Christianam summa cum laude omnium, atque eorum etiam, qui a Sancta Sede Apostolica alieni sunt, moderatur? Deinde, et ejus, quem ille, non tam propter sanguinis conjunctionem, quam propter præclaras animi ingenique dotes summo judicio, omnium consiliorum et actionum suarum participem esse voluit, et ad exemplum suum instituit? Utinam quidem sit in me aliquid, quod vestrae expectationi et conceptæ de me opinioni, aliqua ex parte satisfacere queat! Dabo sane operam, pro virili mea, ut si minus consilia et actiones, studium certe meum vobis probem. Quod jam facere institui ex eo tempore, quo R. abbas Rugerius, qui hic nuper nuntius Apostolicus fuit, mihi de tam propensa in me Sanctitatis ejus voluntate indicavit, et mandata ejus mecum communicavit. Ideoque, non solum ipsi D. Rugerio, studio et obsequio meo, quoad iis uti voluit, verum etiam publice toti orbi testatum facere volui. Cujus rei documentum, libros colloquiorum de religione, in Germania nuper editos, jam ad Sanctitatem ejus pervenisse spero. Quemadmodum autem, prioribus aliquot legatis et nuntiis S. Sedis Apostolicæ non defui; sic neque huic deo, opere, et omni officio et obsequio meo; atque etiam submonendo de rebus nostratibus, quæ ad rem pertinere videbuntur. Quarum, si quam peritiam, præ iis, qui peregre luc veniunt, mihi vendico, non arroganter id facere videri debeo. Consilio vero, ut eos adjuvare possim, qui isthinc, magno judicio delecti, et accurate instructi huc mittuntur, id mihi non sumo. In summa, hoc D. V. reverendissima et illustrissima sibi et Sanctissimo Domino nostro de me persuadeat, velim me ipsi et Sanctæ Sedi Apostolicæ esse foreque semper addictissimum. Quod reliquum est, Deum precor, ut tam vigilantem et sapientem pastorem nobis et Ecclesiæ suæ sanctæ servet quam divitissime sospitem et incolumem, simulque D. V. reverendissimam et illustrissimam. Cracoviæ, non. Junii MDCXVIII.

« Reverendissimæ et illustrissimæ D. V.

Addictissimus servus

Martinus Cromerus ».

At ceptam narrationem prosequamur. Vincentio a Porticu, inter cætera, quæ Pius in mandatis dedit, illud etiam extitisse, ut provinciale Concilium, juxta toties memorata Tridentini Concilii decreta, in Polonia cogeret, totis nisibus curaret; elici posse videtur ex modandis ejusdem Pii Epistolis, quibus nonnullos Poloniæ episcopos ad id hortatur. Licet enim, ut supra vidimus, plura essent, et ea quidem gravissima, quæ secus facere suaderent; ea nihilominus hujusmodi non exlitterant, ut pro-

pterea Pius idem prius conceptam de eodem Concilio habendo cogitationem abjiceret: illam forte subdolis etiam artibus fovente, ac impensius alente, Jacobo Ukangio, archiepiscopo Gnesnense, cui, ad pessimum illum, quem retulimus finem, res magis cordi erat. Quia vero Rugerius minus mandatis suis obsequentem, (utpote qui a consilio hoc Pontificem revocare studisset) Pontifex idem credidit; ideo Vincentio a Porticu, quem alterius sententiæ studio minime esse tunc posse abreptum certo sciebat, denuo rem aggrendendam perficiendamque mandasse verosimile videtur. Epistolas, quas ad Poloniæ episcopos scripsit, prout ex Regesto Vaticano¹ eas excerpimus, hic exhibemus:

« Venerabili fratri N., episcopo in Polonia.

PIUS PAPA V.

« Ven. frater etc. Etsi putabamus, fraternitatem tuam, officii sui memorem, ad Synodum in isto regno celebrandam ituram esse, tamen considerantes quantopere et divini honoris et publicæ utilitatis causa expediat atque necesse sit, ipsam Synodum, juxta sacri Concilii Tridentini salubre decretum celebretis, non alienum munere nostro duximus fraternitatem tuam in Domino hortari, ut cum cæteris fratribus, tam debito ac necessario officio quam studiosissime fungatur, cum nullum opportunum tempus ei offerri possit inserviendi Deo, et de sua cæterisque regni Ecclesiis benemerendi. Ita ergo tali tempore pium animum suum, et rectam sinceramque voluntatem declarare conetur, ut nostram et hujus Sanctæ Sedis gratiam uberius promereatur. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvi Martii MDCXVIII, Pontific. nostr. anno. tertio ».

Brevia quinque hujus exempli scripta fuisse, diserte in Vaticano Regesto a notatur. Uti vero, biennio ante, occasione comitorum regni Petricoviæ habitorum, ad quæ Poloniæ episcopi se conferre debuerant ut Concilium cogeret, Pius intulit: sic modo cum Lublini (ut dicitur) eadem comitia cogenda essent, quibus pariter iidem interesse tenebantur, rem eandem tunc, ut vidimus, sano consilio interruptam urgere Pontifex suum duxit.

Verum, sive a Vincentio a Porticu, ubi in Poloniam pervenisset, statumque rerum diligentissime explorasset ac cognovisset, sive ab aliis, ac præcipue a cardinali Hosio, periculi quod subeundum esset, si ea Synodus celebraretur, ac fraudis et doli quem Gnesnensis archiepiscopus commoliebatur, serio admonitus Pius fuerit: illud certe vocari minime in dubium potest, Pontificem ipsum adeo mutasse demum consilium, ac Concilii cogendi ablegandam sic longe curam haud multo post censuisse,

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

ut posterioribus aliis, et his quidem gravissimis mandatis, priora revocaret: uti ad eosdem episcopos, ad quos priores Epistolae dederat², sequentes postea datae litterae ostendunt.

« Venerabili fratri N. episcopo in Polonia.
PIUS PP. V.

« Ven. frater etc. Elsi opraivissimus ut Synodus in hoc regno, juxta sacri Concilii Tridentini decretum congregaretur, tamen gravissimis justissimisque de causis non expedire duximus, eam hoc tempore celebrari. Itaque fraternitatem tuam, tenore presentium monemus, ut pro eo quanti nostram, et Apostolicæ Sedis gratiam et communionem facit, ad ipsam Synodum non accedat. Qua eadem de re, jussu nostro tecum acturis dilectis filiis nostris Stanislao cardinali Varmisensi legato, ac Vincentio a Porticu, nuntio nostro, fraternitas tua fidem habeat, perinde ac nobis ipsis habitura esset. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die MDLXVIII, Pontific. nostr. anno III ».

Si quid ex his Apostolicis Pii litteris conjicere liceat, illud procul dubio est, rem ab Ukango cum episcopis aliquot ea valitricè fuisse instructam, ut Pontifici suam sit, episcopos eosdem a se ad Synodum esse compellendos, quod illam abnuerent; cum tamen quin calcariibus egerent, ut ad eam se conferrent, fræno potius ac camo indignisse, ut ab ea se abstinerent perspiciam sit. Eorum siquidem artibus circumventum, Pium certum est priores litteras ad eos dedisse, impellendosque existimasse ad petendam Synodum, qui forte, arte, sibi delati fuissent Synodum ipsam detractare. Quod tamen revera non detractasse, sed avidissime arripuisse, quod sibi præcipi fraude curaverant, posteriores litteræ ostendunt, quibus non modo prima mandata Pontifex revocat; sed insuper, ne executioni traderentur, districte admodum vetat. In quo quidem laudanda in primis ejusdem Pii comitas, docilitas ac sapientia, qua, sicut scriptum, ac vere sapientis erat, mutavit consilium. Deinde etiam cum Vincentii a Porticu, tum præcipue cardinalis Hosii solertia, cui potissimum haud obscure tribuendum esse intelligitur, tam ingentem perniciem, et innumera simul, quæ ex ea oboriri mala poterant, a Polonia avertisse; uti jam pridem summam cardinalis Commendonii prudentiam, pravam ejusdem Gnesnensis archiepiscopi commolitionem evertisse supra retulimus.

149. *Merlini Lutherani convicia in Pontificem.* — Ad dum Pius dolo Gnesnensis hujus archiepiscopi evadit, maledicta ac probra effugere minime valet Joachimi, alias memorati Merlini Sambianensis pseudoepiscopi, de quo Hosius in præfata ad episcopum Wladislaviensem Epistola¹ scribit: « Merlinus in vicinia,

ne majores etiam nobis turbas det, metuo. Nam est unus ex rigidis Lutheranis, qui jam, nec in Germania fere tolerantur. Subinde magno clamore detonat in Papistas: Hi sunt illius flosculi sanctissimi diaboli nostri papæ: Dominus noster diabolus papa; quemadmodum ex libello, quem R. D. vestræ mitto, cognoscat uberius ». Cum vero hoc anno, die vigesima Martii, Albertus Dux, Friderici Marchionis Brandeburgensis filius, qui primus, ut diximus, Borussiae Ordini Theutonico, cujus ipse magister erat, subtraxit feudumque sæculare fecit: et Catholica religione rejecta, Lutheranismum in eum ducatum invexit, in arce Tapiu mortuus esset, eumque paucis post horis uxor Anna Maria, Enrici Breswicensis filia secuta esset, unico quindecim annorum filio Alberto Friderico relicto: Sigismundus Augustus Poloniae rex, ad funus cohonestandum, ut scribit Neugeobavarus¹, Joannem Koskam castellanum Gedanensem, et Joannem Demetrium Solicovium eo misit. At Rugerius missos asserit ad sedandas turbas, quas exoriri posse rex pertimuit; eisque additum deinde Palatinum quemdam testatur Hosius. Inter alia vero in mandatis eis data, illud fuit, quod cum regentibus agerent, ne episcopi nomen Sambianensi ac Pomesnaniensi pseudoepiscopis, biennio ante electis, tribuere vellent. Quod indigne admodum ferens Merlinus, sub ducis defuncti nomine, libellum protulit, in quo de pseudoepiscoporum electione agebatur, ac in regiae majestatis honorem edendum curavit. Ad coercendam quoque ejusdem Merlini temeritatem, alia præterea a rege mandata data fuisse, colligi posse cognoscitur ex præfata Hosii Epistola², in qua de his agens, hæc scribit: « Mitto simul, et instructionis ejus partem, quæ pertinet ad Merlinum, quæ data fuit D. Solicovio, primum soli ante Pascha, deinde cum domino castellano Gedanensi in exequiis; postremo nunc addito tertio collega domino Palatino. Mitto litterarum exemplum, ad regentes scriptarum, quæ tamen illis reddita non sunt etc. Mitto præterea libellum sub nomine ducis, post mortem illius editum, de duorum episcoporum electione Sambianensis et Pomesnaniensis. Actum fuit cum regentibus, nomine majestatis regiae, ne nomen episcoporum electis a se tribuerent: ecce autem, simul ut justa funebria peracta sunt defuncti domini ducis: Merlinus, in honorem regiae majestatis libellum hunc edendum curavit, qui qualis sit, ipsa dominatio vestra secum expendat ». Sic ille. Quid autem profecerint, vel apud regentes regii commissarii, vel apud regem libello Merlinus, non dicit. certum est antea, ut diximus, nil contra eum conatibus suis Hosium proficere potuisse.

150. *Annæ, infantis Poloniae, insignis pie-*

¹ Ab Issell. pagin. 169. Neugeobavar. histor. Polon. li. 8. pag. 62, 5. Rugerius Epistol. ad card. Alexandrin. — ² Ibid. ut supra.

¹ Ex Regest. Vatican ut supra. — ² Epist. 124.

tas : ad comitia Lublinensia commonitoriae litterae Pontificis. — Catholicae vero religionis rem ummo fidei ardore hoc eodem tempore egisses Annam Poloniae infantem, ac Sigismundi Augusti regis sororem; narrat praefatus Rugerius, et ex Epistola educitur¹, ab ea ad Pontificem scripta. At inter caetera pietatis monumenta, (in quibus se sedulo exercere consuevit) illud procul dubio emicuit, quod cum hoc tempore intellexisset, Catharinam sororem, ad Suetiae regnum, una cum Joanne marito, deturbato Enrico fratre, ut diximus, evectam fuisse; statim Epistolis ac hortationibus urgere cepit, ut abjectam in eo regno orthodoxam veritatem, erroribus pulsas, restituere curaret. Digna sane (inquit Rugerius), quae ob fidei Catholicae zelum, qui in ea reperiebatur, omni venerationis ac existimationis significatione ab ipso Pontifice coleretur.

151. Et quidem omni benignitatis ac amoris officio tam dilectam filiam, ut suis locis dicendum erit, prosequi haud praetermittere potuit Pius, qui sibi commissi gregis utilitati summa vigilantia prospiciens, quidquid ad illius commodum pertinere intellexit, non modo omni semper studio efficere contendit; sed etiam, quod ex sibi commisso munere efficiendum fuisset, mira prorsus prudentia longe ante praevideret consuevit; ut ex Epistolis ad regem et Poloniae senatum hoc anno datis evidentissime agnoscitur. Licet enim, sequenti dumtaxat Lublini regni comitia, quae innumis, ipsi celebrare statuissent Apostolicis nihilominus monitis, ut in eis religionis negotium serio ageretur, hoc tempore eorum animos praecoccupare suum duxit; scripsitque ad illos, quae sequuntur:

« Charissimo in Christo filio, Sigismundo Augusto regi Poloniae illustri, dilectis filiis nobilibus viris senatoribus Palatinis, et castellanis omnibus in Dieta Lublinensi congregatis².

« Etsi non dubitamus, te, charissime fili, pro tua in Deum pietate, et majorum tuorum charissimorum regum, ac tua in Sanctam hanc Sedem reverentia, vosque omnes, qui in isto conventu congregati estis, nullam aliam ob causam, simul convenisse, nisi ut ea consultetis inter vos, ac decernatis, quae et ad istius nobilissimae regni utilitatem, et ad Dei Omnipotentis honorem pertinent, tamen pro nostra in vos paterna benevolentia praeterire nolumus, qui vobis hoc tempore simul congregatis paternae nostrae dilectionis officium praestaremus. Quod quidem officium nullum aliud est, nisi ut majestatem tuam in primis, charissime fili, deinde caeteros omnes, qui tecum in isto conventu adsunt, nobiles viros hortaremur, ad ea consultanda, decernenda atque exequenda, quibus non modo non minuatur orthodoxae fidei

religio, nec probatissima ac salubria majorum nostrorum instituta, Sedisquae Apostolicae jus atque auctoritas, ulla in re detrimentum aliquod patiat; sed etiam quibus maxime rebus fieri potest, adjuvetur, augeatur atque amplificetur. Quod quidem majestati tuae, et vobis singulis facile erit, si considerabunt terrena regna, quae in manu Domini sunt, nulla alia re facilius, quam ejusdem Domini, religionis amore atque observantia conservari. Hanc autem religionem, nisi unam in toto Christiano orbe, neque unquam antea fuisse neque nunc esse posse; eam, videlicet, quae ab Apostolorum principis Petri, caeterorumque Apostolorum temporibus, doctrinae profecta, per tot ejus successores, ad nos et nostrum usque tempus, una eademque semper ac inviolata permansit. Et quanquam, suggerente diabolo Christiani nominis hoste, variae in multis provinciis haereses, et ante semper extiterint, et nunc existant; tamen haec, neque antea ullam inter se unitatem habere potuerunt, neque nunc habent, aut habere possunt: hoc ipsum, nimirum, divina permittente providentia, ut qui a Sanctae Ecclesiae doctrina atque unitate, propter superbiam seipsum abscederent ac diviserunt, nunquam in unum aliquod corpus coalescere potuerint. Haec est illa sanctissima, ac vere sola et una religio, quam Apostoli praedicaverunt, Martyres moriendo confessi sunt, quae potuit quidem praeteritis temporibus, et nunc etiam potest, haereticorum dissentientibus inter se opinionibus, impugnari, sed expugnari tamen non potest. Atque utinam hanc eandem illi ipsi ab initio constanter tenuissent, quorum praecipue perniciose opera, pestiferisque consiliis Respublica Christiana, Deique Omnipotentis Ecclesiae, in tantam calamitatem ducta est; melius cum ipsis, et cum hac ipsa Sancta Sede ageretur, neque tot ubique populorum adversus suos principes, discordiis, ob hanc ipsam causam susceptis, Christiana respublica laboraret. Hanc majores tui, nobilissimi reges, charissimi filii, religionem semper coluerunt, hanc tenuerunt. Ad quam quidem, te, ut ab initio diximus, tuorum exemplo majorum, et caeteros qui adsunt in isto conventu, nobiles viros, hortamur. Et quanquam non dubitamus, majestatem tuam, et caeteros omnes, aut plerumque eorum, sua sponte ad hoc idem agendum incitatos ac bene animatos esse; non alienum tamen a nostro pastoralis officii munere putavimus, currentibus vobis Apostolicae nostrae hortationis, quasi calcem admoveere. Quod si qui tamen inter vos (quod Deus avertat) reperiantur, qui aliter sentiant, hos pro nostro in omnes homines paterno animo, ac sincerissima voluntate monitos volumus, ut errorem suum recognoscentes, ad eam religionis Ecclesiaeque unitatem reverti studeant, citra quam nullo modo salvi fieri possunt. Hoc enim si fecerint, praeterquam

¹ Ibid. ut supra. — ² Epist. Pii apud Goub. lib. 2. Epist. pag. 413.

quod melius animarum suarum saluti suæque fidei consentent, nos præterea, omni nostra benignitate ac charitate illos ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ redeuntes suscipiemus atque amplectemur. Deum autem omnipotentem rogamus toto corde, totiusque animæ nostræ viribus, ut vobis (quod speramus) in ejus nomine congregatis spiritum suæ charitatis ita infundat, ut et nunc et semper ea statuatis, quæ ad illius honorem quotidie magis augendum, et ad istius regni tranquillitatem et pacem, atque ad hujus omnium Christi fidelium Matris Ecclesiæ veterem auctoritatem restituendam, conservandam propagandamque pertinebunt. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die decima septima Decembris M^DLXVIII, Pontificatus nostri anno tertio ».

Præter communem hanc, ad regem una ac senatores scriptam Epistolam, alteram quoque ad senatores tantum dedit, quæ hujusmodi fuit :

« Dilectis filiis, nobilibus viris, senatoribus, palatinis, et castellanis omnibus in Dieta Lublinski congregatis ¹.

« Dilecti filii, nobiles viri, salutem et Apostolicam benedictionem. Etsi exploratum habemus, omnes qui in isto conventu congregati estis, pro vestra prudentia, et Christianæ religionis studio, ac pro vestro religionis Catholicæ zelo, sinceræque erga Sanctam hanc Sedem reverentia, de nullis aliis rebus acturos, præterquam de his, quæ ad Dei Omnipotentis honorem, istiusque nobilissimi regni utilitatem pertinent, quarum rerum potissimum causa vos simul convenisse pro comperto habemus; tamen nos, qui propter Apostolicæ servitutis onera, omnia omnibus facti sumus, cogimur hoc tempore, impellente nos charitate, vobis quoque officium paternæ dilectionis impendere. Hoc autem nullum aliud est, dilecti filii, nisi, ut vos tanquam Catholicos, devotos et sinceros Ecclesiæ filios, purissimo sincerissimoque corde, quanto majore possumus animi studio hortemur, ad ea in isto vestro conventu consultanda, decernenda atque exequenda, quibus non modo non minuatur Orthodoxæ fidei religio, nec probatissima et salubria majorum nostrorum instituta, atque Sedis Apostolicæ vis atque auctoritas, ulla in re detrimentum aliquod patiatur; sed etiam, quibus maxime rebus fieri potest adjuvetur, augeatur atque amplificetur. Quod quidem singulis vobis facile erit, si unusquisque vestrum ante mentis oculos illius sibi Domini timorem proposuerit, cujus oculi sunt super justos, qui scrutator est cordium, quique sicut eos punire solet, qui a norma cultus ejus, hoc est, a sanctæ Ecclesiæ doctrina, divisi sunt; sic eos, qui salutarem ejus disciplinam custodiunt, æternis maximisque præmiis paratus est remu-

nerare. Quod quidem, utinam illi ipsi (magno hæc cum dolore dicimus) ab initio prospexissent, quorum præcipue perniciosa opera, pestiferisque consiliis Respublica Christiana, Deique Omnipotentis Ecclesia, in hunc miserabilem statum adducta est. Non enim humani generis antiquus hostis tantam occasionem nactus esset in Dominicum gregem seviendi; neque tantopere intestinis pravissimarum hæresum discordiis laboraret Ecclesia. Quæ tamen, mirum operante Providentia, dum hæreticorum quæstionibus turbulentissimis oppugnatur, subtilius semper atque ardentius, tum in Dei charitate inflammatur, tum in sua eruditione instruitur. Vos autem præter cæteros, præcipue decet, dilecti filii, et semper, et hoc maxime tempore, in quo vos simul publicæ utilitatis publica causa congregavit, dispicere diligenter atque attentius considerare, quid non modo utilitas vestri regni exposcat, sed etiam quid Deus a vobis, quos istius regni primates constituit, pro vestro officio in illo districto iudicii sui die requisiturus sit. Si enim in hanc cognitionem, pro vestra in Deum pietate veneritis, ut cogitetis, vestrorum consiliorum actionumque omnium æterno illi iudici reddendam esse rationem; non modo nihil unquam vobis placere poterit, quod alienum sit a sanctissimis Ecclesiæ sanctionibus; sed etiam omni cura, diligentia, labore, illius dignitatem, ac majestatem, quibus semper poteritis rationibus, vobis augendam, amplificandamque esse putabitis. Ad quæ quidem, ut ab initio diximus, ita vos hortamur in Domino, atque excitamus, ut quanquam exploratum habeamus, vos ad hæc eadem agenda satis vestra sponte excitatos ac bene animatos esse: non alienum tamen a nostro pastoralis officii munere putemus, currentibus vobis Apostolicæ nostræ hortationis quasi calcem admoveere. Cogitate, quanto vos potentia, nobilitate, dignitate, cæteris istius regni proceribus antecellitis; tanto in conservanda Ecclesiæ atque hujus sanctæ Sedis auctoritate, virtutis vestræ lumen clarius cæteris ad exemplum elucere debere: ut non minora in vobis pietatis in Deum merita reperiri debeant, quam illæ sint vires, quas ideo Deus vobis concessit, ut illis ipsis viribus, hæc vobis in ejus sanctissimam Ecclesiam merita acquireretis. Considerate quam hæc ipsa, qua hic vivitur, vita brevis sit; quam sint hujusmodi honores fluxi ac momentanei: dumque potestis, enitimini curare et elaborare, ut vestra consilia, vestras cogitationes, vestra decreta, ita ad regni istius utilitatem referatis, ut non minore in humanarum rerum gubernatione prudentiam, quam in divinarum respectu pietatem, devotionemque declaretis. Nos autem Deum Omnipotentem rogamus toto corde, totiusque animæ nostræ viribus, ut vobis, dilecti filii, quod jam speramus, in ejus nomine congrega-

¹ Epistol. 23 ut supra.

lis, spiritum suæ charitatis ita infundat, ut, et nunc, et semper ea statuatis, quæ ad illius honorem augendum, et ad animarum vestrarum salutem, atque ad hujus omnium Christi fidei matris Ecclesiæ veterem auctoritatem restituendam, conservandam propagandamque perlinebunt. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub anno Piscatoris, die decima sexta Decembris MDLXVII, Pontificatus nostri anno III.». Quæ autem in Lublinois comitiis acta fuere, sequenti anno dabuntur.

152. *In Gallia inter Hugonotos et Catholicos pactæ pacis conditiones, neutri parti acceptæ.* —

At intestina bella, quibus Gallia hoc anno misere discissa ac difacerata fuit hæreticorum opera, abunde ostendunt, quam rite Pius Sigmundum regem, Galliarum exemplo in medium prolato, sectarios minime tolerandos esse admonuerit. Elapsa siquidem, vel Catholicorum segnitie, vel hæreticorum eisque adherentium fraudibus, optima opportunitate eos opprimendi, quæ Andegavensi duci se obtulerat, priusquam Hugonotorum exercitus principis Casimiri adventantibus auxiliariis copiis die undecima Januarii hujus anni uniretur; hæretici iidem his aucti præsiidiis, ad liberandam Aurelianensem urbem, obsidione a Catholicis cinctam, se conferre decreverunt: et quia annonæ inopia laborabant, eo etiam animo, ut priusquam vires ac victualia omnino deficerent, cum hoste, si occasio ferret, congrederentur. Neque ab hac sententia vicissim dux Andegavensis abhorrebat, utpote qui juvenili succensus ardore, egregio aliquo facinore ætatis suæ primordia exornare vehementer desideraret. At a conceptu animi instituto, assuetis suis confisa artibus deterruit regina parens, quæ famine pene sexus oblita, medio licet hyeme, in castra ad filium transitit; ac de omnibus quæ contigerant edocta, amotis qui Hugonotis secreto favere dicebantur consiliariis, eis alios substituit, qui sic bellum administrarent, ut prudentia tamen potius quam armis, ipsum gerere studerent; in primis eis prohibens, ne cum hoste, necessitate compulsi, manus consererent. Condæus e contra, novis Germanicis copiis acceptis, recta Lutetiam pergere statuit, belli arcem, ut regios armorum pertæsos maturius ad pacem amplectendam cogeret. Verum consilium id eversum iri videbatur, quod ille, cui ipse præerat, exercitus modica impedimenta secum trahebat, stipendio careret, et omni apparatu, fere, qui ad annonam comportandam usui esset, destitueretur, præter infestas eo in itinere obvias passim urbes ac oppida. Quas tamen omnes difficultates (ut narrat Thuanus) et ducum solertia, et ipsa postremum necessitas superavit; ita ut, et regios a capta Aurelianensi obsidione discedere coegerint, et ut ad singulare certamen illos pertraheret, Carnotum ipsi obsidione

cingere aggressi sint. Quibus permota regina, cum et metueret, ne urbs illa in manus hostium incideret, nec vicissim regium exercitum, ac vires pugne discrimini objicere vellet, ad solitas rursus commolitiones confugit, et de pace cum hostibus ineunda agere capit. Apostata olim cardinalis Castellionæus, ad Longemellum pagum cum Armanno Conaldo Birone, castrorum præfecto, et Henrico Memio Mallassio, libellorum supplicum magistro, convenere, ac re ultro citroque diu agitata, tandem inter regem ac Hugonotos pax inita est ac publicata, vigesima secunda die Martii præsentis anni. Inter præcipuas vero improbasque illius conditiones illa fuit, quod edictum ante quinquennium factum confirmatur, statuebaturque, ut exceptionibus, interpretationibus ac declarationibus omnino sublati ac revocati, plenum ac integrum maneret, et tumultuum nuper excitatorum memoria aboleretur.

153. Verum pacem hanc, non Catholicis modo, sed etiam hæreticorum plurimi execrati sunt, ac iniquissimo animo tulerunt. Quos inter primus Colinius versutus vir, cum Condæum ad pacem inclinare agnovisset, cum ab illa revocare studuerat, quippe qui se intelligere dixisset, illam idcirco tunc a regis expeti, ut quos conjunctos ac armatos vincere non poterant, cum armis depositis, et traditis oppidis quæ receptui habebant, omni potentia exutos ac divisos vidissent, pro libito deinde opprimere valerent. Cui sententiæ adherentes ipsi insuper hæreticorum ministri, in Condæum publice etiam multa obloqui veriti non fuerant. Regina autem parenti ac aliis, quos pacis auctores existimarunt, haud minori libertate detraxere inter Catholicos Lutetiæ incolæ; quod hac ratione foveri potius, quam convelli dissidiorum semina arbitrantur. Quod idem cum cæteris Catholicis principibus ipse Pontifex sentiens, qui nuper propriis conscripserat sumptibus auxiliares equitum copias, quibus præerat Ludovicus Gonzaga Niverniensium dux, et ingentem pecuniæ vim in bellum illud contulerat, omnique conatu cogendæ aliæ (ut narravimus) tunc incumbat: concordiam hanc ex animo (ut mox dicetur) aversata est, utpote quam, et reipublicæ, tum potissimum religioni plurimum obfuturam censeret; dum (inter cætera) hæreticorum cuique amplissima errores impune sectandi facultas tributa esset.

154. Juxta nihilominus confectas pacis conditiones a sectariis, auxiliares Germani, qui cum Joanne Casimiro venerant, dimissi sunt; persoluta illis tamen regis nomine (et quidem ex ea, a Pontifice sibi tradita) quadam pecuniæ summa; ea tamen lege, ut ipsam Condæus restitueret. Verum, licet auxilio hoc ac præsidio Hugonotti destituti remanserint, nihilominus non modo, quæ regni occupaverant

loca, ut condictum fuerat, regi restituere recusarunt: sed summa insuper temeritate vetitum regi voluerunt, ne copias suas aliquas in præsidiiis habere posset. Imo Rupella, non solum Jarnacii urbis præfecti præsidium admittere renuit (ut nonnulli scribunt, licet alii contrarium asserant); sed antea inchoatas munitiones, festinatis operibus est prosecuta, regionesque ministros, paulo ante expulsos, nunc quoque exclusit: naves privata auctoritate construxit, et pecunia collationes, a rege imperatas solvere detrectavit. Præcipui hæresum ministri se illic receperant, quapropter mirum non sit, pro perfidia ingenio, et procacius contra legitimum principem se exivisse, et rursus alios ibi tumultus fuisse commolitos, qui novi belli suspicionem merito regi injecerint.

155. Eam auxit, quod Condæus et Colinius aulam petere renuentes, hic Tanlæi, ille Nuceti se receperant, et nonnullas equitum ac peditum veteranorum copias circa se retinuerant, causali sæve, cum ejusdem suæ perfidia sequacibus, variis locis agi, et prædicationis libertatem impediri, ac demum querela sparsa, ad se intercipientes, Lotharingo cardinali suadente, conjurationem machinatum fuisse: quibus et aliis quæsitis coloribus, in sui ac suæ religionis securitatem, arma non modo haud deponere, sed etiam sumere sibi licere contendere videntur.

156. *Rex Carolus cancellarium Hospitalium ab officio deponit, jurisjurandi formulam omnibus subscribendam mittit ad provinciarum præsides, et apprehendere frustra tentat præcipuos ex Hugonottis.* — Rex igitur non morandum ratus priusquam exterorum auxilio rursus coalescerent, nunquam avulsa hæc dissidiorum germina extirpanda censuit; statutoque in primis consilio secreto, in quo de rebus ad regni gubernationem spectantibus potissimum ageretur, (ex quo postmodum cancellarium Hospitalium officio suo movit, quod præter eum nemo clandestina sua consilia rebellibus patefacere posset, uti fecisse rerum exitus comprobaverat, cum nihil esset, quod in eorum beneficium non ageret, utpote qui ipsorum doctrinæ addictissimus, uxorem, filium, generum, nepotes ac totam denique familiam læthali hæresis peste infectam haberet) deinde occasione quæsita, ex pecuniæ restitutione, quam principi Casimiro in Germaniam redeunti rex ipse (ut diximus) Condæi nomine persolverat, ab isto eam exposulare cepit; districte tamen, uno eodemque tempore prohibens, ne illam novis impositis vectigalibus (quod sibi soli licere contenderet) a populis extorqueret; sed ipse potius illam ex domesticis bonis una cum fœderatis suis restituere conmitteret.

157. Addit Thuanus, regem pro auctoritatis suæ conservatione, ac regni et personæ securitate, jurisjurandi formulam, in quam omnes se adigerent, ad provinciarum præsides misisse,

qua regem Carolum IX pro summo ac naturali principe agnoscere jurarent, et paratos esse ei omnem honorem, obsequium ac submissionem exhibere; nec unquam arma, nisi deserto ipsius mandato, sumpturos, nec iis, qui adversus ipsum arma sumerent, consilio aut pecunia aliave re fautores: nec pecuniarum collationes, injussu ipsius, cujuscumque occasionis obtentu, facturos; nullis se secretis consiliis aut fœderi obligaturos, aut in ea consensuros. Si quid eorum, ad ipsorum notitiam perveniret, de iis regem aut ipsius præfectos bona fide monituros: preces indesinenter ad Deum, pro ipsis et matris ac fratrum salute et securitate facturos; omnique suppliciorum ac pœnarum rigori se ultro subjicere, si culpa sua quid turbarum, in locis, ubi agerent, contingeret. Ista Thuanus.

Verum Davila, alique, qui prolixiori forte stylo Gallicanas ejus temporis res prosecuti sunt, tanti momenti rem omnino reficent, ita ut merito suspicari liceat, hæc et his similia a Thuano excogitata fuisse, quod vim passos esse, ac arma sumere pene compulsos sectarios ostendere voluerit, ut inferius, congestis rationibus pluribus, probare contendit.

158. Quidquid fuerit, Hugonottorum præcipuos, structis insidiis rex capi curavit, frustra licet, nam periculi admoniti, (ut rex ac regina suspicati sunt) a præfato Hospitalio, Condæus ac Colinius sibi fuga consulere, maxima hæreticorum cæterorum exultatione, a Rupellensibus, quo se receperem, excepti. Pseudocardinalis quoque Castillionæus regis manus evasit, ac una cum pellice sua, dementito nautici amictu, Angliam contendit, ubi ab Elizabetha humanissime exceptus, apud eam etiam Gallicorum sectariorum oratoris munere perfunctus est; quos illa pecunia ac quavis alia ratione potuit adjuvare semper deinde ac communire consuevit. Hinc, cum innumeræ sectariorum copię ad Condæum et Colinium Rupellam toto e regno confluerent; inter eos quoque adfuit Navarra regina, una cum filiis, quos frustra rex allexerat, ut in aulam pertraheret, ne hostibus, viribus ac auctoritate auxilio essent.

159. *Utrobique ad arma concurrunt.* — Antequam vero e Nuceto discederet Condæus, litteras ad regem dederat, quibus omnem turbarum causam, in Caroli cardinalis Lotharingii inquietum ingenium rejiciens, eis libellum supplicem valde prolixum addiderat, quo quærimonias antiquas repetens, tam temere oblocutus fuerat, uti narrat Davila, quod minis potius, quam rationibus vel precibus causam suam egisse visus fuerat; ex quo offensus regis animus, ea, quæ prædiximus, in illum ac præcipuos alios Hugonottorum fuerat commolitus. Hi vero, ubi incolentes ex insidiis evasissent, atque ad eos Rupellam tot tantique convenissent sectarii, ut jam validissimum contra regem

exercitum coactum viderent; publicos alios ejusdem tenoris libellos edidere, quibus se a renovato facinore, arma in regem sumendi purgare studuerunt; se nempe dicentes, (ut Thuanus abunde refert) pro religione ac conscientiarum libertate arma cepisse, quae ipsis edicto promissa, facto denegata; nam plerisque locis conveniendi licentia, ambitiosis et emendicatis a publicæ quietis hostibus rescriptis, impedita erat. Id actum ultima pacificatione fuisse, non ut quies publica constitueretur, sed ut ipsi, non solum Gallicis, sed externis opibus tunc potentes, per eam, armis exuti facilius opprimerentur. Eo consilio Helvetiis, quos dimitti placuerat, adhuc stipendia procedere, et Italorum auxiliatorum alas aliquot; Gallicas vero copias non dimissas, sed per praesidia distributas, quae messe facta, mox ad signa convenirent: urbibus pulsos minime fuisse receptos, nec bona, unde armorum licentia dejecti fuerat, restituta. Nec parum se motos, quod regem audissent, missis oratoribus, a Pontifice petiisse, ut sibi aureorum scut. L. annui redditus, ex Ecclesiasticis bonis alienare liceret; quod quidem a Pontifice peti, aut sperari minime licuisset, nisi in sumptus belli Protestantibus inferendi. Eodem etiam legationes pertinuisse in Germaniam missas, quibus principes Protestantes a Condæi amicitia abalienarentur. Hæc, et his similia denique tum Condæus, tum omnes passim, vel scripsit Epistolis, vel publicis editis libellis vulgare consueverunt; eodemque stylo ac tenore, Navarræa quoque regina, datis ad regem, ad Andegavensem ducem et ad cardinalem Bourbonium litteris, suum cum Condæo fœdus, ad quod se impulsam dicebat, a communi cum eo religione ac fide, vindicare pro viribus studuit.

Sed cum jam eo res processisset, ut non tam verbis quam armis agenda esset; hinc Hugonotti, ut sibi validissima undequaque auxilia compararent, non ad Protestantes Germaniæ modo, sed ad ipsum quoque Turcarum tyrannum legationem decreverunt. At Barbarus saniora ac æquiora se didicisse a Mahumeto ostendit, quam impudentissimi sectarii a Calvino; nam scelus execratus, multis licet pollicitationibus contextum ac delinitum, respondit: tam abjectos ac viles Hugonottos existere, ut indignum esset, summum eis imperatorem aures adhibere; ac indecorum nimis censere, impios ac rebelles fovere velle, quorum tam impia doctrina ac fides esset, quod eos in proprium regem insurgere faceret. Sc denique, cum principibus ac regibus, non cum subditis ac servis eorum negotiari solere. Sicque vacuum legatum ac sine honore dimisit.

160. *Omnium plausu excipitur edictum novum quo nulla fides nisi Catholica admittitur.* — Rex lamem ac regina parens, ut ingens incendium, quo Gallia pæne tota concremanda vide-

batur, restinguerent, ubi non modo incolumes suis e manibus elapsos, qui cæteris sectariorum præerant, verum etiam sic viribus auctos, ut et securitati propriæ consuluisse, et sibi periculo esse posse intelligerent: per provincias transmisere rescriptum, quo cuncta nuper iniita pacificationis capita observare velle rex pollicebatur, dummodo se quisque domi pacatus contineret, cuique conscientiae libertate permissa. At paucis abhinc interjectis diebus, cum nihil se eo profecisse agnovissent, ac de rescripto ipso magnum inter Catholicos murmur exortum esset, utpote quo doli ac fraudes foveri viderentur Hugonottorum, qui famem, nec timore præpediti, nec benignitate victi ab armis abstinabant; Catholicorum eorundem precibus, in quorum fidelitate ac præstantia, unicuique suæ regiae auctoritatis robur esse rex prospiciebat, aliud edidit, in quo, longo dictamine relatis, cunctis benignitatis ac indulgentiæ officiis, quibus diu, ad debitam sibi obedientiam ac subjectionem revocare rebelles sategerat; innumeras e contra ab eis excitatas turbas, constructas fraudes, seditiones, ac patrata scelera, quibus regia sua bonitate ac longanimitate abusi fuerant; et quod in regni perniciem, nationis Gallicæ naturales hostes vocare veriti non fuissent; revocatis quibuscumque edictis in Hugonottorum gratiam edictis, ac pace etiam nuper cum eis iniita prorsus deleta ac abscessa; tandem universis ac omnibus cujuscumque conditionis, toto regno alium quam Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ Ecclesiæ ac religionis, quam majores sui semper coluissent, et ipse pariter coleret, usum, statuta capituli fortunarumque pæna, penitus interdixit; statuitque insuper, ut omnes hæresim profitentes, dignitatibus, magistratibus ac publicis muneribus se abdicarent; hæresumque ministros, intra quindecim dierum spatium, eadem capituli pæna imposita, totius regni finibus facessere jussit.

161. Summa omnium exultatione in Parisiensi senatu ac a Parisiensi populo hæc fuisse excepta ac recitata, tradunt communiter scriptores; imo Thuanus ¹, additum a senatu fuisse ad regis edicti promulgationem, scribit, ut qui ad magistratus et munera publica deinceps admitterent (quod nunquam antea factum fuerat,) in religione Catholica, Apostolica, Romana se victuros ac morituros pollicerentur; et si quidem ab ea defecissent, passuros se, ut dignitate omni ac magistratu tanquam indigni privarentur.

162. Experimento deinde compertum fuisse (Thuanus ² idem subjungit), edicta illa, in Protestantium perniciem condita, longe alium effectum habuisse quam putaverant ipsi auctores, quippe qui, ex cunctis regni provinciis

¹ Hist. Lib. 42. — ² Ibid. ut supra.

videre, vel inviti compulsi fuerint, nec spe nec metu Protestantem retardatos, quo magis aut promissis lactarentur, aut pœnarum severitate cohiberentur, cum, eo majori alacritate, et incredibili celeritate, uxoribus, liberis et laribus relictis, ad Condæi mandata, a quo eos separatos cupiebant, in dies convenirent. Verum, si nec spe, nec metu retardari poterant, quin Condæo conjungerentur, ac ne promissis lactati, nec pœnarum severitate vexati, in officio contineri potuere, ut ipse dicit; non est certe, unde edictum præfatum, in Protestantium perniciem conditum, longe alium effectum habuisse dicat, quam ipsi auctores putaverant; nam cum frustra, vel lenitate vel severitate cum eis (ut ipse dicit) actum fuisset, ut tandem quiescerent, absque dubio, sine fructu etiam ab edicto rex abstinuisset contra eos, quos sine fructu, comitate ac clementia lenire studuisse Thuanus idem affirmat.

163. At plurimum revera utilitatis regi ex hoc edicto accessisse dicendum est, quod ex eo, ut Davila ¹ refert, tum in Gallia orthodoxi, tum extra cæteri Catholici principes, ac in primis ipse Pontifex, tum Caroli, tum reginæ parentis, erga Catholicam religionem mentem deprehendere potuerint. Detestatus siquidem semper ex animo fuerat Pius non semel, ut diximus, artes illas quibus regina lenitate ac clementia furentes hæreticorum conatus coercere posse existimaverat; cumque illa a se ingentem pecuniarum vim, præterito anno emunxisset ea pollicitatione, ut bellum usque ad rebellium omnimodam subversionem protraheret; ubi deinde pacem cum illis iniisset, non modo se inscio, sed eo prætextu improbe arrepto, quod Pontifex sibi auxilio defuisset; et, quod deterius, ad ipsam pacem componendam, quam ille suppeditaverat, pecuniam, hæreticis ipsis contulisse, audisset; haud effatu explicare facile est, quantum ex hoc offensus fuerit Pii animus, qui adeo ingentia subsidia, tamque enixo studio, tum ipse præstiterat, tum ab aliis Catholicis principibus eis præberi curaverat. Hoc enim nuntio accepto (ut Gabulius ² scribit), nihil jam amplius pecuniarum se Gallis collaturum edixit; ne scilicet sacrum exhauriret ærarium, importuno hæreticorum beneficio; ad quos cæteroqui, vel convertendos, vel avertendos, non modo quidquid sibi esset virium, sed vitam etiam ipsam et sanguinem profundere, se bene paratum esse testabatur.

Et revera, paulo ante quam perfida ea, quam diximus, pax cum hæreticis Gallia composuisset, ut Bononiensis civitas eam persolvere pecuniæ vim posset, quam per Petrum Donatum Cæsium Narniensem episcopum, præterito anno, ab ea Pontificem petiisse retuli-

mus; sub die xx Februarii in Consistorio ista ipsum statuisset (prout ex cardinatis Farnesii alias recensitis Consistoriatis Actis habemus) legimus ¹:

« Sanctissimus dominus noster proposuit, Sanctitatem Suam, ob imminetia populo Christiano pericula, tam ab hæreticis, quam ab infidelibus, quos ingentem classem parare comperitum est, eo coactam fuisse, suos et Romanæ Ecclesiæ subditos gravare; atque eadem causa, ut civitas Bononiensis facilius possit solvere summam sexaginta millium scutorum auri, hujus gratia solvendorum; propterea Sanctitatem Suam, ad ipsius civilitis preces, Montem erexisse, in quem collatæ pecuniæ septem pro centenario lucrentur, qui secundus Mons, Pius appellatur, pecuniæque redimi possint. Horum vero scutorum sexaginta millium, ad rationem septem pro centeno fructus constituentur, super vectigali seu gabella imponenda rebus in civitatem importandis: videlicet, ut ab omnibus, exceptis dumtaxat regularibus, solvatur, tantum pro curru, medio curru, et sarcinis, prout in Bulla, quæ fuit lecta, latius continetur ». Sic ibi.

164. Cum accepisset deinde indignas eas cum hæreticis pactas a rege condiciones, Jacobum de Sabaudia, Namurcensem ducem, Catholicum vere animo, in Lugdunensi ac Gratianopolitanis civitatibus recipere detrectasse; imo viriliter, ne executioni mandarentur, obstinisse: præclarum ei gratulatus est facinus, sequenti Epistola ² quam ad eum dedit:

« Dilecto filio, nobili viro, Jacobo de Sabaudia, duci Namurcensi.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Dileximus nobilitatem tuam quidem semper, propter egregium studium erga religionem Catholicam et sinceræ fidei constantiam, in tot et tantis illius regni periculis spectatam et cognitam. Verum, cum post pacem cum hæreticis et charissimi filii nostri regis Christianissimi rebellibus proxime factam, certiores facti fuerimus, te primum extitisse, qui in Lugdunensi et Gratianopolitana civitatibus, condiciones pacis, quæ Catholicæ religioni maxime damnosæ, nimisque alienæ a dignitate regis erant, non observare cœperis, exemplumque præclarum, cæteris hac in re præbueris; multum ea res auxit pristinum erga te amorem nostrum et honorificum de tua virtute iudicium, minuitque non parum mœrorem, quo ex conditionibus hujusmodi afflictebamur. Itaque præterire noluimus, quin tibi et laudem debitam tribueremus, et gratias etiam ageremus: sic enim judicamus, te de religione Catholica, ac de Christianissimo rege, ac Fran-

¹ Hist. Lib. 4. — ² Gabul. Vit. Pii lib. 2. cap. 6. pag. 64.

¹ Ex Diario Card. Far. — ² Ex Archiv. Vatic. ut supra.

eorum regno optime meritum fuisse. Ulinam autem alii illius regni proceres ac provinciarum gubernatores Catholici, factum hoc tuum imitentur. Meliori loco regis Christianissimi res et Catholica religio erunt, quam metuebamus. Supervacaneam hortationem esse scimus, ut talibus officiis perseveres, de Catholica religione et regno illo bene mereri. Tantum illud hortamur, ut memineris, te huiusmodi officiis servire illius summi et aeterni Regis honori et gloriae, qui omnium honorum operum remunerator est, eorumque praemia, non in altera modo vita, sed in hac etiam tribuere solet amplissima. Verum, nec rex quidem Christianissimus, tam insignis devotionis ac fidei, totque et tantorum meritorum unquam poterit oblivisci. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. Die v Julii MCLXVIII, Pontificat. nostr. ann. tertio ».

165. *Temporalibus et spiritualibus subsidiis Galliarum regi subvenit Pontifex.* — Ubi igitur, priori decreto, quo cum haereticis pax statuta fuerat, ut diximus, sublato, rex, quod memoravimus aliud, quo primum abrogabatur, vel ipso Pio suadente, ut innuere Catena¹ videtur, vel sponte sua edidit, eoque suum in Catholicam religionem studium palam professus est; quod jam pridem (cum nimirum Annibalem auricularium ad illum miserat), a Pontifice ipso pecuniarum, ex Ecclesiasticis regni sui proventibus postulaverat, subsidium obtinuit: indulisitque Pius (etsi aegre, ac non paucis cardinalibus reclamantibus, quod antea sacrae persimiles modo collatae pecuniae Catholicae religioni restituendae parum profuissent), de caeterorum tamen cardinalium consilio atque consensu, ad Ecclesiae ac Catholicae religionis tuitionem, ut ex iisdem Ecclesiasticis bonis, ad quinquaginta aureorum millia annui redditus, rex distrahere posset. Huius tamen rei executionem, minime a regiis commissariis fieri voluit, sed cardinalibus Lotharingio, ac Borbonio, Michaeli Senclensi, et Fabio Goiacensi episcopis, Apostolicis nuntiis, atque Nicolao Senonensi archiepiscopo, munus id demandavit: ea tamen conditione, ut venditiones ac alienationes ejusmodi in haereticorum personas nullo modo fierent; quodque beneficia et Ecclesiae non adeo inde gravarentur, ut divinus cultus in eis peragi non posset; ac insuper, ut pecuniae, nisi in Catholicae religionis defensionem expendere; cum facultate etiam redimendi, ut ex Apostolicis litteris, kalend. Augusti hujus anni perspicue habetur; ita ut non mireris, Thuanum², ut supra vidimus, scripsisse, vel solam magnae hujus Pontificis in regem munificentiae famam, non parvam sectariorum formidinem ingressisse. Apostolicae litterae³ huiusmodi fuere:

¹ Catena. Vit. Pii pag. 80. — ² Ibid. ut supra. — ³ Apud Petr. Frix. in Gallia Purp. lib. 4. pag. 617.

« Pius V episcopus, servus servorum Dei.

« Dilectis filiis nostris, Carolo Borbonio, tituli Sancti Apollinaris, S. R. E. cardinalibus presbyteris, ac venerabilibus fratribus Michaeli Senclensi, et Fabio Goiacensi episcopis, nostris et Apostolicae Sedis apud charissimum in Christo Filium nostrum Carolum Francorum regem Christianissimum nuntiis, ac Nicolao Peluzio archiepiscopo Senonensi salutem et Apostolicam benedictionem. Gravi cum animi nostri molestia intelleximus, ex dilecto filio Annibale auriculario, quem ipse Carolus rex superioribus diebus ad nos misit, quam exhaustae et afflictae sint facultates suae, totiusque sui temporalis domini, quantumque hujus aërii opes, ob maximas impensas, quas ad sedandos et componendos exitiosos periculosissimosque tumultus ab Hugonottis haereticis, et suae majestatis rebellibus in suo regno concitatos, facere coactus fuit, attritae et penitus exanimatae existant, adeo ut pecunias, quibus regnum ipsum, ab eisdem haereticis et rebellibus tueri ac conservare possit, fisci regii rationibus nullo modo valeat comparare. Quare idem Annibal, ejusdem regis nomine nobis humiliter supplicavit, ut aliquod opportunum et salutare subsidium, ex bonis Ecclesiasticis dicti regni ei subministrare vellemus.

« Nos considerantes, dicti regni salutem et Ecclesiastici Ordinis in eo conservationem, in hoc polissimum consistere, ut rex ipse copias et firma praesidia alere possit, quibus dictos rebelles et haereticos et sua ditone expellere, renitentes coercere, vel, quod sane mallemus, errores suos recognoscentes, ad sanitatem fideique Catholicae collum et observantiam revocare valeat: eidem regni praesentaneum auxilium afferre decrevimus, et cum aliunde non possit, ad personas Ecclesiasticas dicti regni, quanquam inviti, confugiendum esse duximus.

« Habita igitur super his, sicut urgens et evidens necessitas, periculique magnitudo postulat, cum nonnullis ejusdem S. R. E. cardinalibus, prudentia et rerum agendarum experientia praeditis, deliberatione matura, vobis, de quorum eximia et singulari fidei integritate, pietate et aequitatis zelo specialem in Domino fiduciam obtinemus, auctoritate Apostolica tenore praesentium injungimus ac mandamus, ut vos conjunctim procedentes, uno, vel duobus, aut altero vestrum impeditis, et huic negotio intendere nequentibus, saltem tres ex vobis, omnem faciliorem et commodiorem modum, viam et rationem excogitaretis et invenire studeatis et procuretis, quatenus tot annui redditus et proventus quorumcumque bonorum immobilium Ecclesiasticorum, etiam feudalium et jurisdictionalium, ad quascumque etiam primatiales, metropolitanas, et cathedrales, collegiatas,

parochiales et alias Ecclesias : necnon monasteria, etiam quæ Capita Ordinum dicuntur, ad capitula, conventus, eorumque mensas, prioratus, præposituras, præpositatus, præceptorias, dignitates etiam majores et principales, canonicatus et præbendas, personatus, administrationes, officia cæteraque beneficia Ecclesiastica, cum cura et sine cura, secularia, et Sancti Benedicti, Sancti Augustini, Cluniacensis, Cisterciensis, Præmonstratensis, Grandimontensis, Fontisebrardi, et quorumcumque aliorum Ordinum Regularium : necnon hospitalia et militia, præterquam Sancti Joannis Hierosolymitani, cæteraque loca Ecclesiastica, etiam exempta, in dicto regno et ducatu Brilanniae, ac Delphinatu, et provincia Provinciae, cæterisque dominiis, terris et locis dicto Carolo regi quomodolibet subjectis consentientia, quovis modo spectantes et pertinentes; quod singulis annis, ad summam centum et quinquaginta millium Francorum ascendant, ad tempus vobis bene visum, cum potestate illos redimendi, affrancandi et liberandi, vendi, concedi et alienari possint. Quo quidem modo per vos, adjuvante Domino, invento, postmodum redditus ac proventus hujusmodi, quibusvis personis, tam laicis quam clericis, etiam cujusvis Ordinis Regularibus, non tamen de fide Catholica suspectis, illos emere volentibus, pro pretio, seu pretiis, reperibili, seu reperilibus, etiam venditionis, concessionis et alienationis, seu quovis alio titulo, concedendi, assignandi, alienandi etc. Non obstantibus Litteris, Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis; et præsertim Symmachii et Pauli II ac Pauli IV, et aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, de rebus Ecclesiae non alienandis. Reservata tamen, ut præfertur, Ecclesiis, Monasteriis, et aliis beneficiis præfatis, illos intra tempus, de quo vobis expediens esse videbitur, ac etiam quovis alio tempore, emptori restituto pretio, per fiscum regium, seu per ipsos Ecclesiasticos liberandi et redimendi facultate etc. Datum Romæ, apud S. Petrum, kal. Augusti MDCXVIII, Pontifice. nostr. anno III ».

166. Et ipso ferme tempore, quo honorum Ecclesiasticorum, de qua loquimur, distractionem Pius permisit, ex qua, ut scribit Gabutius ¹, ex variis Galliarum partibus collectæ pecunie summa fuit, ad quingenta septuagintaque millia nummum aureorum; et ob eandem causam, ut bellum, videlicet, contra hæreticos urgeret; Michaelæ Turriano Cænelensi episcopo revocato, suum ad Galliarum regem internumtum misisse Fabium Mirtum episcopum Calatinum; ad regem ipsum hæc scriptæ litteræ testantur :

« Charissimo in Christo filio nostro, Carolo Francorum regi Christianissimo.

PIUS PP. V.

« Charissime etc. Ven. fratrem episcopum Calatinum ad M. T. debita opera misimus, ejus negotii causa, de quo per Annibalem auricularium nobiscum egisti. Ex his, quæ ipse episcopus tibi referet cognoscere poteris, quantopere pro palerno erga te amore, tui et regni tui utilitatibus, quantum cum Deo possumus, semper consulere cupiamus. Rogamus autem, ut ejus orationi parem fidem habeas, ac si nos ipsos audires. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die II Augusti MDCXVIII, Pontificat. nostr. anno III ».

167. Quod autem a Deo exercituum præstolandam, hostium præcipue fidei, victoriam esse, pro sua pietate Pius intelligeret : hinc, non temporalibus tantum subsidiis, sed spiritualibus etiam, Galliarum regno subveniendum censens, ad Dei opem illi implorandam, publicas ac solemnes Romæ supplicationes indixit, ex Apostolica liberalitate perempto quibuscumque interfuissent, Jubilæo concesso : ut ex Diario Cornelii Firmani habemus, in quo prima supplicatio, a S. Petro ad Ecclesiam S. Spiritus in Saxia, sub die vigesima prima Novembris adnotatur : secunda, ad S. Mariam supra Minervam, vigesima quarta; ac tertia demum vigesima septima ejusdem mensis, a S. Petro ad S. Laurentium in Damaso ponitur. Nec ei defuit Pius ipse, licet adeo ætate ac curis confectus, sed proluxa oratione, pro Galliarum regni salute, Deum deprecatus, publice preces fecit, quas nos ex ipso Firmani Diario ¹ excerptas, ponendas hæc duximus :

« Genuflexus oravit Pontifex, donec cantores in Choro cecinissent voce flebili : *Ecce ergat Deus* etc. Quo dicto, stans, dixit : *Pater noster* etc.

« V. Et ne nos inducas in tentationem.

« R. Sed libera nos a malo.

« V. Eripe nos de manibus inimicorum nostrorum.

« R. Et de persequentibus nos libera nos.

« V. Convertantur retrorsum, et reverentur.

« R. Qui volunt servis tuis mala.

« V. Disperde illos in virtute tua.

« R. Et depone eos, protector noster Domine.

« V. Fiant tanquam pulvis ante faciem venti.

« R. Et Angelus Domini coarctet eos.

« V. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.

« R. Et renovabis faciem terre.

« V. Domine exaudi orationem meam.

« R. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

« Adsit nobis, quæsumus, Domine, virtus

¹ Gabut. ut supra.

¹ Diar. Firman. ex Bibliot. card. Othobon.

Spiritus sancti, quæ et corda nostra elementer expurget et ab omnibus leatur adversis.

« Pientissime Deus, qui iniquitatum ad te conversorum non recordaris, sed eorum gemitus elementer exaudis, templa tua, infidelium manibus profanata respice, et tui dilecti gregis afflictionem : reminiscere hæreditatis tuæ, effusione pretiosissimi tui sanguinis acquisitæ; vineamque, tua plantatam dextera, quam ferus aper exterminare conatur, ferventer visita, ac illius cultores, adversus devastantium rabiem, tua virtute corrobora, victores effice, in eaque bene operantes, tua fac potentia fortiores. Per eundem Christum etc.

« Quibus dictis iterum Pontifex, per horæ spatium oratione permansit ». Ista Firmanus, qui addit a Pontifice præfata die ac supplicatione, tubarum ac organorum sonum interdixisse; quo mærorem ostenderet, quem sibi hæc Galliæ afferrent calamitates.

163. *Hæretici undequaque auxilia petunt, et inter se juramento obstringuntur.* — Dum vero Ecclesiasticorum bonorum distractionem Pontifex permittit regi, ut in hæreticos ac rebelles agere possit : ab hæreticis vicissim ac rebellibus, auctoritate principum, (sic, inquit Thuanus, duces Protestantium vocabant ¹), ut in regem ac Catholicos agere valerent, bona Ecclesiastica distracta fuere, emptoresque reperti, qui toto tractu a Protestantibus occupato, audacter in id pecuniam contulere; et sic, ut rex Romam, quem pluries suo loco memoravimus, Annibalem Auricellarium, tum ad ipsum Pontificem, tum etiam ad senatum Venetum, Ferrariæ, Mantuæ et Florentiæ duces, imo ad Catholicum Hispaniarum regem miserat, ut mutuam ad hoc bellum pecuniam et auxiliares copias impetraret; sic pariter Navarræ regina, ne strenue, rem agente Condæo ac sociis, nihil ipsa agere videretur, ad Elizabetham Anglam scripserat, litterasque Castellerio, ex nobilibus domesticis perferendas dederat, quibus eam, de belli suscepti causa, rationibus ac fœderatorum consilio certiore fecit, petiitque, ut in communi causa, Protestantes auxilio et favore juvaret. Nec in vanum cecidere Navarræ officia; ea præsertim adjuvante Castillionæo ex cardinali, quem ad eam confugisse diximus; nam ingentem pecuniarum vim, et tormenta egregie instructa, cum omni bellico apparatu, statim Elizabetha remisit, ut alibi nos etiam innuisse meminimus.

169. Antequam vero externa hæc sibi auxilia comparare sectarii studuissent; sicut quotquot Catholici fuissent, fidei professione se obstringere rex imperaverat; sic ipsi pariter inter se jurisjurandi quamdam formulam instituerunt, in qua, pro regis auctoritate, et regni

incolumitate, cum alia salutis expediendæ et libertatis conscientiarum tuendæ ratio non fuisset, extrema necessitate se adactos, arma sumpsisse declararunt; quæ nempe minime se deposituros sponderunt, ni ex voto omnia successissent. Et quia, licentia grassante, et simultatibus privatis erumpentibus, multa avare, crudeliter ac libidinose patrabantur; ideo a ducibus, militaris disciplinæ quædam leges fuere præscriptæ, quas hebdomadibus singulis, ne quis ignorantiam præterere valeret, publica præconum voce vulgari imperarunt; quasi in tam impio bello, quale civile est (inquit ipse Thuanus ¹) pietas, fides aut disciplina servari possent. Tamen aliquandiu inter eos illas viguisse scribit; sed mox, sofutis moribus et stipendio militi minime numerato, conviventibus ad prædam ducibus, in perniciosam licentiam, corrupta etiam tandem nobilitate, evasisse asserit.

170. Et revera, ubi ex confluentibus copiis validum circa Rupellam exercitum se jam coegisse agnoverunt, cum nullam a regis resistantiam haberent, Santonum, Pictavorum, Engolismensium provincias, multaque alia præterea Rupellæ ipsi circumvicina loca vastarunt ac crudelissime diriperunt. Impar viribus Mompenserius dux, eorum audaciam coercere usque adhuc minime potuerat; at cum ei auxilio venisset dux Guisius, Brisacus, Bironus, Martinengus, Valletus, hostibus occurrere statuerunt, tum, ut eorum in Catholicos incursiones comprimerent, tum etiam, ut ea, qua nondum occupassent loca ac urbes incolumes servarent. Casu autem accidit, ut eodem tempore Movantius et Acerius, quas confecerant copias in Aquitania, Septimania provincia, spoliis onustas duceret, ut eas Condæi exercitui uniret; qua de re certior factus Mompenserius, eos aggredi statuit; et licet prohibere minime potuerit, quin ad Albam terram ei conjungerentur; tamen apud Messignacum duo millia pedites, et quadringenti hostium equites, cæteris in fugam actis, occisi sunt.

Interea Andegavensis dux, regii exercitus primarius prefectus, validissimo exercitu coacto, hosti occurrere, ac Condæum, priusquam ex Germania, ac aliunde auxiliariis copiis supervenientibus, fortior redderetur, aggredi statuerat. At licet inter utriusque exercitus, coram dispositos, parva quædam certamina commissa sint; majora tamen prohibuit hyemis asperitas, qua recrudescente, ærumnis confectos ex utraque parte, ad quatuor millia et amplius milites obiisse, qui Gallicanas res prolixiori stylo sunt prosecuti, monumentis tradidere.

171. *Avenionensem ditionem ab hæreticorum insidiis servat cardinalis Armeniacus.* — At pu-

¹ Ibid. ut supra.

¹ Ibid. ut supra.

tandum non est, dum universi Galliarum regni tantam sollicitudinem gerebat Pius, minori solertia illius, quæ in eo constituta erat Avenionensis suæ ditionis res curasse. Tam ex Pauli episcopi Carpentratensis quam ex cardinalis de Armeniaco, quas sub anno præterito retulimus, litteris comperat ipse, in Catholica religione tuenda, arcendisque ab ea regione hæreticis, non modo non segniter, ut sibi relatum fuerat, sed e contra vigilantissimum custodem Armeniacum ipsum se præbere. Ad ipsum idcirco rescribens, et exitium ipsius studium in singulis rebus commendat, et fidem insuper, et solertiam Susii regii præfecti dignis laudibus exornat; et de pecunia, quam ad sustinendos necessarios in ea ditione tuenda sumptus mittit, his litteris significat :

« Dilecto filio nostro, Georgio lit. S. Nicolai in Carcere-Tulliano presb. card. de Armeniaco, Avenione Sedis Apostolicæ causa commoranti.

PIUS PAPA V.

« Dilecte etc. Litteras tuas lætum nuntium de iis, quæ gesta sunt, et de auxiliis regiis quæ expectabantur allerentes, libenter legimus, et Deo gratias egimus. Recognovimus ex eis tuam in ista provincia, adversus hæreticos tuenda, vigilantiam atque prudentiam, quo nomine multum Sancta hæc Sedes tibi debet. Gratum illud quoque nobis fuit et pietate tua dignum, quod in castellis receptis, Catholicæ religionis cultum et divini verbi prædicationem continuo restituendum curavisti. Quod dilecti filii Susii præfecti regii, fidem et solertiam laudas, eum nostræ præclaræ de se opinionis, egregie respondisse gaudemus. Avide expectamus litteras tuas, de iis, quæ postea acta fuerint. Nos, quo habeas, unde sumptus necessarios, ad tuendos illos ditionis nostræ populos facere possis, mittimus hoc tempore tibi quinque millia aureorum; majorem, si possemus, pecuniam missuri. Sed, si opus fuerit, majorem omnino subministrabimus. Ad Susium scribimus, operam ejus laudantes. Benedictionem nostram paternam, quam petis, tibi mittimus, Deum orantes, ut suam tibi gratiam suaque dona augeat. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. Die x Februarii MDCXVIII, Pontific. nostr. anno tertio ».

172. Sed qui Avenionensi ditioni Apostolicæ Sedis legatus præerat, Carolus cardinalis Borbonius, ægre admodum hoc ferme tempore tulerat, vel falsa ad Pium de cardinali Armeniaco fuisse delata, vel civitatem Avenionensem, Pii præsidium contra hæreticos implorasse, (quasi in ea, contra infensissimos hostes tuenda, ipso muneri suo defuisset). Iniquiore etiam animo, suspicatus est Pontifex idem, Borbonium ipsum accepturum, et a Venusini Comitatus regimine Sabaterium, et a capitaneatus Palatii officio Cortesonum removisse, prioris-

que munus Paulo Carpentratensi episcopo demandasse, voluisseque, ut in alterius locum, alium omnino ipse, ut præterito anno retulimus, subrogaret. Quæ quidem cum ad se pertinere legatus contendere forte posset, idcirco absque ipsius injuria, id a se factum, monendum existimavit : unde ad ipsius animum delinendum sequentes ad illum litteras dedit, quibus eximia comitate, de his quæ egerat rationem reddidit.

« Dilecto filio nostro Carolo lit. Sancti-Crisogoni presbyt. card. Borbonio legato Avenionensi ¹.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Ex litteris tuis datis die tertia Decembris intelleximus, te moleste tulisse, quod cives Avenionenses, perinde quasi abs te destituti fuissent, a nobis auxilium petierint, quibus tamen tali tempore officia tua nequaquam defuisse scribis. Sed, si circumspicere tua considerabit, quale et quam turbulentum illud tempus extiterit, cum tota Gallia bello ardere coepisset, cum rex Christianissimus, intestino bello implicatus rerum suarum satageret; cum te omnibus itineribus infestis, non facile adire possent; mirari desines, illic confugisse, unde sibi expeditum auxilium fore speraverint. Sed nec illud moleste ferre debes, quod de cardinali Armeniaco actum fuit. Id enim quoque temporis necessitati tribuere debes. Miraberis etiam fortasse, cum audies ven. fratrem episcopum Carpentratensem, a nobis comitatus Venusini regimini præpositum fuisse. Id nos ea sane mente non fecimus, ut jus tuæ legationis immiueremus, sed pro tempore, idemque pro nostro jure. Mos enim hic fuit prædecessorum nostrorum, ut, eo, qui civitatis Avenionensis legatus esset, per ministros et magistratus suos eam civitatem regente, ipsi comitatui Venusino, quem voluissent, rectorem præficerent. Excipimus tempus illud, quo cardinalis Farnesius illam legationem obtinuit; cum enim nepos esset felic. recordat. Pauli papæ Tertii prædecessoris nostri, nemine contradicente, morem eum ipsum intercepit. Nos tamen, ut diximus, episcopum Carpentratensem, donec alius a nobis præficiatur, ei comitatui præesse volumus. Quod curasse te scribis, ut rex Christianissimus civitatem, et locorum ad legationem tuam pertinentium propugnationem susceperet; scias, ministros regis operæ suæ præmium a nobis expectare. Laudamus te tamen de tali officio, nec dubitamus, quin ubicumque sis, populis illis fidei tuæ commissis, ab Apostolica Sede, quibuscumque poteris auxiliis præstiturus sis. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. Die xx Januarii MDCXVIII, Pontific. nostr. anno tertio ».

¹ Ex Archiv. Vatic. ut supra.

173. *In Belgio ducis Albani nimia severitas, unde hæreticorum horrenda facinora.* — Belgæ autem, hoc anno, præteritæ defectionis a Catholica fide, et rege, severas nimis pœnas sub duce Albano luere compulsi sunt; nam Haræo teste, per omnes ejus regionis provincias, superioribus annis turbatas, punire culpa obnoxios, magna severitate cepit, nullo nobilis plebæique discrimine. Bruxellam et alio, maximo numero citati sunt, ex una eademque civitate, aliquando quinquaginta, triginta, viginti pariter vocati; comparentium vero plurima pars apprehensi, pauci impunes evasere. Eorum, qui vocati præsto non adfuerunt, bona fisco regio addicta, multi etiam ministrorum Geusicorum receptatores fautoresque, et templorum violatores, subito in vincula coniecti, magnoque numero, partim laqueo, gladio partim enecali fuere. Contra profugos quoque edicto sancitum fuit, omnes illos, qui fugam meditati fuissent, vel adornarentur, deferendos accusandosque: eorum bona in teloniis, itineribus, provinciarum limitibus retinenda: eos autem, qui reticuisissent, ac conniventes extitissent, profugorum crimini suspectos habendos, iisdemque pœnis mulcandos: decreta navium curruumque hujusmodi bona vehementium confiscatio. Interdictum insuper, proscriptos, exilio mulctatos, profugos, quacumque ratione hospitio recipere, eis pecuniam destinare, Epistolas scribere, aut ab eis scriptas, missasve accipere, aliaque nonnulla his similia.

Inter eos vero, qui in jus vocati fuere, hujus anni initio, extitisse etiam principem Orangeum, aliosque proceres inferius recensendos, communiter tradunt scriptores, licet Haræus, ut diximus, id præterito anno factum commemoret. At Albani hæc procedendi ratio majorem metum hominibus incussit, ac pœne in desperationem adegit, eoque quosdam perpulit, ut magno grege, uxoribus domibusque relictis, se in Occidentalis Flandriæ sylvas abdiderint: qui e latebris noctu prodeuntes, sacerdotes, monachos quocumque locorum deprehensos, immaniter persequerentur, facultatibus spoliarent, auribus naribusque truncarent, aliaque immania scelera committerent; quæ fuse in Epistola¹ hoc ferme tempore scripta ad cardinalem Alexandrinum a Joanne Srachmano, Ordinis Prædicatorum alumno, referuntur his verbis:

« In tribulatione magna et impetu, qui supervenit nobis in istis annis, ex quo viri Belial totam nostram patriam inferiorem devastare ceperunt, adhuc constituti; operæ pretium duxi illustrissimæ dominationi referre, quæ a paucis diebus mala et inaudita flagitia contigerunt in Flandria Occidentali. Nam, postquam

excellenissimus dux Albanus, modo gubernator nostræ patriæ, xxiv Januarii, edicto publico vocasset, atque ad comparendum coram sua excellentia Bruxellæ, ad respondendum objectis criminibus atque delictis, pro certo et præfinito tempore, cujus diæ peremptorius erit vii Martii sequentis, sub pœna perpetui exilii, et confiscatione omnium bonorum, citasset infra-scriptos, videlicet principem Orange, comitem Ludovicum de Nassau, fratrem prædicti principis, comitem Hochstranum et Vandebergta, dominos de Brederode et Euserboreli, atque in dies postea citari jubeat diversos utriusque sexus. Ex hac, inquam, justitia tam grandi et manifesta, non solum non redierunt ad eor, sed ultra sexaginta viri, aut forte centum, simul in malum congregati in occiduo Flandriæ, non procul a civitate Yprensi, in quodam nemore, cui nomen Nieppe, se continentes, atque frequenlius excurrentes, furis agitati, sathanico spiritu in pastores ac parochos Ecclesiarum, adeo crudeliter et inaudita ferocitate feruntur fuisse debacchati, ut amplius quam viginti quinque sacerdotes, crudelissime variis injuriis affectos occiderint atque necaverint. Nam quosdam gladiis et hastis transfoderunt, alios vero vivos in terram defossos usque ad caput ipsum, lapidibus obruerunt; nonnullos vero truncatis manibus et pedibus, ad ignem asservunt; et quis talia referendo temperet a lacrymis? Imo a fide dignis audivi referri, qualiter ipsi Diabolici, acceperunt quemdam sacerdotem, et eum nudum palam ligaverunt ad arborem, deinde accipientes gattum, seu felum, ligaverunt super pectus nudi sacerdotis, et ut Sampson caudibus vulpium alligavit faculas ardentes, sic illi gatto ignem supposuerunt, qui dum magis magisque ureretur ex cruciatu, miserum sacerdotem nudum sic dilaniavit, ut ei cor evulserit. Facinus nunquam a seculo auditum. Et si quispiam Catholicus, non sacerdos, in manus ipsorum incidisset, huic tantam gratiam contulerunt, ut postquam nares atque aures amputarint, acceptis omnibus abire permiserint. O Deus bone, quando finis tantorum malorum! Et quidem justè hæc patimur, ut qui peccavimus Domino Deo nostro; sed ne in finem obliviscatur misereri Deus, genibus provolutus, et lacrymis perfusus pro me, totaque nostra patria a beatissimo Domino nostro humillime sacram (quanta Deus dare dignatur devotione) ex intimo corde expecto ac suscipio benedictionem, et preces, quibus sancti aliquando in similibus necessitatibus; ita nunc confido de Dei bonitate, nos recepturos maximum solamen, speroque futurum, ut Dei justa indignatio in misericordiam convertatur; sicut, et Deo immortali invisibilique placuit istis diebus radiis suæ bonitatis fulgere super nos, dum solertia atque diligentia suæ Excellentie ducis Toletani, veluti divinæ justi-

¹ Excerpt. ex prop. original. ex Archiv. card. Alexand.

tiae instrumento, placuit Domino Deo tradere in manibus iustitiae praecipuos istorum perfidorum capitaneos, et aliquot ex eis interfecti fuere, reliqui fugientes, in praedictum nemus se abdiderunt. Et quia ob continuam pluviam locus est inaccessibilis, residuum istorum nebulorum capi non modo potest, spero tamen neque istos, nec alios, ne unum quidem evasurum: sed Deum ipsis redditorum, quod nostro Domino Deo, sanctisque ipsis Sacramentis, Ecclesiis, locisque sacris, atque sanctorum imaginibus, Deique ministris, obstinato animo irrogaverunt contumeliosissime; sic tamen, ut spiritum salvum cupiam et orem, pro qua re orare non cesso, simulque pro vestra illustrissima dominatione ac beatissimi domini nostri longeva salutari vita, hoc exulcerato saeculo adeo necessaria. Bruxellae xxii Februarii m^olxxviii ».

174. His praedonibus ac grassatoribus, Geusiorum agrestium sive Silvestrium nomen tributum fuisse, Haræus¹ et ab Isselt narrant: ac in tantum excrevisse numerum pariter referunt, ut Albanus militum turmas in eos mittere compulsus fuerit, ut audisti. Verum cum parum hoc modo proficeret, eorumque pauci deprehendi possent: paulo post edicto contra eos promulgato, ne deinceps ferali pæne ea barbarie in sacerdotes savire possent, mandavit paucis extra urbem constitutis, ut proprios parochos ac sacerdotes omni cura vigilantiaque custodirent, tuerentur incolumesque conservarent; alioquin damna eis quoquomodo illata reparare, atque iudicium astimatione, in interitum restituerent tenebantur.

Majori vero crudelitate etiam sectarios savituros censendum est in Albanum ipsum, si forte sceleratas in eum manus injicere potuissent, ut Quadragesimali tempore hoc anno commoliti sunt, cum ipse religionis causa Gronedalense monasterium adiret; verum audax inceptum evanuit, prodicione Albano ipsi delata, quorum tamen auctores praeter unum, debitas pro delicto pænas luere, cogere haud potuit.

175. *Orangius in jus vocatus parere recusat: eadem inferunt orthodoxi haeretici, et vicissim haeretici orthodoxis.* — Orangius interea, cum nobilibus aliis in jus vocatus, non modo intra statutum tempus adesse renuerat, ac Albani iudicium, editis libellis rejecerat; sed a Protestantibus principibus Germaniae suppeliis impetratis, diversis partibus regressum in patriam fuerat meditatus. Sed infausto eventu; nam in Juliacensi agro a sectariis coactae, a Comite Lodronio et Sanchio Avila dissipatae sunt, pluribus caesis, Nusio Vilersioque ducibus captis. Cochevillius Gallus quoque, qui in Francia et Arthesiae finibus, pro Orangio militem couscri-

bebat, captus, cum suorum praecipuis, capite truncatur, Belgis cæteris, qui fugam arripere nequiverant, trucidatis. Magnam e contra eadem intulere Orthodoxis Orangii fratres, Ludovicus et Adolphus Nassovii, qui in agro Groningano plura nuper loca occupaverant; ad quae passim uno ore scriptores cuncti litteris commendarunt. Libeat hic ex Epistola altera a praefato Joanne Straetlimano data, confirmare. Dicit igitur¹:

« Debito manuum osculo eum omni humilitate, ac supplicii mei commendatione praemisso; vestrae illustrissimae dominationi, quas valeo refero gratias, quod in suis litteris, de data duodecim. kal. Maii (quas cum ingenti recepi gaudio, ac iteratis vicibus legi prid. Junii) tam paterne et efficaciter in omnibus nostris angustiis, quibus iuste affligimur, consolari me dignetur. Spero tandem æquissimam Dei adversum nostram patriam, iram atque indignationem, precibus atque meritis Sanctissimi Domini nostri (in quibus nedum nos, sed merito pluris confidit universus orbis Christianus, gaudetque de tanto pastore ac patre, maxime hoc lamentabili saeculo, tam necessario sibi caelitus dato) necnon illustrissimae vestrae dominationis (non illuissimae vestrae dominationis) inter nos hoc malum grassatur; utque multiplicatis intercessoribus facilius et abundantius largiatur nobis veniam, pacem atque sanctae fidei unionem miserericors Dominus. Lubentissime acquiescentes nos omnes consilio illustrissimae vestrae dominationis, quanto poterimus favore non cessabimus invocare tam pium Dominum Deum nostrum, ut magis magisque effulgeat super nos splendor divinae suae gratiae, cujus singulari beneficio a nostris militibus caesa fuere in Festo D. Marci Evangelistae supra Trajectum superius, non procul a civitate Ruremondensi, circiter duo millia tam haereticorum quam rebellantium; ac capti duo admodum nobiles, dominus de Villiers, et D. de Du, atque unus, non dico praedicator, sed pestiferus seductor. Non tamen hac clade accepta acquieverunt haeretici; sed paulo post iterum congregari ceperunt in regione Frisiae (quae est ultima et postrema pars nostrae patriae inferioris, vicina Westphaliae et regno Daniae, et ducatu Saxoniae), sub duce atque capitaneo comite Ludovico de Nassau fratre principis Orange; contra quos ab illustrissimo duce Albano missi cum fuissent, nobilissimus atque religiosissimus atque patronus omnium religiosorum, potissimum pater nostri conventus Bruxellensis comes de Alimbergh vel Altembergh, tanquam capitaneus generalis, cum nonnullis Hispanis militibus; et comes di-

¹ Harraei Annal. Ab Isselt. Histo.

¹ Ex Archiv. card. Alexandrin. ut supra.

quam copiae amborum simul essent junctae, nescio quo Dei iudicio, aut quia frigidi sumus nimium in placanda Dei ira, sen quia, ut olim cum filiis Israel (Josue vi) ita nobiscum agere voluit, dicens, et nobis improperans: Peccavit Israel, et prevaricatus est pactum meum, nec poterit stare ante hostes suos, eosque fugiet, non ero ultra vobiscum, donec conferatis eum, qui hujus sceleris reus est; aut certe quia aderat tempus percipiendae coronae pro laboribus; ecce nostro et omnium Catholicorum maximo malo ac detrimento et mœrore, dum multum diuque ipse invictissimus, atque pientissimus comes Alimbergh, (qui per multos annos nomine regiae et Catholicae majestatis fidelissime Frisiae fuerat gubernator, optimamque illius regionis habuerat notitiam) restitisset fervori Hispanorum militum non ferentium dilationem, necvolentium expectare, donec comes di Meghen, cum suo milite eis esset conjunctus; victus tandem comes Arembergh importunitatibus Hispanorum atque murmurationibus, et proposito eis periculo, in quo per exploratores noverat eos constitutos, si socios non expectarent: cum videret ipse comes Alimbergh se nihil proficere, nec amplius posse continere Hispanum militem; veluti futurus jamjam Christi martyr (ut confido de Dei bonitate) projecit se in hostem, e quibus dum multos, animo invictoprostravisset, et fratrem principis Orange, atque Ludovici Nassau, nomine Adolphum, vehementi ictu occidisset, ipsumque comitem Ludovicum graviter vulnerasset: cum ipse comes Alimbergh, cum suis paucis cingeretur, et undique ab hostibus oppugnaretur, qui multo erant plures numero; etiam sub ipso successive duo equi corruissent, et pedes, manibus inimicorum vitam abstulisset; tandem (ut spero) volens Deus tanto labori et certamini, felicem atque beatum imponere fidem ictu bombardæ, (proh dolor! et nequeo hoc scribere, nisi abundanter prorumpant lacrymæ) cæditur ipse religiosissimus comes Alimbergh, una cum quingentis militibus Hispanis, tribus capitaneis, et quinque egregiis vexilliferis Hispanorum, die xxix. Maii. Itaque periit ibidem tantus comes con il Terzo di Sardegna, ut vocant, ex quorum morte in maximum dolorem meritissime omnes Catholici ceciderunt. Sed pientissima uxor comitis prædicti inconsolabiliter lamentatur, plangitque, ac suspirat continuo, ob mortem charissimi atque dilectissimi sui mariti, quem non cessaverat ipsa, utpote vicina et singularis patrona fratribus nostri conventus, ferventissimis precibus assidue commendare. O quam vellem nobilissimam atque pientissimam hanc dominam in omnibus suis maximis angustiis a Sua Sanctitate dignam esse habitam, quæ litteras acciperet consolatorias. Et licet hæc (pace Suae Sanctitatis) a me ipso scribam, non

dubito quin maximam adferrent consolationem.

« Sed revertamur unde digressi sumus. Postquam hæc tristia contigissent, comes da Meghen recepit se cum suis in loco munitissimo, non procul ab hostibus prope civitatem fortem Gruningensem, quæ subest regi nostro, recepitque nostrum militem. Interea temporis non cessat illustrissimus dux Albanus, noster gubernator, summa sollicitudine atque diligentia, versus illam regionem, in magno numero destinare militem, atque exercitum congregare. Non cessabo, una cum quoscumque habere poterò, ferventer orare clementissimum Dominum nostrum Jesum Christum, ut nobis victoriam in posterum de hostibus nostris concedere dignetur etc. Bruxellæ vi Junii MDCLVIII ».

Commissum autem prælium illud fuisse, non quart. kal. Junii, ut Stracthmanus scribit, sed non. kal. ejusdem mensis, alii contendunt; de quo etiam prætereunda non est Mendosæ Hispani, apud Haræum ¹ sententia: « Plures existimant (inquit) Aremberghium offensum indignis clamoribus militum quorundam Hispanorum, dicentium nolle eum cum hoste confligere, sed sinere eum elabi; eamque ob causam permisisse Hispanis iniquo loco hostem invadere. Sed credibile non est tantum ducem exercitus, qui toties militem in hostem duxerat, murmurationibus militum, in suos duces, jactari fere semper consuetis, offensum fuisse, uti propterea aleam tanti conflictus periclitaretur, si ratio non idem permisisset, maxime probe ei perspecta, et commoditate loci, quem hostis insederat, et incommoda circumstantium locorum palustrium. Quare credendum est, ducta primum tantum, dispositaque ab ea in hostem bellica tormenta, quo magis eum ad pugnam laceraret, impediretque ne elaberetur ». Sic illa: at hujusmodi, rationabilibus alioquin conjecturis, præponenda nihilominus videntur, quæ adeo specialim refert Stracthmanus, quæque nonnisi ab oculatis ac probatissimis testibus intellexisse censendum est. De cætero paucis immutatis confirmat Mendosa ² relata ab eo egregii hujus Catholici ducis facinora; nam: « In equites hostiles (inquit) qui, duce Adolpho Nassovio, Orangii et Ludovici fratre, latera tuebantur, fortiter irruit, strenueque decertans, sua manu Adolphum, aliosque nobites duos, quibus cinctus ille depugnabat, interfecit. Et quanquam incidit, equo suo transosso, Arembergius in terram laberetur, restitutus tamen a nostris in equum alterum, animose æque in hostem regreditur, donec et equus ille sub eo mortuus concidit. Tunc se conspiciens peditem gravi armatura, pugnandi lassitudine, simulque podagra impeditus, cum se pedibus non valere animadverteret, ostiolo

¹ Apud Haræum. Annal. pag. 26. — ² Ut supra.

prati vicini innititur, ubi circumfusus ab hoste, eo animi ardore, quo semper Deo regique servierat, tandem gladio laterali depugnat, donec vulneribus confectus occubuit ». Hæc Mendosa de Arembergio strenuissimo duce, cum quo quadringentos et quinquaginta circiter milites, ex singulis turmis promptiores eo in prælio occubuisse, narrat. Alii vero mille ducentos, tum Hispanos, tum Germanos circiter periisse. Comitibus autem Arembergii corpus, in sacra æde monasterii Eligerlæi conditum fuit. Relictam vero ejus, vel sua sponte, vel Stractmani motu nutu, ut non obscure Stractmanus ipse indicat, Pius sequentibus litteris consolatus est, in quibus de Arembergii ejusdem virtutibus præclarum perhibet testimonium.

« Dilectæ in Christo filiæ, nobili mulieri Margaritæ a Maria, relictæ Comitibus de Arembergh¹.

PIUS PP. V.

« Dilecta etc. Obitus conjugis tui comitis de Arembergh, ejus memoria in benedictione sit, eo nos mœrore affecit, quem talis viri mors tam alieno tempore postulavit. Etenim jam antea audieramus, quam Catholicus ille vir, quam fortis et constans Catholicæ Ecclesiæ propugnator ac defensor esset; quam egregiam operam in bello adversus hæreticos, et antea in regno Franciæ navasset, et hoc tempore in partibus istis navaret. Itaque Catholicum regem et pios omnes maximam jacturam fecisse judicamus, amisso tanto viro, in tanta præsertim talium virorum et ducum penuria. Etsi autem, et publico damno commovemur et tuo etiam privato dolemus, tamen et superiora ejus in Catholicam religionem merita recordantes, et hoc recens considerantes, quod ut Christi fortissimus athleta, et tanquam martyr interit; tantum abest, ut ejus causa dolendum esse existimemus, ut in maximi et singularis beneficii loco, tam præclarum mortis genus a Deo accipiendum esse censeamus, et cum eo præclarissime actum fuisse putemus; qui spiritum, quem a Deo et Creatore suo acceperat, pro ejus honore et religione fortissime pugnans illi reddiderit. Proinde paterna tecum benedictione nostra salutantes, hortamur, ut tu quoque tanlum divinæ misericordiæ in eum beneficium, grato accipiens animo, lugere tanquam mortuum desinas, qui, sicut de Dei misericordia confidimus, ad meliorem et veriorem vitam, ex hujus vitæ miseriis transit. Hoc ut erga te fungeremur officio, tali tuo tempore adacti fuimus studio, quod erga ipsum maritum tuum, pro ejus virtute et meritis in Catholicam religionem susceperamus: quod erga domum ejus conservaturi sumus, etsi qua occasio dabitur etiam aliis officiis de-

claraturi. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI Julii MDCXVIII, Pontific. nostr. ann. III ».

Quantum Apostolicæ Pii hæc Epistolæ pietissimæ viduæ dolorem relevaverint, ex mox dandis Stractmani, qui Pontifici, ut vidimus, suavor fuerat, ut eas scriberet, elicietur. In repellendis autem hæreticorum conatibus demortui viri munus subire quodammodo coactam ipsam quoque fuisse; Stractmanus idem his verbis scribit:

« Illustrissime atque reverendissime domine¹.

« Debito etc. Non facile dixerim, illustrissime domine, quantum gaudii, qualis et exultationis attulerint Breve Sæ Sanctitatis, quod hodie obtuli illustrissimæ Comitissæ de Arembergh; quanta illud susceperit reverentia, magnaque devotione, quod, præ gaudio incredibili, excusserit lacrymas, ipse, qui præsens vidi, explicare non valeo. O quam opportune hæc venit consolatio! Siquidem narravit mihi nobilis hæc comitissa, quomodo post deprædationem aliquot villagiorum suorum, ab hinc biduo vel triduo, erant delatæ minæ inimicorum Dei, sanctæ fidei, majestatis Catholicæ atque Orthodoxorum, quibus minabantur se occupaturos fortissimum suum castrum de Arembergh cum suo adjacenti territorio. Siquidem perfidissimus ille princeps Orange cum suis confœderatis proditoribus Dei, regis et patriæ, magno cum exercitu tam equitum quam peditum, transivit Estenum fluvium, atque primum hoc castrum occupare vult, quo facilius, et in nostram regionem pateat ingressus, quam vipera illa versipellis, Christi hostis et homo diabolicus occupare contendit; sed frustra, ut Dei confido clementia; quinimo in extremam ipsius suorumque ruinam, licet et populum Leodiensem, nonnulli metuant illi satis addictum. Nobilis vero hæc domina, et militibus, et paratu bellico hanc arcem suam munivit, confiditque, Dei auxilio, inimicos, nisi confusionem sibi ipsis paraturos: nam præterea locus natura est munitus. Illustrissimus autem dux Albanus omnem suum militem in vicinis collocavit præsidiis, nolens se incerto ac vario eventui ipsius belli exponere, ne totam Christianitatem maximo exponeret discrimini; sed satis illi erit, si hostem ab ingressu nostræ patriæ cohibere poterit, et ad pecuniarum penuriam deducere; quod de Dei misericordia certo spero facturum. Sæ Sanctitati sanctissimos pedes cum omni humilitate nobilis hæc mulier exosculatur; et ego cum devotione me Sæ Sanctitatis benedictioni subicio, cujus munere Dei dono, ab infirmitate, qua laboravi, me liberatum sentio etc. Bruxellæ xx Augusti MDCXVIII ».

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

¹ Ex Archiv. card. Alexandrin.

176. *Albano jubente, nobiles captivi capite plectuntur; curiæ Culeburganæ ædificium solo æquat.* — Albanus interea, vel quod de hostibus vindictam sumere, vel quod iis impavidum se intrepidumque præbere voluerit, ut nonnulli censuerunt, vel quod id agendum existimaret. priusquam ipse (ut decreverat) contra hostes eosdem procederet, ut alii scripserunt; nobiles, quos captivos tenebat, morti adjudicavit, ut Hispanorum etiam opera (quorum custodiae erant traditi) aliis locis uti posset. Itaque nil cunctatus hebdomada ante Pentecosten hujus anni, nempe kalend. Junii Bruxellæ capite truncari jussit dominos Gisbertum et Teodorum Batenburgios, Petrum Andelotum, Philippum Winglenum, Cocum, virum nobilem, Egmondani domesticum, Joannem Bloysium Terlonium, Philippum Triestium, Gandavensem, Bartholomæum Valkæum, Arthum, Batsonem Hermannum Galama, et Syrdium Beyrmanum Fristos, Jacobum Delpendam, Treminium Pelterium, Constantinum Brunsellum, Joannem Reynoldum, Ludovicum Carlierium, Petrum et Philippum Waterlosios fratres: ac præterea quart. non. Junii Joannem Montignæum Villerisii dominum, dominum Duyum, et Quintinum Benedictum Enghenni præfectum. Qui omnes (inquit Hareus) capite plexi sunt, crebro interim tympanorum reboante sono: ejus quidem causam detegit præfatus Stractmanus in superioribus allata Epistola ad cardinalem Alexandrinum, in qua, et eorum quos commemoravimus, et Egmondani insuper, ac Hornani comitum, qui pariter nonis Junii mortem oppetiere, extremum supplicium hac ratione describit: ¹

« Illustrissimum ducem Albanum nostrum gubernatorem, in annos plurimos sanum, salvum et incolumem, (Deus dignetur) servare; quem existimo, ob id hac elapsa hebdomada suam jussisse expurgare aream; nam die prima Junii per justitiam Buxellæ, spectante omni populo decapitati fuere duo fratres Balembergenses, una cum novem aliis nobilibus: qui dum plecterentur, sonuerunt tympanis, ne pestifera ipsorum verba audirentur, atque Psalmi quos canebant; nam hi in perfidia mortui fuere. Quibus assumptis, septem alii, ut Catholici, sacerdotes habentes præsentes, sine strepitu tympanorum decapitati fuere. Et quinto die in vigilia Pentecostes, cum sese disposuissent nocte precedenti, atque cum maxima contritione, ac devotione reverendissimo episcopo Yprensi sacramentalem fecissent confessionem, illustrissimi comites, Egmondæus et de Horne, atque summo mane in vigilia Pentecostes, celebrante eodem reverendissimo episcopo, de manibus suis maximis lacrymis, et ingenti fervore sacram sumpsissent Communionem, atque ad

nostrum misissent conventum, postulantes preces fratrum pro felici egressu animarum ipsorum. Ubi jam sua disposuissent, et in Deo essent corroborati, in foro publico Bruxellæ, una hora ante meridiem, spectante omni populo (flente de tam tristi spectaculo, quia eos prius viderant in summo honore et gloria) cum summa devotione et totius populi ædificatione, animo infracto, capitis obruncatione voluntarie mortem petiere, quarum animas Deus in sua sancta requie suscipere dignetur etc. ». Hactenus ille. Verum de Hornano quidem, ubi de corpore actum esse intellexisset, de anima ac conscientia parum sollicitum fuisse scribit Bentivolius. At contrarium referunt scriptores cæleri, qui pietatis, quæ ex Stractmanno audisti eum dedisse signa recensent. Egmondano nihilominus, utpote magis Catholice mortuo majores ab Ecclesiasticis carceronias, quam Hornano adhibitas fuisse, scribit Hareus. Die quoque Veneris supplicium hoc Egmondanum ac Hornanum, non Sabbato ante Pentecosten subisse dicit; at cum facili supputatione hæc deprehendi a quovis possint, ideo ineptum esset his immorari. Præter alia vero conjurationis ac perduellionis crimina, damnatis objecta, illud pariter fuisse, quod cum Hispaniarum principe in regem conspirassent, infra dicitur.

177. *Vilvordicæ etiam, mortis subire pœnam plurimi compulsi sunt, inter quos Antonius Stralins, pridem Antuerpiæ consul, ac earum quas commemoravimus ejusdem civitatis barbarum præcipuus auctor, debitas scelerum pœnas luit; quatuor etiam alii, ut Bentivolius narrat, in hæretica perversitate pertinaces, qui pariter sacra templa diriperant ac sacrilege vastaverant, vivi ignibus traditi fuere; ac deum alibi tot ultimo supplicio affecti sunt, tantaque populorum formidine, ut ubique nil, nisi lacrymæ, suspiria ac gemitus audirentur, miserante in primis toto Belgio ac indigne ferente Egmondani mortem. Nonnullos strophiola sanguini occisorum in perpetuam rei memoriam secunda intigisse, plures asserunt; et revera ex hoc ab Albano, si non injuste, inopportune saltem, effuso, sanguine cruentiora manasse in religionem ac regem certamina, quæ sunt subsequuta facile declarant.*

Culeburganæ curiæ ædificium pariter funditus dirui ac solo æquari Albanus imperavit; quod in eo prima barbarum semina ac conjurationis germina pullulassent; erecta deinde in loco, ubi fuerat, quadratis epistylis columna, in qua quatuor linguis inscriptio incisa: in ea hæc legebantur:

« Regnante Philippo II Cath. Hispan. rege, in his suis inferioris Germaniæ regionibus, gubernante vero ejus nomine Fernando Alvarez de Toledo, Alva: Duce, Florentii de Pallant, Comitis Culeburgii quondam domum, solo

¹ Ibid. ut supra.

æquari sancitum est, ob execrandam memoriam, reperta in ea conjurationis, adversus religionem Eccles. Cath. Romanæ, regiam majestatem, et ipsas regiones. Anno a salute MDLXVIII, quint. kal. Junii ».

178. *Præclaram victoriam de Nassovio duce refert Albanus, de qua Pontificem certiorum facit.* — His actis, Albanus, initio Julii Groningam versus iter arripit, ut eam urbem a Ludovico Nassovio, post cæsuum Arembergium ejusque profligatum exercitum obsidione pressam, liberaret; ipsumque etiam Nassovium, si posset, opprimeret. Verum ille, Albani adventu cum numero exercitu comperto, statim obsidionem solvit, ac in tutiorem locum circa Lemingam, ad Amasin fluvium se recipere studuit. At consilium ejus Albanus prævertit; nam, missis ab eo militibus, initio quidem paucis, ac explorandi dumtaxat gratia, postmodum pluribus, ut levi tantum prælio confligerent, toto demum exercitu inimicis aggreditur, eorum paucis admodum repugnantibus, pluribus submersis, paucissimis fuga elapsis; quod eam hinc Amasis fluvius, illinc paludes prohibuissent. Ad septem eorum millia mortui dicuntur. Ludovicus, juxta Haræum, naviculae præsidio salvus Emdam pervenit Bentivolius, natando sibi consultuisse asserit, militaribus signis, bellicis tormentis, impedimentisque omnibus in hostium potestatem relictis. Hac præclara victoria, egregioque certamine, in quo paucissimi Catholicorum perire, Arembergii, ac sociorum sanguinis paulo ante a sectariis effusi, sumpta est vindicta. Sed audiamus quid de ea Stractmanus ad cardinalem Alexandrinum scripsit¹:

« Scribitur (inquit) IV Regum, vii: *Hæc enim dies boni nuntii est. Si tacerimus, et noluerimus nuntiare, sceleris arguemur: Venite, eamus, et nuntiemus in aula regibus.* Et Tobie xii: *Etenim sacramentum regis abscondere bonum est: opera autem Dei revelare et confiteri, honorificum est;* quoniam illuxit nobis dies exultationis, et vox laudis; quoniam Deus fecit virtutem in populo suo. Laudemus Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se, sed adimplevit misericordiam suam, quam promisit Ecclesiæ suæ sanctæ, et interfecit hostes populi sui. O benedictus Deus totius consolationis, Pater misericordiarum, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, deditque gratiam post varia, longa, inauditaque tristia, vel jam saltem posse referre hæc læta nova, videlicet, quod, cum illustrissimus dux Albanus, nostræ patriæ gubernator, xiv die Julii venisset cum suis in Frigiam; postero die, congregato omni exercitu suo, convocatis capitaneis, jussit in tribus diversis partibus invadi et oppugnari inimicos Dei, fidei, sanctorum Dei, atque religiosorum,

omnium Catholicorum, quorum magnus erat numerus, sub ipsorum duce, ac capitaneo præcipuo comite Ludovico de Nassau fratre principis Orange, qui cum suis altis ac profundis fossis egregie se munierat. Cum itaque Sol ille divinus effulgeret super Castra Catholicorum, Dei speciali adjutorio, tandem vi irruerunt in loca munita hostium: ubi strages et cædes plurimorum, abjectisque armis, ac vestimentis, turpissime fugere cæperunt; sed tam celeriter a Catholicis fuere percuciti, quod et tormenta bellica, et bombardas, atque vexilla in nostram potestatem reliquerunt, atque quanquam pontes comburerent, tamen omnis ipsorum equitatus, demptis paucis, remansit occisus, ac insuper cæsa, ac partim profligata sunt septem millia hostium. Laus Deo in æternum, qui luctum nostrum mutavit in gaudium, qui inimicos nostros contrivit, et quod residuum est e finibus nostris propulit. Bruxellæ xxv Julii MDLXVIII ». Sic Epistola.

Comitem Schoverembergium tamen cum magna equitum parte evasisse, scribit Haræus¹, qui etiam cum Bentivolio ac aliis, Nassovii exercitum septem circiter millium cum peditem tum equitum instructum dumtaxat fuisse narrat; unde septem hostium millia præter equites minime occisos esse potuisse, evidentissime appareat. Verum, cum prælium commissum fuerit die vigesima prima Julii, et Stractmanus hanc Epistolam vigesima quinta ejusdem mensis die conscripserit; mirum non est nonnulla in illa minus exacte scripta reperiri, quod res hujusmodi ubi primo innotescunt, fama passim amplificare consueverit; uti accidit, cum unico quondam ab Absalone percussio fratre Amnon², fama tamen, quæ ad David pervenit, omnes filios regis, nec uno quidem superlito, occisos detulit.

Vetiora tamen ad Pontificem detulisse Albanum censendum est, cum eum de insigni hac relata contra sectarios victoria certiorum reddidit. Epistolam nacli sumus ab eodem Albano ad Pium hæc occasione conscriptam, quæ licet nisi ipsam victoriam indicet, eam nihilominus ex Hispanico idiomate Latine conversam, hic ponere duximus. Dicit igitur³:

« Sanctissime et beatissime pater.

« Cum eadem beatitudinis vestræ, meique regis sancta mens sit, pro qua Christus Dominus dignatus fuit victoriam elapsi mensis decima quinta die elargiri; placuit ipsi etiam aliam absolutissimam die prima supra vigesimam hujus mensis adjungere, quemadmodum Sanctitas Vestra, ex relatione D. Joannis de Zuniga accipiet. Ex hoc facile erit Sanctitati Vestræ zelum regis mei deprehendere, quanti-

¹ Ex Archiv. card. Alexandrin.

¹ Haræus Annal. ut supra; Bentivol. et alii. — ² I Reg. cap. 13.

— ³ Ex Archiv. card. Alexandrin.

que ad nos hæ res fiant. Gratias igitur Deo agamus, de cuius dextera cuncta proveniunt; quem precor Sanctitatem Vestram tueatur augeatque, ut Christianæ reipublicæ necessitas exposcit. Rayphemii xxv Julii MDCXVIII.

« Sanctissime et beatissime pater, pedes Sanctitalis Vestre osculor ».

Duas in hac Epistola a se relatas victorias recensere Albanus putandum est, quod obsidionis Groningæ, sub die xi Julii, solutionem primam censuerit; alteram vero sub die xxi Julii ejusdem mensis, qua penitus Orangii exercitum devexit.

179. *Pii ad Albanum litteræ gratulatoriæ.* — Ubi igitur victoriæ nuntium ab Albano Pontifex accepit, festim, ut narrat Gabuti¹, tribus ineuntis Augusti diebus, ad sacras tres Urbis Basilicas celebres supplicationes, ibique rem divinam, magna faciendam æcerimonia, ac pauperibus eroganda subsidia decrevit; quibus quidem supplicationibus cum universo clero populoque Romano ipsemet pedes interfuit, ad gratias divinæ majestati ex more agendas. Et quod (ut præfatus subjungit) insigne fuit, eximio pietatis exemplo, dum sic pedibus procedens, sacras preces de libello, quem manibus tenebat pie recitaret; tam supervenientem pluviam, quam solis æstum imperturbato animo parvipendit. Et de his quidem certiore ipse reddere Albanum voluit, cum ipsius Epistolæ respondens, sic scripsit:

« Dilecto filio, nobili viro Ferdinando, Albæ duci, pro rege Catholico in partibus inferioris Germaniæ gubernatori².

PIUS PAPA V.

« Dilecte etc. Cum ex superioribus tuis litteris, quibus nos de expeditione, quam parabas in Frisiam, certiores feceras, virtutem et prudentiam tuam bene cognitam habentes, in spem magnam venissemus, aliquid, Deo juvante, abs te egregium gestum iri; ingenti gaudio affecti fuimus, postquam ex tuis litteris, et dilecto filio nobili viro Jo. a Zunica referente cognovimus, te adversus Dei et Ecclesiæ hostes, regisque rebelles, rem prospere gessisse. Itaque sublati manibus, statim Omnipotenti Deo humili corde gratias et ipsi egimus, et a clero, et populo universo, ut decuit, agendas curavimus. Etenim supplicationes publicas continuo indiximus, easque maxima cum hominum frequentia, per triduum, non sine maxima omnium gratulatione celebravimus, divinam majestatem precantes, ut ad periculum, quod fidei et religioni Catholice et Ecclesiis omnibus in istis partibus imminere depellendum, suum auxilium tibi præstare perseveret. Tantum divinæ misericord-

die munus, abs te pio gratoque animo, ut debet, agnoscere, litteræ tuæ declarant. Luculentam sane victoriam adeptus es, et ad superiora tua decora, maximum gloriæ cumulum addidisti. Sic solet Deus cum iis agere, qui divino ejus honori fideliter inserviunt, et de ejus religione bene mereri student. Quod tu quidem, et fecisti semper, et ut perseveres in pia ista voluntate, nostra exhortatione non eges. Augeat tibi gratiam suam Dominus, et te istis charissimii filii nostri regis Catholici provincias, ita virtute tua pacare concedat: ut dissipatis ejus inimicis, pristinus in eis Catholice religionis cultus, ad divini sui nominis gloriam et animarum salutem, per te revocetur, et tuorum laborum præmium, tibi, et in hoc, et in altero sæculo tribuat. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vii Augusti MDCXVIII, Pontific. nostr. ann. III ».

Ac ejusdem fere tenoris haud multo post, ad eundem Albanum, quas subjicimus gratulatorias alias Epistolas dedisse reperimus: quod forte de insigni ea victoria magis instructus, vel de iis, qui ipsam consecuti fuerant optimis effectibus a Zunicæ oratore edoctus fuisse.

« Dilecto filio, nobili viro Ferdinando Toledo, duci Albæ. ¹

PIUS PP. V.

« Dilecte fili etc. Nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. Ex litteris tuis die xxv Julii datis, et ex dilecto filio viro Joanne a Zunica cognovimus, quam prospere rem iterum adversus hæreticos, et eosdem serenissimi regis rebelles gesseris. Benedictus Dominus, qui in tot curis et angoribus nostris, tam lætis nuntiis nos consolari dignatur. Gaudemus, religionis Catholice causa, tam luculentam tibi victoriam a Deo donatam fuisse: gaudemus charissimi filii nostri regis Catholici causa. Tibi vero non solum gratulamur, cui prælia Domini præliant, tam manifeste superum adest auxilium: sed etiam totius Ecclesiæ nomine gratias agimus, quod nullis defatigatus laboribus, nullis deterritus periculis, de ea bene mereri non desistis. Perge, dilecte fili, his tanquam gradibus, tibi viam ad sempiternam gloriam munire, et sicuti cepisti, enitere, ut in provinciis istis religionem Catholicam in pristinum statum redigas. Cujus rei gloria omnium ducum et imperatorum victorias superabit. Salvum te et incolumem divina majestas conservet. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvi Augusti MDCXVIII, Pontificat. nostri anno tertio ».

Ad majorem vero hæreticorum animis metum inveniendum, Urbe tota Pontifex, et ignibus, et omnium arcis tormentorum festo strepitu, universos impense lætari imperavit.

¹ Gabuti¹ Vita Pii lib. 2. capit. 9. pag. 82. — ² Ex Archiv. Vatican. ut supra.

¹ Apud Goub. Epist. lib. 2. Epist. 15.

180. *E Germania in Belgium redit Orangius, sed mox solvere exercitum cogitur.* — Ludovicus Nassovius interea, post acceptam cladem, apud fratrem Orangium in Germaniam se recepit, ubi ille magnum sibi exercitum comparaverat, quo Belgium reverteretur. Et ex sententia ei quidem primum cessit consilium; nam patriam ingredi potuit, non ut eam defenderet, ut impie iactabat, sed ut innumeris potius ac inauditis scelatoribus suis copiis dehonestaret. Ac initio quidem (ut habet Chronologus Leodiensis) modeste se habere, mox ingenium prodere, sacra profanare, quemvis etiam indiscriminatim opprimere visi sunt: « In pago Villarii (Chronologi ¹ ejusdem sunt verba) uno a Tungris milliari, calcata pedibus sacra synaxis, sacro infirmorum oleo inuncti calcei, imagines deturbate, fœdاتا altaria, plerisque aliis locis ablati sacri catices, sacre vestes in profanos usus commutatae. Alibi sacerdotes miseris modis afflictii; in quosdam etiam præcis naribus, et auribus, excoriato vertice, exsectisque ventribus mutilos, veluti in scopum bombardis, jaculatum est, etc. Orangius Leoncastri exiguo Leodiorum oppido, metatis castris, Dominicæ die, suis stipatus, coniectioni novi præconis evangelici, quem secum ducebat, interest; ejus finis fuit iconomachia, quæ statim subsecuta est: nec hoc satis: Dominum Dei in equorum stabulum vertit, sacris profanatis deprædatisque. Neque interea desinebat Orangius Trudonenses, missis fecialibus ad dedicationem sollicitare: ex suis enim didicerat in oppido plurimos esse, qui ejus partes, vel solo religionis novæ et affectatæ studio foverent; Noostratanus ille inter alios missus, multis verborum lenociniis persuadere nititur, ut quod jam pridem animo destinarent, intrepide peragerent, portas sibi et aliquot nobilibus adaperirent. Adesse principem Orangium, amicum et protectorem; dumque pars oppidi sanior eum eo colloquitur, et ejus conatus illudere tentat; ecce per nefarios quosdam panduntur portæ, moxque Noostratanus cum suis, partim nobilibus, partim gregariis oppidi potitur, claves ad Orangium in castra deferri jubet, præsidium imponit, arcissimam custodia portas munit, omnia denique suo arbitrio disponit.

« Oppido hac ratione in Orangii potestatem redacto, sacerdotum in primis et monachorum Ordo in gravi periculo versabatur. Igitur plerique omnes vitæ consulentes habitum commutant, alii fœno, alii granorum acervis se abscondunt, alii secretiora ædium loca inquireunt; nonnulli humiles domos cursim petunt. Cœnobium ibi Benedictinorum longe amplissimum, aurea argenteaque supellectili, vino, frumento, aliisque rebus amplissime instructum diripitur. Abbas, ut vesanum militum furorem et hostiles

sannas evitaret, se in locum secretiorem abdidit; verum aliquandiu et loci squalorem et factorem perpepsus, seu diligenti quærentium indagine, seu quorundam improborum, qui domus secreta explorata habebant, iudiciis demonstratus, capitur et abducitur, donec tandem viginti præterea dalerorum millibus libertatem redimeret. Fuerunt et alii nonnulli deprehensi, gravi ære muletati, cives opulentiores, auro, argento, supellectili quoque spoliati, rusticorum bona, illic ante pro securitate adducta, evecta; præda conflata, multorum iudicio, octies centenis aureorum millibus aestimata. Extracta insuper tormenta bellica, bombardæ pulvisque tormentarius, magno proborum civium incrore, qui ne mutire quidem audebant. Confugerat eo paulo ante abbattissa de Herkenrode, sed inde lepido stratagemate, mutata veste et habitu, onerario curru vecta se subdixit.

« Sub medium Octobris miserat Condæus ex Galliis in Orangii subsidium quinque pedium Gasconum millia, equitum duo. Hi, Janlio et Rentio ductoribus, ad Monasterium S. Huberti in Ardena recta contendunt, illud cum vico et xenodochio depopulantur: in magnificum illud D. Huberti fanum ignes immittunt. Cœnobium etiam ut vetustissimum, sic et celeberrimum unius diei spatio flammis edacibus absumendum tradunt. Secesserat cœnobiarcha, suæ suorumque vitæ consulens in arcem vicinam Mirwart. Gascones huc illuc cursitantes, et commodum iter in Brabantiam quærentes, tandem in pagum de Hastria, sesquilapide a Diantis dissitum, veniunt, eumque prius occuparunt, quam cuiquam illorum adventus innotuisset. Facto igitur mox in cœnobium impetu, religiosum quemdam templum forte verrentem scopeto perimunt, portas violento impetu perfringunt; monasterium templumque depopulatum igne absumunt: hinc citato gradu ad Orangium contendunt. Illic, die Octobris vigesimo, cum ex veterano milite domino de Vairezzo didicisset Albanus, hostilem peditatum, pro meliori parte apud Montinacum ab equitatu dissitum in page de Pelleine agere, difficulterque a sociis suppetias habere posse, magna celeritate occasionem utens, eum adortur, cædit, profligat; ceciderunt plusquam duo millia, extinetis plerisque, partim in villa vicina combustis aut gladio cæsis. Inter victos strenue dimicans Philippus de Marles Lonervallis, et Fornemontii dominus graviter vulneratus, captivus Vilvordiam non rediturus abducitur; sed, et eo prælio ferebatur scopeto sauciatus comes Noostratanus, qui accepto vulnere nunquam postea convaleuit.

« Clades hæc inopinata Orangium male habuit: pergit tamen in incepto, et in Gallo-Brabantiam, Geldoniam progreditur, quod ut Albanus inaudivit, ne quid periculi esset in mora, sedibus mutatis, castra ad Parcense monaste-

¹ Chronolog. Leodien.

rium, Lovanio proximum figit. Orangius Geldoniam oppidulum, templumque depopulatum relinquit, deturbatis simul fractisque pro more suorum, imaginibus altaribusque eversis. Paulo post Heyglesemense cœnobium non procul a Thenis, opibus valens et velustate commendandum, spoliatum quoque et fedatum est. Pridie SS. Simonis et Judæ leviter oppugnantur Thænæ, sed quas animose propugnatur Niergius cum suis copiis. Hinc ut parum pro voto Orangio negotium primarium succedit, hæret dubius quidnam potissimum tentet; etenim nec redire qua irruerat via, ob Mosæ inundationem licebat.

« Interea Lumæjus Orangio militans cœnobium virginis vallis nostræ dominæ, uno ab Hoyoy lapide, deprædatur; inde Florense monasterium ad Mosæ ripam ingressus spoliat, navem mercatoriam isthuc de more transeuntem perlustrat, repertum in ea monachum extrahit, caudæ equi sui alligatum, per montes vallesque ad ipsa usque suburbia Hoyensia raptat. Demum postridie kal. Novembris Orangiæ se ad portas ipsas Leodiensium insinuant, domos in S. Walburgis suburbio diripiunt, incendunt: mox sistit se ab Orangio fecialis (heraldum vocant), transitum darent, sin minus vim experirentur. Responsum, nec posse, nec ex re civitatis esse hoc rerum statu transitum concedere; si vim fecerit, præsulæ et cives sibi non defuturos. Sub idem tempus Orangius scribit Abbati S. Laurentii et aliis nonnullis Ecclesiasticis prælatis, centum millia scutorum sibi numerari petens; futurum alioquin, ut eorum monasteria et villas igne absumat. Quibus minime responsum fuit. Erat tunc temporis Orangius castrametatus cum lectioni equitatu in pagis de Longin et Bierset, uno circiter a Leodio milliario; misitque Orangius Leodium pro transitu secundo; sed idem quod supra, tulit responsum. Quare ipso S. Huberti festo, qui Novembris dies tertius est, mitit tertio; atque iterum ejus copiæ gregatim ædem S. Egydii in monte publico petunt; inde ad S. Margharætæ, et alia loca vicina deflectunt, magna licet itineris molestia, locis natura præruptis, et jactis transversum arboribus fere inaccessibleibus; unde conjici facile poterat, preces ejus armatas esse. Nihilominus pari constantia laconice responsum, non pati præsentem rerum statum, nec transitum permittere, nec prolixè cum eo communicare. Hinc tertium passus repulsam, litteras scribit irarum plenas, sibi suum exitium impudent. Leodienses tubicini ejusmodi minaces litteras ferenti, laqueum, si ulterius quidvisve aliud, minantur. Occupant igitur Orangiæ suburbia, fossas deducunt, aggeres extruunt, tormenta apparant, scalas advehunt, tormenta explodunt, clamores ingentes utrimque excitantur. Præsul interea vigilantissimus, perfidiæ quorundam civium suorum non igna-

rus, quo signa conjurationis hinc inde muta consisterent, severissime edicit, ne qui sua se statione dimoveant, nec horæ campanæ noctu diuque sonitum edant. Mox in equitatum per montes ad civitatis muros adventantem, tormenta explodi, et peditum jam consistentium tentoria, diversoriaque, creberrimis bombardarum ictibus concuti disjicique mandat. Atque hæc quidem Novembris die quarto, cum incredibili animositate, nocte dieque cives prosequantur. Orangius nihil se proficere, Albanumque imminere sibi cernens, monasteriis et aliis domibus vicinis ignes injicit, sique discedit. Tria inter alia tunc famosissima monasteria conflagrata, idem tradit, postque subjungit:

« Inde Hannoniæ Orangius petit: quo in itinere similiter Boneffiense cœnobium, et Bellovacum oppidulum, Bonæ quoque Spei monasterium igne in favillas vertit. In hoc cœnobio monachum quemdam, pudendis in camino a sacrilegis istis suspensum fuisse, traditur. Ad extremum Franciam ingressi, ubi aliquot diebus istihic moram traxissent, et frustra se Condæi copiis jungere conati essent, per Mediomaticum fines longe lateque prædabundi sese effundunt. Sequebatur Orangium a tergo Albanus, qui ubi eum a Belgio exclusit, Cameraci se per aliquot dies, quid hostis ageret, exploratum continet; ubi intellexit Condæum et Ammiralium non procul a Pictavis in fugam actos, casas etiam copias pedestres, sed et subsidia ad Condæum properantia, ad quatuor armorum millia, ab Omalio esse dissipata. Demum mense Decembri, dispositis ubique præsidiiis, Bruxellam rediit, die ejus mensis vigesimo». Sic Leodiensis Chronologus, cujus narrationem comprobandam duximus, ex toties memorato Stractmano; ut hinc evidentiora fiant, quæ pro patria, (ut sectarii loquuntur) egregia Orangius gessit facinora; eadem siquidem, quæ Leodiensis pluribus est prosequutus, paucis comprehendisse, sequenti ad cardinalem Alexandrinum Epistola¹ visus est. Dicit enim:

« Non sine causa (illustrissime domine) tantillo tempore a scribendo quievi. Nam cum exordia tragædiarum essent tristia admodum, doloribus, timoribus ac perturbationibus plena, certo confidens, quod non in finem obliviscetur misereri Deus, neque continebit in ira sua misericordias suas; sed quod esset futurum tempus miserendi, respiceretque orationem humilium, et non sperneret preces eorum; et quod post nubilum, tranquillum ipse sua inexhausta faceret clementia; usque modo sili, relaturus in præsentiarum brevibus, in quantis versati fuerimus periculis et quam clementer manus suæ potentia ab eisdem nos liberaverit Dominus. Elapsus itaque mensibus, cum Auranus, prin-

¹ Ex Archiv. card. Alexandrin.

ceps omnium perfidorum, cum justo exercitu suo pestifero ab una Mosæ fluminis parte, Albæ vero dux præclarissimus ab alia, cum suo amplissimum instructissimoque exercitu gessissent; tandem inopinatu movens Aurantius sua castra, tribus aut quatuor milliariis a castris ducis Albæ vado inter Masseurick oppidum episcopi Leodiensis, et Stockum ejusdem castellum, Mosam flumen transgressus, omnemque vim versus castra ducis ducere cepit, qui statim quoque eo castra movit, et magis animis uterque exercitus se alteri ob oculos aciebus instructis opponit. Sed paucis tormentorum ictibus invicem cum parvo detrimento salutaris princeps .

..... versus castra movit. Nihil interim hostile Leodiensibus moliens, ut videbatur, ibique cum exercitu aliquot dies permansit, dubius an Leodium an Brabantiae ducatum invadere vellet. Dux Albæ cum exercitu suo, cum sequitur levibus præliis et excursionibus continue infestavit. Sed nuntio allato, quod aliquot equitum turmæ et peditum numerus, subsidio principi ex Gallis jam Brabantiae fines attingisset, princeps obviam ire constituit, transivitque in Brabantiam, Jodonium antiquum Brabantiae oppidulum usque, ubi Gallicus exercitui principis junxit: qui transitu merito non parum metum Edensibus et Lovaniensibus dedit; sed quia firmo erant præsidio muniti, audacioribus animis urbem utramque suam defensioni præparant. Cum jam aliquot dies Aurantius cum suis circa Jodonium supradictum tempus trivisset, et in quodam levi prælio bonam partem suorum peditum amisisset, capto eorum duce Lovervallio, duce insigni et strenuo, nobili Namurcensi; præter omnium opinionem, omnium suorum castrorum vim repente Leodium versus convertit; ita ut prius muros civitatis quater cepisset, quam sciretur quo tenderet, sed conjuratione aliorum civium Leodiensium cum principe detecta, et quod ducis exercitus cum omni diligentia insequeretur et prope instaret; oppugnatione relicta, aliquot celeberrimis monasteriis templisque extra Leodium exustis, agroque Leodiensium misere vastato, iterum Brabantiam cum magna celeritate repetiit, et Bruxellam Lovaniumque versus se contendere fingit. Hinc iterum ingens oboritur metus, fitque fuga non modica, atque templa aliorum pagorum diruit et incendit; quamplurimas aedes atque integra villagia Wicano tradidit rusticosque miris modis divexavit. Quapropter dux Lovanium ampliori præsidio munit, Bruxellam quoque præsidium mittit, et ipse cum toto exercitu sequitur, atque juxta Lovanium castrametatus est. Quo attentio Aurantius ille sathanicus Cembelosusium petiit, et inde Hannoniæ comitatum versus; grassaturque, ut in Brabantia fecerat, ac in itinere igne absunit insignem Abbatiam Bonæ-Spei,

præterea multa templa, aliaque cœnobîa, et post quamplurima perpetrata mala, inde Cambresium petiit, juxta Cameracum, istiusque oppidi muros tormentis quatit partemque diruit; sed quia firmo erat præsidio munitum, re infecta, et nullo præterea insultu facto miser ille homo Franciam versus contendit, quem dux est cum exercitu sequutus Cambresium usque; et postquam tanta mala in nostris regionibus, Ecclesiis Dei, monasteriis atque rusticis intulit; fertur in finibus Campaniæ in Francia existens, jam solvere exercitum, atque reditum in Germaniam meditari cum suis; sed non redibunt omnes, nam certo aiunt ipsum circiter octo millia, tam peditum quam potissimum equitum perdidisse. Deus cum cum suis convertat, aut funditus perdat, ne iterum redire valeat, Ecclesiamque Dei tam misere divexet; sed Ecclesia sancta fruatur pace, unaque sit fides mentium et pietas actionum etc. Bruxellæ XII Decembris MDLXVIII.

181. Sic ille: at de soluto exercitu Auriaci, audi quæ apud Haræum, scriptor quidam Bata-vus, monumentis tradidit: « Orangius cum fratribus, præcipuisque ducibus exercitus, ulterius in Franciam tendere, seque Condæanis copiis conjungere statuerat; verum orto dissidio, militum vulgus longius proficisci recusat, in Albanum, non in alium, operam se addixisse affirmant; in Germanicum solum reduci, stipendiaque solvi exposcunt. Hic neque monita, neque preces (quod prompta pecunia non adesset) profuere. Quare Orangius, per Campaniam et Lothariugiam exercitum in Germaniam non procul Argentorato educere cogitur. Hic milites, stipendio tenuiter numerato, dispersim discedunt: ipse enim Orangius tormentis impedimentisque omnibus Argentorati venditis, stipendia, ut potuit, solvit ». Sic ibi.

182. *Orangius non patriæ defensor, sed proditor.* — Sectarii autem scriptores, dum ea quæ usque adhuc recensuimus commemorare coguntur, toti in eo sunt, ut in ducis Albani tyrannidem malum omne rejiciant. Imo Orangius ipse, cum ingentem, quam mox narravimus expeditionem, pararet, ejus rationes typis excusas quint. kal. Augusti hoc anno promulgavit, titulo belli, ad Dei honorem, regis Hispaniæ, necnon Cæsareæ majestatis, ejusque filiorum, tanquam proximorum regis hæredum utilitatem suscepti, contra sævissimam furibundi ducis Albani tyrannidem. Quo etiam nomine, omnium undique auxilia requisivit, ac in vexillis pluribus inscribi imperavit: PRO LEGE, GREGE, et REGE. In aliis vero pellicanus pingi, qui cordis sui sanguine, pullos pasceret; quod vera, videlicet, ac sincera, erga Belgas pietate se commotum Auriacum ostenderet, ut pro communi omnium salute, non sua modo, sed se insuper ipsum traderet ac impenderet.

Verum quam abfuerit a præclaris hujus-

modi symbolis, inscriptionibus, ac mire exco-
gitatis prætextibus Auriaci mens, et quæ præ-
cesserunt, et quæ inde sequuta sunt, abunde
satis ostendunt. Quis enim Scytharum aut Bar-
barorum, infensissimas regiones invadentium,
cladibus, rapinis, incendiis tam dire vexavit,
ut Belgium Auriacus? Esto enim, quod jure ac
justitia ad summam usque injuriam usus fuerit
Albanus, quod supra decem et octo nimirum
millia Belgarum (ut aiunt) carnifici trucidandos
tradiderit; quod violenter decimas vigesimasque
petierit ac extorsit, ac his similia multa patra-
verit, quæ sanæ mentis ac fidei nemo compro-
bare plene unquam potuit, ut ex Orthodoxis no-
stris scriptoribus æstimare est, qui, et ipsi pas-
sim Albani ingenium hoc execrati sint; cum
tamen, vel fidei zelo, vel ad comprimendos regis
sui rebelles; vel tandem cum res ei cum sectariis
fuerit, quorum iniquitum ac improbum
genium, nullis lenitatis ac benignitatis officiis
deliniri posse, quæ eodem hoc tempore, in Scot-
ia, Galliis, ac alibi evenerant, satis superque
perspicuum reddant; habuit certe unde sævitiem
suam Albanus idem, aliqua saltem specie, rati-
onabili obducere excusatione. At Auriaco, qui
venerat pro grege et rege pugnaturus; qui pel-
licani symbolum usurpaverat; qui ad eximen-
dum ab Albani tyrannide Belgium, arma sump-
sisse tam stolidè quam perperam se jactabat;
qua ratione, cuncta diripere, innocentes, qui in
eum arma non sumpserant, sævissimis modis
necare; ac patriam demum, quam sibi servan-
dam proposuerat, ferro ac igne consumere li-
cuit? Quod si dicatur ad debellandos hostes jure
belli hæc necessario patrasse; respondebitur
sane, tot templa eversa, diruta monasteria, ac
alia ejusmodi nefarie igni tradita vel eversa;
nil ei utilitatis, nil damni adversario contulisse,
cum belli robur in his nullatenus esset; unde
istorum dejectionem ac eversionem, non nisi ad
deturpandam patriam excoGITATAM fuisse
fateri necesse sit. Quod si religionis odio id
tribuatur; poterant certe sublatis, quæ impietas
oderat, in iisdem tamen locis ingentis saltem
molis ædificia ad decorem patriæ servari, nec
ea oportebat, vel solo sternere, vel incendio
flagrare. Quod si (ut jactitabant), pro sola conscientiarum
suarum libertate Auriacus, quique
ei adhærebant, arma arripuerant, non erat unde
ea ratione aliorum conscientias vim inferre
debuisset; cum sacræ ædes, cœnobîa ac tem-
pla, quæ Catholicis patuissent, nullam prorsus
vim inferrent sectariis. At cum insana mente,
nefario consilio, non ipse modo Auriacus pieta-
tem ac fidem abjecisset, sed penitus toto Belgio
evellere diris modis decrevisset; dignum sane vi-
sum fuit, ut juxta oraculum illud; Judicium sine
misericordia fieret eis, qui misericordiam non
fecissent. Quæ quidem obiter dicenda duximus,
non ut Albani consilium omnino excusare vide-

remur; sed ut veritati consulentes, Augustini-
num¹ illud merito pronuntiandum existime-
mus; quod, si ille reus fuit, in eorum tamen
comparatione, multo innocentiorum fuisse, di-
cendum sit.

183. Et revera adhuc ab eo tempore, ut Dei,
regis, ac patriæ proditorum habitum fuisse
Auriacum, constat ex Epistolis toties memorati
Stractmani ad cardinalem Alexandrinum; nam
sub die vigesima nona Augusti hujus anni²:
« Siquidem (scribit) perfidissimus ille princeps
Orange cum suis confederalis, proditoribus
Dei, regis ac patriæ, magno cum exercitu, tam
equitum quam peditum transivit Estenum fluv-
ium, atque primum hoc castrum (Aremberg.)
occupare vult, quo facilius ei in nostram regio-
nem pateat ingressus, quam vipera illa versi-
pellis, Christi hostis, ac homo diabolicus, oc-
cupare contendit etc. ». Et in altera sub die
xii Septembris³: « Dicam (inquit) itaque in
præsentiarum solum hoc verbum, quod quia
superbia eorum qui Christum oderunt ascendit
semper, ideo princeps ille Orange, princeps et
caput omnium perfidorum, cum suis scelestis-
simis conjuratoribus atque conspiratoribus,
imitantes patrem suum Diabolum, qui toties
victus, sitiens sanctorum sanguinem machinis
iterum bellum instaurat; sic pariter hic, Dei
sacrorum ac patriæ proditor cum suis, maximo
cum exercitu, tam peditum quam equitum,
contra nos venit, ut Dei fidem subvertat, sacra
polluat, misceat sacra profanis, dejiciatque sta-
tum Ecclesiasticum, atque Catholicos erroribus
pestiferis inficiat. Sed huic Goliath etc. ».

184. Sic ille: et quidem his dignum se præ-
buisse laudibus ac elogiis Auriacum, impiis-
sima nefandissimaque, longe quam quæ Al-
banus patravit, abunde demonstrant. Quo autem
ad illud, quod sectarii scriptores toto conatu
suadere conituntur, nempe ideo plures Belga-
rum provincias Hispaniarum regis se imperio
subduxisse, quod ad extremum hoc, eas imma-
nis Albani tyrannis adegerit; ineptum procul
dubio cognoscitur; cum hæreticorum omnium
ejus temporis illud potissimum fuisse consilium
evidentissime deprehendatur, ut cum sacerdo-
tali, quod excuserant, regale quoque onus ab-
jicerent. Inquietum enim malum, plenumque
veneno mortifero, sub libertatis conscientiæ
specie, omnimodam sibi libertatem vindicans
hæresis, nullius potestati, quamvis sublimiori
se subjeci passa est; ut passim testantur, quæ
in Galliis, Scotia, Polonia ac alibi hoc ipso
tempore evenere; nam, licet iis in regionibus
sævitiæ suam, nec Albanus nec Albano similes
exercuerint; tamen reges deturbati ac indignis
modis affecti ibidem conspecti sunt.

¹ Divi Aug. in Psal. LXXIII. ad vers. 2. — ² Ex Archiv. card
Alexandr. et orig. — ³ Ibid. ut supra.

185. *Prodigium in Hispano milite: reformatio Ordinum in Belgio.* — Inter barbara ac immania Auriaci ac seclatorum ejus facinora prætereundum tamen non est, quod se, ex scriptoribus pluribus, fide dignis accepisse Gabulius¹ testatur, ac hoc bello divinitus evenisse tradit: « Magna (inquit) omnium admiratione, et utinam pari hæreticorum ad reclam fidem conversionem, Hispanum militem Catholicum, inter alios, quos illa peremerunt, ab Aurantio captum, arborique alligatum, impii milites hæretici, æneorum tormentorum ictibus occidere conati; tantum abfuit, ut illum confoderent, ut ne creberrimis quidem ac vehementissimis ignitis globis in eum emissis, vel minimum lædere potuerint. Quo viso obstupefacti, eum vestibus exuere cœperunt; rati hominem, occultis quibusdam armis communitum, quæ tormentorum vis penetrare non posset. Sed cum nihil in eo præsidii reperissent, præter sacrum agnum e collo pendentem, ex iis, ut conjectum, quos Pius V primo sui Pontificatus anno, de more consecraverat: (eorum namque magnum numerum in Hispaniam, Galliam et Belgium, præsertim militibus pro, fide Catholica dimicantibus, distribuendos curaverat,) hoc illi detracto, primo transverberatus occubuit ». Sic ille.

Illud vero quod idem subdit, Pontificem nempe, viros decrevisse, qui in Belgio, cœnobarum ordines monasteria perlustrarent, ut recognoscere, ac ad veterem pietatis disciplinam revocarent (ut in Hispania quoque precibus Philippi II factum fuisse, inferius commemorabimus), confirmat etiam Stractmanus in Epistola ad cardinalem Alexandrinum² hoc modo:

« Cum omnia in hac Belgica regione, post ingentem et incredibilem rerum tempestatem, novam quandam reformationem spirare viderentur; non sine numinis singulari providentia factum est, ut et sanctissimus D. Dominici Ordo (qui quorundam improbitate traductus ac difamatus etiam coram sua Sanctitate, ut fertur, miseris modis fuit), aliorum fratrum incuria, ob sæculi hujus in nostris regionibus perversitatem, aliquantisper in nonnullis remissus, ad meliorem faciem statumque anhelaret. Hac itaque de causa inopinato, tanquam prosperum et salutiferum sidus, admodum R. P. F. Vincentius Hierulanus hic nobis apparuit, ut discussis ac expolis (si quæ irrepserant) abusu nebulosum, ad puriorem lucem religionem apud nos revocaret, nosque falso delatos ab omni iniquitate defenderet liberaretque. Qui insuper, tam prudenter, tam ingeniose, atque flagrantissimo zelo ac pietate quasdam theses, ad sinceriores Dei cultum non mediocriter pertinentes, nobis proposuit, et servandas commendavit; quas ope

Dei singulari, alacriter omnes eas amplexati sumus, adeo ut in spem maximam sint adducti priores conventuum præsidentes, a se primum, deinde et a suis subditis quidquid statutum erat commode posse observari; ita ut confidamus illius sudores perstrenuorumque labores, handquaquam fore irritos. Quapropter supremo Numini immortales primum debentur gratiæ, deinde Sanctissimi nostri nunquam satis prædicato laudatoque sancto zelo, postremo reverendissimi magistri nostri generalis accensissimæ qua nos benigne respexit et fovit charitati. Neque hic silentio præterire fas est, indefessam ad nos missi admodum reverendi patris commissariis diligentiam paternamque benevolentiam. Cæterum vel jam saltem ad me (qui in capitulo nostro provinciali, celebrato xxu Augusti, primus fui diffinitor capituli, licet indignus) vehementer pertinere sum arbitratus, capituli nostri in regia hac urbe Bruxellæ felicem successum vestræ illustrissimæ dominationis per litteras, cum coram non detur, significare; quo non levem gaudiorum materiam sæ Sanctitati, tanquam sedulus ac obsequens filius exhibeam, mihi que ipsi secundum et proclive iter ad sacratissimam benedictionem suæ Sanctitatis parem, aperiamque etc. Bruxellæ vii Octobris MDLXVIII ».

Hoc ipsum testatur præfatus Frater Vincencius, scripta ad eundem cardinalem Epistola, sub die vigesima octava Augusti, quam brevitalis gratia prætermisimus: cum his, quæ proposuimus religiosorum Ordinum in Belgio reformationi, Pium hoc anno incubuisse, satis sit innuisse.

186. *Quid sentiendum sit de captivitate et morte Caroli, regis Hispani filii.* — An vero, cum rebellibus Belgis fœdus inierit Hispaniarum princeps Carolus, unicus Philippi II regis filius, incertum est, multi licet id asseruerint. Hoc siquidem anno ipse patris jussu tenetur, ac summa omnium admiratione, in custodiam traditur. Nos dabimus super ea re, quæ ex originalibus ipsis Epistolis, tum a rege Philippo manu sua ad Pontificem scriptis; tum a Rossanensi archiepiscopo, apud ipsum regem tunc Apostolicæ Sedis nuntio, ad cardinalem Alexandrinum datis, accepimus; ac ejusmodi quidem Rossanensis Epistola fuit¹:

« Illustrissime ac reverendissime domine colendissime.

« Proximis superioribus diebus cum rex ab urbe hac abesset, secreto quibusdam in monasteriis preces fieri jussit, quibus a Deo peteretur, ut bene fausteque dirigere dignaretur maximum quoddam negotium, quod sibi fuerat peragendum. Religiosissimum siquidem hunc morem habet hic princeps, quoties magni

¹ Gabulius Vit. Pli lib. 2. cap. 11. pag. 82. — ² Ex Archiv. card. Alex.

¹ Ex Archiv. card. Alexandr. ex propr. original.

ponderis aliquid efficere aggreditur. Cum nemo antem cogitatione assequi posset, quidnam hoc esset, Dominica, decima octava hujus mensis, mediam postnoctem, rex cum quatuor aut quinque sui status consiliariis, in principis filii cubiculum descendit, et, ut intellexi, magno, tranquillo ac imperterrito animo, paucis usus verbis, arma principi eidem subduxit, qui in cubili suo quiescebat, ac illum, appositis custodibus inclusit, scripturis omnibus quæ tum in cubiculo ejus, tum apud eos qui a secretis illius sunt sublatis, proceribusque nonnullis illius familiaritio mancipatis.

« Hodie, rex a domino presidente mihi significare fecit, præter rationem, quam ipse de his redditurus est, hoc speciali tabellario Sanctitati Suae, tum datis ad eum Epistolis, tum per oratorem suum aut procuratorem; me quoque edoceri voluisse, quod causa, ob quam id effecti, ea tantummodo fuit, quod Dei honori potius ac Catholicæ religioni conservationi, necnon regnorum ac subditorum suorum incolunitati, quam carni et sanguini proprio prospicere ipse maluisset. Quapropter (cum alia ratio iniri non posset) in Dei obsequium quodammodo unicum filium suum sacrificaverat, ne nimis ingrato se animo gereret, erga innumera, quibus quotidie a Deo ipso beneficia cumulabatur. Modo tamen se ulterius explicare non posse, addidit: in dies tamen omnia ac singula Sanctitati Suae significaturum, eidemque tanquam benignissimo patri de omnibus rationem se redditurum; ex quibus Sanctitas sua, ad id peragendum se necessitate compulsam, immenso licet cordis sui dolore, ac animi perturbatione, ut æstimare fas erat, deinceps intellexisset. Hæc summatim sunt, quæ regis nomine mihi retulit præses, cui inter loquendum, cum dixissem difficile nimis mihi videri, quod ubique vulgi sermone vulgatum erat, principem nempe hunc in regem patrem insidias quoque struxisse: respondit, id parvi aut prope nihili habendum fuisset, nisi aliud, quam regis vita in periculum extitisset adducta; huic enim alia ratione occurri poterat; pejora adfuerant, si deteriora tamen excogitari poterant, quibus certe regia majestas, ut oportune provideret, jam biennio studuerat, quod jam ex eo tempore in pejora juvenem dilabi vidisset; at nunquam turbidum hujus ingenium moderari valuerat, adeo ut, necessitate tandem cogente, huc sit processum.

« Et revera, cum ego regem hunc agnoscam in cunctis quæ agit æquissimum, erga suum ac benevolam, atque in omni actione sua valde circumspectam; causam, quæ ad id eum impulsisset, in primis gravissimam ac necessariam judicaveram. At, quam nusquam credideram, ab eodem domino præside gravior tamen descripta fuit, singularia licet non dixerit:

quamvis ex loquendi modo intelligi satis possit, quæstionem capitis super hac re conficiendam, scriptioque mandandam, atque ulterius inquirendum esse in hac causa, cui Deus felicem finem tribuere dignetur.

« Pari modo eam rex singulis consiliariis suis hic presentibus communicari voluit; imo præsulibus, baronibus, omnibusque regnorum suorum universitatibus (istis præcipue Castellæ, in quibus principes futurus hæres jam inauguratus est) significari; ita ut maximi ponderis res absque dubio habenda sit, nec simplex tantum patris correctio æstimanda. Et hæc de iis, quæ a domino præside audiui, dominationi tuæ referre possum. At quæ in aula dicuntur plura sunt, sed admodum dubia et incerta, imo excogitata potius, quam vera existimantur. Unum est tamen, idque passim omnes tanquam evidens, et certissimum habent, quod, quamvis plura, et ex multo jam tempore fuerint capita; quod nihilominus dominus Joannes Austriacus, proximis his elapsis diebus, de his regem admonere, pro debiti sui ratione adactus fuerit, quæ tandem ejusmodi executionem maturarunt. Hoc autem asserere non audeo, nisi ex communi aula dictorio.

« Tabellarium nullum, neque hinc, neque aliunde discedere permisit regia majestas, antequam hunc primum mitteret, quo (ut æquum est) ante omnes Sanctitatem suam, deinde alios Italiæ principes, de his certiores reddat: quapropter hæc tibi prius nuntiare nequivi, quæ forsitan Romam delata, quasi per manus tradita fuerit longe ante, quam illuc hujus aulæ Epistolæ pervenerint.

« Quamvis majestas regia incredibile exhibit animi robur ac fortitudinem, nihilominus intimis animi sensibus torqueri, ut quisque censere potest, evidentissimeprehenditur; arbitrator idcirco spiritualia ac sacra consilia ac monita, quæ, ut spero, datis ad eum Epistolis, Sanctitas Sua ei dabit, grata ei simul ac utilia fore.

« Dominatio tua illustrissima ac reverendissima ex his judicare poterit, quomodo regina, princeps filia, omnesque majestatis suæ benevoli, imo aula tota sese habeant. optimum hunc regem conspicientes, adeo gravibus pressum ærumnis. Et hæc sunt, quæ modo tibi nuntiare possum, eo magis quod Sanctitas Sua de his prolixius ab ipso rege edocta erit. qui forte plura Sanctitati Suae significabit, quam mihi vel cuiquam alteri hic significanda duxerit.

« Nolui Epistolam hanc, his, qui mihi a secretis sunt, scribendam tradere, licet eam non tibi parum molestiæ allaturam credam, ob meam in scribendo imperitiam; ac post devotam manuum exosulationem, omnem tibi felicitatem a Deo precor. Matrili XXIV Januarii MDLXVIII.

« Dominationis tuæ illustrissimæ ac reverendissimæ.

« P. S. Usque ad diem vigesimam septimam hujus mensis, tabellarii, qui præsentem hanc litteram affert, expeditio dilata est, et interim cum intellexerit regia majestas, passim vulgatum fuisse, principem ideo in custodiam traditum, quod patri necem commolitus fuerit; omnibus in singulis litteris, quæ ad principes mittentur, scribi imperavit, hoc crimen falso principi filio illatum esse; et hoc ipsum a Ruisio Gomezio cunctis regum ac reipublicæ Venetæ oratoribus testatur est. Præses vero ea quæ supra commemoravi factus est mihi.

« Humilissimus servus
archiepiscopus Rossanensis ».

Epistola vero Philippi ad Pontificem ejusmodi fuere ¹ :

« Beatissime pater.

« Præter obedientiæ communis debitum, quod universi Christiani principes persolvere lenentur, a peculiari quodam obstringitur, cum adeo devotus ac obediens Sanctitatis Vestræ ac Ecclesiæ suæ Sanctæ sim filius, ut de omnibus actionibus ac rebus meis, tum de iis præcipue, quæ majoris sunt ponderis, tibi rationem reddere debeam. Ideirco Sanctitatem tuam monendam duxi de iis quæ posterioribus diebus feci, cum capere atque in custodiam serenissimum filium meum primogenitum Carolum tradere statui. Et licet, ut factum Sanctitas tua comprobaret, illud sat esse videretur æstimare ac intelligere, me nempe esse patrem, ad quem potissimum spectat, quidquid ad honorem, existimationem, ac una bonum hujus principis pertinet; ac insuper inquit mihi ingenium compertum habere, quo, ut Sanctitas vestra scit, ac una secum mundus totus agnoscit, in hujusmodi maximi momenti rebus a præcipiti et inconsiderato judicio abstrahi nunquam sum passus: nihilominus optimum, Sanctitatem tuam certiorum facere duxi, nil omnino, quod ad ipsius principis instructionem, ejusque vitæ ac morum eruditionem, quæ ad principem (inquam) et filium primogenitum, tot regnorum ac ditionum legitimum hæredem, curam ac sollicitudinem pertinere videntur, me prætermisisse. Cumque quavis deinde ratione, excessus nonnullos, a naturali ejus genio ac peculiari conditione precedentes coercere studuerim, ac incassum remedia cuncta adhibuerim, cum aliud non superesse videretur, quo Dei honori ac regnorum meorum incolumitati consulere; eo, quem Sanctitas tua pensare debet, cordis dolore, cum de filio unico ac primogenito ageretur, tandem de illo statui, quod dixi, tot validis ad id adductis causis, ut plane confidam, Sanctitatem tuam, cui de his cæterisque meis rebus ratio-

nem reddere exopto, consilium meum probaturam, illudque Dei honori, ac reipublicæ utilitati, in primis necessarium, ut revera est, judicaturam. Quoniam vero de his, quæ deinceps evenerint, ac hujus rei progressus, si necessitas postulaverit, Sanctitatem Tuam participem faciam; ideo plura non addam, nisi, ut in his, quæ ad me spectant, tanquam suum existimet, et tanquam verum filium, quem sanctissimo suo zelo Deo commendat, ut ipsum Dei dirigat, eique auxilietur, ut in omnibus voluntas Dei impleatur, qui Sanctitatem Tuam custodiat, eique vitam ac prosperum universalis suæ Ecclesiæ regimen tribuat. Matriti, die XX Januarii MDLXVIII.

« Humilissimus filius Sanctitatis Vestræ
Ego Rex ».

187. Amariissimo animo litteras hujusmodi accepisse Pium, ex his, quæ ad regem rescripsit æstimare licet. Quod autem de causis, quæ Philippum impulerant, ut principem custodiæ manciparet, plures ac inconditi sermones vulgarentur, ac præcipue quod hæresis ac excogitati parricidii crimina passim principi objicerentur; ideo de his a rege certiorum reddi exiit petiit Pontifex (quamvis regicidii constructi innocentem Rossanensis, ut audisti, scripsisset) ut eo magis, vel ejus consilium, si justum fuisset, probare posset; vel alias ab eo regem ipsum abducere valeret. Benevoli patris justis petitionibus annuit piissimus rex, ad eum scripta manu sua Epistola, quam ex proprio originali exscriptam, tanquam veritatis irrefragabile testimonium hic damus :

« Sanctissime pater ¹.

« Epistolam Sanctitatis Vestræ accepi, signatam die quinta Februarii, illi respondentem, qua Sanctitatem Vestram certiorum faciebam, de mea in principem suscepta animadversione. Sanctitatis vestræ pedes osculor in eorum obsequium, quæ in ejus Epistola exarata perlegi. Tam sancta etenim et Christiana verba, prudentiæque consilia zelum affectumque veri parentis præ se ferentia, nequeunt aliquod levamen consolationemque dolori meo non præbere, cum ego intelligam, qua ratione sentiendus mihi sit, et inde cognitionis multum ac munitionis accedat. Fiducia mihi in Deo est, cujus ad honorem cuncta ordinare in animo habui, fore ut ope ac intercessione Sanctitatis Vestræ in ejus laudem, ac regnorum meorum publicum beneficium referatur. Præteritis litteris Sanctitati Vestræ significare volui causas hujus mei consilii; quantum mihi necessarium visum fuit, ut propositum meum illi notum fieret, ipsaque intelligeret, nec iram, indignationemque, neque ipsius principis reatum in causa hujus deliberationis fuisse, quam nec eo intenderam, ut ipse puniretur, aut reformationem aliquam acciperet.

¹ Apud Caten. pag. 44. Campan. et alios.

¹ Ex Archiv. card. Alexandrin.

Horum enim si aliquid me impulisset, aliud tentassem remedium, quin ad hanc extremitatem procederem. Aliqua tunc singillatim aperire ex industria prætermisi, ratus mihi promptiorem sese occasionem id faciendi oblaturam, postquam cuncta ordinasse, quæ ad rectam hujus negotii institutionem spectare videbantur. Hodie vero cupienti mihi in cunctis meis actionibus, et his præsertim gravioribus, Sanctitati Vestræ satisfacere, in eaque, tanquam in vero parente, omnem fiduciam reponenti, opportunum visum est, clariorem Sanctitati Vestræ reddere de cunctis rationem, ut exinde hujusce deliberationis meæ causam, finemque deprehendere nullo negotio posset. Cum pluries considerassem onus mihi a Deo impositum, ratione statum ac regnorum, quæ mihi regenda ac administranda tradere dignatus est, ut in ipsis sartam tectamque servarem orthodoxam religionem, obedientiamque erga Sanctam hanc Sedem; utque eadem pace hæc jure retinerem, ac post breve amorum meorum curriculum stabilita ac in tuto posita, pro eorum diuturna conservatione relinquerem: cum hoc in primis ex persona successoris deligenda penderet; cumque Deo placuerit (id exigentibus iniquitatibus meis) ut princeps tot ac tantis abundaret defectibus, intellectus partim, partim naturalis ejus conditionis, ut omnis in illo aptitudo ad id necessaria desideraretur; et præterea sese objicerent mihi gravia incommoda futura, si regimen et successio in ipsum deferrentur, apertaque pericula, in quæ cuncta offenderent: post diuturnum ac singulare experimentum, ac remediis omnibus frustra adhibitis, cum remedii parum, vel potius nihil ex ejus persona sperari posse perspicue agnosceretur; quo tempore, effectuque, quæ rationabiliter metuebantur, mala præverterentur: necessarium fuit demum consilium hoc sequi, ut ipse, nempe carceri manciparetur, indeque ulterius ac prolixius studium fieret, prout res exposcere videretur, et irreprehensibili suffragatione, ad propositi mei finem accederem. Pergratum sane accidit mihi tam molestum vulnus Sanctitati Vestræ aperire, (licet illius commemoratio acerbiorum in me dolorem reviviscere fecerit) ob quietem ac solamen, quod ex eo Sanctitati Vestræ detecto experior: vestras enim sacras apud Deum preces, auxilio mihi futuras spero, sanis que consiliis, maximo meo commodo, hæc ratione uti poterō. Sanctitatem Vestram nihilominus enixe deprecor, ut nullam extra se hujusce rei notitiam derivari sinat: licet enim deinde silentio contegi nullatenus debeat, nam qualis sit prodero omnino necesse erit, modo tamen satius videtur ne in publicum edatur, quamvis multiplicia judicia, ac varii sermones, qui super re hujusmodi ubique habentur, me minime lateant: rebellionis crimine a nonnullis, prin-

cipi perperam illato; quod quidem omnino commentitium ac falsum esse, ex scriptis aliis ad Sanctitatem Vestram a me Epistolis, Sanctitas ipsa temeritatis sint arguendi. Aliis vero in re fidei reum illum deprehensum fuisse existimantibus; quod magis etiam a veritate comprobatur alienum. Aliis demum alia opinantibus, qui licet temeritatis sint arguendi, nec excusari facile possint; tamen expectandum est, ut opportunum tempore se veritas ipsa prodatur, ipsiusque negotii progressionem clarescat. Interea in his quæ ad illius commodum, necnon delicias, personæque ejus dignitatem spectant, in primis consultum volui, imperans, abunde ei omnia suppeditari, tum pluribus ejus famulatu addictis, tum aliis quibuscumque, quibus opus esset, subministratis. In his vero, quæ ad ejus animæ utilitatem pertinent, nil intentatum relinquam, nec aliquid in hoc studii mei desiderari posse permittam, juxta temporis opportunitatem, ac principis dispositionem adhibendum. Nec ei in primis confessorius illius deerit, qui spiritualia ei auxilia et consilia sedulo ministrabit, ac in omnibus sanctius saniusque consilium sectator. Si quid ulterius Sanctitati Vestræ significare opus erit, eadem, qua in præsentem, fiducia agam. Matriti, ix Maii MDLXVIII.

« Humilissimus filius Sanctitatis vestræ.
Ego Rex etc. »

188. Ex hac autem Epistola, ex qua perspicue ea intelliguntur, quæ Philippum imputerint, ut principem in carcerem conjiceret; naturales nempe intellectus illius defectus, naturalisve ejus regimini minime idonea aptitudo, nulla ratione sananda; universa pæne diluuntur scriptorum, ac præcipue Natalis Comitis ac Thuani, commenta; quibus, vel ut Philippi factum purgarent, multis criminibus principem obnoxium fecerunt; vel e contra virulento astu hunc innocentem præbere comixi sunt, ut eo crudeliorem regem ostenderent, quod, non solum proprio filio non pepercerit, sed in innocentem quoque sævierit.

Et quidem de his agens Thuanus, mirum est, quod inepta ac levia coaccervaverit, accepta (ut fatetur) ex ore ejusdam Ludovici Foxii, architecti; cujus quidem auctoritatem, etsi plurimi habere fas erat, in his quæ ad fabricam construendam pertinebant: jure tamen in historia conscribenda, cujus fuisse gravissima et intima prudentissimi regis explorare primum, ac deinde publici juris facere consilia, respere debuerat; cum hujusmodi generis hominibus secreta principum rimari, aut raro, aut nunquam contingat; ac eo minus in Hispanica Philippi aula, Gallico viro (uti erat Foxius) licuisse censendum sit. Illic autem Foxius, cui credit Thuanus¹, a Carolo regatus fuerat, (ut ipse

¹ Thuan. Histor. lib. 42. pag. 506.

refer) ut sibi librum cum pondere fabricaret, cujus ictu hominem exanimare posset; quem ideo voluisse dicit, quod in Hispaniæ Annalibus legisset, quemdam episcopum, qui carcere atlinebatur, laterem magnitudini breviarum precum corio contegendum curasse, cujus ictu custodem appositum sibi interfecisset, et vinculis se exemisset. Cum vero solus sine ullo famulatio somnum capere solitus esset princeps, machinam quoque sibi per eundem foxium fabricari curasse asserit, qua per trochleas in lecto jacens januam cubiculi aperire et reserare posset; sic enim somnum inquieti animi principem capere consuevisse refert, ut sub pulvillo duos gladios strictos et totidem sclopetos ad dispendendum paratos haberet; item in arca duos majores sclopetos, pulvere et glandibus oneratos: quæ arma, cum merito patri suspectum reddidissent, hactenus tamen dolorem dissimulatione tlexerat, cum tandem pridie Natalis Christi, cum Carolus fidele colloquium cum sacerdote haberet, confessus est habere se in animo quemdam hominem occidere; quo audito, cum sacerdos delictorum gratiam imperitari recusaret; et ille contra instaret, si fidelium mensæ non participaret, ut sibi saltem ad publicam offensionem vitandam, panis non consecratus coram populo traderetur, sacerdos pertinaciter et hoc recusavit, remque protinus ad patrem, uti jussus erat, detulit; qui statim respondit eum se hominem esse quem filius peteret; cæterum sibi consulturum. His turpiora maledicus Thuanus addit, cum innuere vult, zelotypiam etiam intercessisse patris de filii conversatione cum regina: quibus idcirco commotus, re prius cum Inquisitionis officio communicata, qua inconsulta, ille, sive superstitione, sive religionis simulatione nihil magni momenti tola fere vita gessit, filii conatus avertere, atque eum in potestatem redigere, tandem, quo prædiximus modo, decrevisse affirmat.

189. Nos autem, qui magis, quam machinatori, Philippo regi fidem adhibendam putamus; ac nebulonis certe (si cum rege tanto componatur) relationem, summi principis relationi prætulisse, rite ac jure redarguturum neminem pro certo ducimus, fabularum machinatorem mirificum ex iis ipsis, quæ profert, Thuanum rejiciendum censemus; vel saltem ex illis non perfidam modo commolitionem, sed mente capti juvenis dementia potius cognosci posse arbitramur. Machina siquidem tanto studio elaborata opus non erat, si regem occidere voluisset; ac viceversa, contra regis potentiam frustra se armis sub pulvillo ac in arca communire intellexisset, si mentis impos non extisset. Ineptissimum deinde est, quod de confessorio adstruitur; nam uno eodemque tempore, tam ipse scrupulosus perhibetur, ut principii peccatorum absolutionem denegat, quod iste in

animo parricidium haberet, et simulatam communionem impertiri detrectet; deinde tam impudens describitur, ut confessionis sigillum horrendo scelere, delatis ad regem filii criminibus, temerare non vereatur. Cætera quæ refert Thuanus, vel non audienda, vel eadem pæne ratione accipienda, tanquam stulti juvenis deliramenta: quæ idcirco, licet ipso regicidio graviora censenda essent (quod etiam præses Rossanensi archiepiscopo, ut diximus, innuisse videtur); ex eo autem quod ab amente procederet, nulla fere habenda erant. Quo pacto vero hic Inquisitionis officium misceat Thuanus, prorsus ignoratur; nam in his, quæ ipse narrat, nil deprehendi posse cognoscitur, quod ad Inquisitionis officium spectet; ac nullo postremo fundamento innititur, quod, illa inconsulta, nil magni momenti Philippus gerere consueverit; nam in hac certe, quæ maximi ponderis fuit, nec in regis ipsius, neque in aliorum Epistolis, nec apud fide dignos scriptores, Inquisitionis officium Philippum consuluisse reperire potuimus.

190. Quæ pariter scribit Natalis Comes, cum de Egmondani carceratione agit, eadem ratione sunt accipienda; juvenem nempe turbidi atque efferati ingenii, et imperii cupidum, ut dicit, novas res molitum esse, atque aperti odii in ducem Albanum professione, et excusationis seditionum Belgicarum manifestatione, suspicacem patrem vehementius in se concitasse, existimandum non est, nisi ea ratione, quod vesane odium suum in Albanum prodens, ac Belgarum sorti manifesta ac imprudenti commiseratione compatiens, eos magis ad defectionem impellere videretur: audacioribus rebelles facti ex eo, quod sibi propensum illum existimarent; non quod revera commolitionis eorum particeps fuerit, aut illum participem Philippus unquam crediderit. Cum hæc autem juvenis dementia haud modicum damnum rebus Belgicis afferret, quod vel voce, vel scripto seditiosi foventer, vel ejus levitate plurimi abuterentur; ideo hujusmodi dementia potius quam conjurationem, filio in custodiam dato, ac scriptoris cunctis ei sublati coercendam, Philippum existimasse arbitramur. Illud præterea, quod a quibusdam recentioribus vulgatum fuit, Carolum videlicet suspectum fuisse de favore hæresis; id a nemine, inquit Spondanus¹, illius temporis assertum reperitur, ac aperte, ut vidimus, in Epistola ad Pontificem a Philippo denegatur; quapropter immerito plures principem hujus sceleris reum faciunt, ac in obsequium fidei, regem cum tradidisse scribunt; quod nec tantum sacrificium ille obtulerit, nec tantum unquam facinus iste admiserit.

191. Et quidem, si cuiquam horum criminum obnoxium filium deprehendisset Philippus,

¹ Spond. sub hoc an.

cur ea contegere debuisset, cum præsertim ipse scriret (ut in præfata etiam Epistola faetur) ubique, ob hanc in principem severitatem, contra se innumera maledicta jaclari, ac honori et famæ suæ detrahi? Quanam alia honorificentiori ratione factum suum purgare poterat, quam his filii detectis criminibus, quæ nemo, aut non improbare, aut non rite in ea animadversum dicere potuisset? Quæ demum narrat Thuanus, principem, videlicet, ubi se captum agnovit, se mortuum inclamasse, ac astantes, ut se interficerent ejulatione rogasse; deinde se in ignem injecisse, postea alia sibi mortem via consciscere aggressum, biduo sine potu exacto, tertia die tanta se frigida aqua ingurgitasse, ut parum abfuerit quin medius rumperetur; ac rursus, quod fame, per aliquot diem inuicem collecta pastillis, carne coctu difficili, sarris, tam copiose ventrem saturaverit, ut pane fuerit suffocatus; ac alia hujusmodi: abunde ostendunt, si vera sint, quod affirmare non ausim, non minus hominem in furem ac desperationem actum, quam ante ipsam desperationem rationis expertem, qua animi motus cohibere posset, vel scriret.

Falsitatis evincitur insuper, quod Thuanus idem et alii monumentis mandarunt: vestem videlicet lugubrem infelici principi circumpositam, nigrumque pileum fuisse ei impositum, ac auleis et lecto principali magnificentia strato. jussu regis delraclis ex omni regia suppellectile, curule grabatum cum culcitra reliquum dumtaxat factum; nam ex præfata etiam Epistola apparet, non necessitati modo, sed decori etiam ac voluptati, quæ opus erant, Philippum filio subministrari præcipisse: et eo minus audiendus ipse, ac alii, qui eundem Philippum, re cum Inquisitionis officio rursus communicata, mortem filio, tanquam reo a legitimo magistratu damnato, propinato veneno demum accelerasse voluerunt. Quapropter principem, non modo mortuum scribunt, sed longe aulequam cæteri scriptores mortuum dixerint, ipsi mortuum referunt. Illi enim, vigesima quarta Julii in Vigilia S. Jacobi Apostoli, Hispaniarum protectoris, Carolum ex continua præcipue aquæ frigide potatione, ex qua, stomacho resoluta, dysenteria correptus fuit, ad extrema pervenisse asserunt. E contra vero Issell, Thuanus, ac alii, Februario mense, paulo post nempe quam in carcerem conjectus fuerat, licet per menses aliquot rei fama suppressa fuerit, diem suum obiisse affirmant.

192. At quam fuit hujusmodi sint assertiones omnibus evidentissime patet: cur enim ex Inquisitionis officio judicium hoc prodire debuerat, si nihil in principe deprehensum fuerat, quod ad ipsum spectaret? Ut Carolo mortem veneno clam crudelis pater inferret, consilium suum cur palam toti ei tribunali

patelacere debuerat? Deinde, quid utilitatis accessit, vel sibi accedere existimare potuit Philippus, ex suppressa, paucis tantum mensibus, hujus mortis fama? Si enim juste illum morti adjudicasse crederet, idem erat vel statim, vel paulo post judicium hoc suum evulgasse. Sed longe nimis, e contra a Philippo maxima ac naturali maturitate, ac circumspectione fuisse cognoscitur, maximi ponderis rem præcipilli-judicio tam cito absolvisse. Præfata insuper Epistola mense Maio ad Pium scripta illo adhuc tempore in vivis egisse principem manifestat; nec rite censendum est tanta fictione cum Pontifice se gessisse, quem summa semper veneratione coluit, ut ei rem contegere studeret; eo magis quod abunde apud eum factum suum purgaturum censere posset, si ex sententia Inquisitionis, cui Pontificem addictissimum fuisse sciebat, mortem intulisse filio dixisset.

193. Quidquid fuerit, cum ad extrema princeps Carolus pervenisset, serio cogitans, ac de præteritis dolens, susceptis rite ac pie Ecclesiæ Sacramentis, mortem constanter placideque, qua prædiximus die, obiit; exequiis tanto principe dignis, deinde jubente patre, illi persolutis, sepultoque Matrili in S. Jacobi Ecclesia. Illius mortis nuntium ad Urbem pervenisse, die vigesima tertia Augusti hujus anni, habemus ex Diario Cornelii Firmani; et ex relatione Pauli Teupuli, apud Pontificem Venetæ Reipublicæ oratoris, quæ, ut alibi diximus, in insigni Chisiana Bibliotheca asservatur, discimus, mortem hanc supra id, quod excogitari vellet, Pio dolorem attulisse; nam, licet regis consilium commendasse visus esset, eo quoque propter Reipublicæ bonum, nec proprio filio suo pepercisset, ut tradit Catena; tamen uno eodemque tempore, et filii et patris una infortunium laud paucis lacrymis legendum duxit.

194. *Mors præpropæ Elizabethæ Hispaniarum reginæ.* — Accessit autem huic altera, non minus infausta Philippo, domestica arumna, ex morte videlicet dilectæ conjugis Elizabethæ, quæ, cum annum vigesimum tertium ageret, in lucem filium edens, una cum eo ex hac luce migravit, non sine suspitione veneni, ait Thuanus: rumore vulgato, Philippum ipsum, familiarem nimium ipsius cum filio consuetudinem, secus quam oportuerat, interpretatum fuisse. Tam contumeliosæ ac simul irrationabilis calumniæ puduit tamen impium scriptorem, neque subjunxit, ingentem nihilominus, nec simulatum in aula, lolaque adeo Hispania luctum facile contrarium evicisse, cum et rex dilectissimam sibi conjugem ereptam, et populis firmissimum pacis vinculum, reginæ morte solutum dolerent. Quibus certe addere debuerat, horrendi ac ingentis facinoris falsitatem ex eo etiam deprehendi potuisse, quod veneni vis feralem effectum, nec antea, nec post, regina

experta fuisset, quam ei dolores partus adjungerentur; quo nihil ineptius valet excogitari.

195. *Bellum Granatense.* — Ad cumulandas demum Hispaniarum calamitates, Granatense bellum hoc anno incœptum, cujus tamen initium a Ferdinando Aragonio et Isabella Castellana regibus quodammodo repetendum videtur. Ii siquidem reliquias abominandæ Mahometicæ sectæ, tota Hispania ablegant; quod unius supererat Granatensis regni, armorum vi etiam potiti sunt. Ex hoc autem, quod populorum ditionem ac corpora vi subegissent, animos ac eorum mentes tamen minime subegerunt. Quapropter ex illis plerique, ne bona ac res suas deserere cogerentur, Christianum nomen, nefanda dissimulatione mentiti, insitasque animo priores nunquam abjicientes cogitationes, tam de pristina libertate vindicanda, quam de impia secta colenda nunquam commoliri consilia destiterant. Quo quidem, cum certis iudiciis comperissent iisdem præpositi præsules, pro temporis opportunitate, malo occurrere studuerant.

196. Post Tridentinum idcirco Concilium, Petrus Guerrerius Granatensis archiepiscopus, ad eos in fide confirmandos, Concilium provinciale anno M^{DLXV} coegit, (id in collectione Maxima Conciliorum Hispaniæ Josephi cardinalis de Aguirre non offendes, quod ex his fuerit, ut ipsemet dicit, quod, vel fortassis nunquam editum, nec latine, sed vernacula lingua scriptum; aut non ita methodo sive ordine instructum, ut decenter in publicum prodire potuerit) in quo plura ad eorum spiritualem utilitatem sancita fuere, interque ea, ut Synodi nomine rex rogaretur, ut publico suo edicto rursus prohiberet, qui antiquæ Mahometicæ superstitionis vestigium aliquid servare viderentur.

Placuit regi consilium, ac edita lege, abominacionis reliquias pro sua pietate districte interdixit; quod iniquissime ferentes Maurisci, (hoc vocabulo a vulgo passim nuncupantur) hinc turbas meditari cœperunt; cumque hoc tempore regis vires ad comprimendos Belgicos tumultus conversas cognovissent; optimum ad defectionem hoc idem tempus existimarunt, ac secretis primum coitionibus, mox rege electo, cui nomen impositum Mahometes Abenhumaja, a quo Faraxius quidam summus magistratus ad jus reddendum institutus; cuncta ad rebellionem instructa sunt. Et tandem (si Joanni Lampadio¹ ac Thuano² sit fides), in Natali Domini, hoc anno, cum Christiani in templis securi, et de precibus puro corde ad Deum fundendis tantum solliciti feriantur; de cætero frigore torpentes, et sine armis domi residentes, rem aggredi statuerunt, hoc ordine; ut eodem tempore, quo motus per urbem crebresceret,

quatuor millia hominum, ex Alpuxarræ montibus descenderent, sibi que auxilio venirent. Verum exorte quædam difficultates inter conjuratos, ejusmodi consilium distulerunt; quapropter, quæ inde secuta sunt, in sequentem annum sunt rejicienda.

197. *Causa Thomæ Caranzæ, insignis Toletani præsulis, Romam evocatur.* — Inter multiplices autem hujusmodi curas haud parum cordi erat Philippo regi, causa Bartholomæi Caranzæ, archiepiscopi Toletani, quem biennio ante, Hispania Romam, jubente Pontifice, missum diximus, cum ad cæterorum Hispaniæ episcoporum exemplum plurimi eam faceret, habendamque censeret. Hoc igitur anno ad Pium ex Hispania insignes duos theologos misit, qui, eodem annuente, causam et ipsi cognoscere possent, ac manu sua exaratam ad ipsum hanc Epistolam dedit¹.

« Beatissime pater. Quia intellexi, quod ad causam archiepiscopi Toletani cognoscendam, Sanctitate Vestra jubente, præcipua doctrina exculti homines congregantur, ut doctrinam archiepiscopi ejusdem examinent, et qualificationi ejusdem incumbant, considerans quantum Dei honori expediat, quod ipsa optime progrediatur ac felici tandem fine absolvatur; tum quia summi ponderis res id expetere videtur, cum tam late cunctis hujus regni populorum oculis pateat; tum etiam, ut omne id præstem, quod possum, sancto ac eximio zelo, quo Sanctitas Vestra huic ipsi negotio incumbit; seligere statui theologos duos, sacris litteris, virtute ac omnimoda eruditione apprime instructos, necnon negotiorum longo usu peritissimos, qui in eo Inquisitionis tribunalis opem suam exhibeant, ac in propositionibus præcipue qualificandis, (qua in re plurimum excellent), studium suum proferant; eorum enim operam, rationabilibus ex causis, quas facile quisque intelligere poterit, accommodam una ac pergratam Beatitudini Vestræ existimavi. Sanctitatem Vestram idcirco deprecor, id æqui bonique facere, nam quamprimum eis Romam versus iter capessere præcipiam, ut Sanctitati tuæ hoc in negotio præsto sint; nec præterea aliud quidpiam exhibere prætermittant, quod meum præsidium exposcere videatur, ut causa hæc felici tandem fine compleatur. In his enim, que ad Sanctitatem Vestram spectant, spero a sanctissimo zelo vestro eo causam hanc dirigendam, ut inde Dei gloria augeatur. Quod una mecum omnia regna mea quoque sperant, in hoc maximi momenti negotio, Christianitali omni in exemplum futuro; ut prolixius etiam, nomine meo Sanctitati Vestræ Præceptor Magnus, et D. Joannes de Zunica, oratores mei sunt significaturi. Sanctitatem Ves-

¹ Joan. Lampad. Mellifi, *Hist.* par. 4. — ² Thuan. *Hist.* ut supra.

¹ Ex ipso originali.
Ex Archiv. card. Alexandrin.

tram ad bonum et prosperum Ecclesiae suae universalis regimen, diu Dominus noster incolumem custodiat. Matrili, die xi Octobris MDLXVIII.

« Humillimus filius Sanctitatis Vestrae.

Ego rex etc ».

198. At Pium muneri suo haud defuisse, sollerteque curasse quae ad causam eandem pertinerent, ostendunt litterae, hoc eodem anno, ad Didacum de Spinosa, Hispanicae Inquisitionis praesidem ab eo scriptae; quibus ad se libros et scripta ejusdem Caranzae, ut causam ipsam jure cognosceret, mitti voluit ac mandavit; fueruntque hujusmodi :

« Dilecto filio, Didaco, cardinali de Spinosa, sacri officii Inquisitionis haereticae pravitatis in regnis Hispaniarum praesidi ¹.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Scipio, lit. S. Anastasiae, praesbyt. cardinalis Rebiba vocatus, de numero S. R. E. card. S. Officio Inquisitionis haereticae pravitatis in alma Urbe praepositorum, scribet ad te de libris et scripturis ad causam ven. Fr. Bartholomaei archiepiscopi Toletani pertinentibus, huc mittendis. Eos libros atque scripta, ut huc primo quoque tempore mittas, abs te magno opere petimus. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die MDLXVIII, Pontific. nostr. ann. III ».

Suadentibus autem, qui aegerime tulerant, ab Hispanico Inquisitionis tribunali, causam hanc Romam evocata fuisse, praedictos theologos misisse, ac praefatam ad Pium litteram Philippum scripsisse, haud a veritate alienam censebunt, qui iniquo animo plures tulisse animadvertent, Caranzae causam, ex Hispanico tribunali, quodammodo avulsam, ut par erat, ad Pium regem rejecisse. Alterum autem, ex duobus, ab eodem rege missis, extitisse Martinum Alzpiquetam, cognomento Navarrum, virum eruditione clarissimum, nemo non putabit, cui compertum erit, hac de causa Martinum ipsum Romam se contulisse. Quemnam tamen exitum deinceps hac causa habuerit, suo loco dicendum erit.

199. *S. Theresia incipit reformationem Ordinis virorum Carmelitarum.* — Inter tot vero exteras ac domesticas tempestates, quibus Hispania jactata fuit, nihilissimum illud sidus inelytae virginis S. Theresiae a Jesu, novis in ea irradiari fulgoribus visum est. Hoc siquidem anno, Dominica prima Adventus, quae in diem S. Andreae incidit, prima reformationis virorum fundamenta jecit, cum jam pridem nonnulla strictioris ejusdem vitae mulierum caenobia construxisset. De primo virorum caenobio, haec in Vita S. Joannis a Cruce leguntur ² : « Est in Abulensi tractu vix quatuor aut sex aedium vi-

culus, duriculum vocant, vere juxta nominis sui etymon durus, cum ob aeris inclementiam, tum ob omnium, quae ad corporis oblectamentum aut commoditates spectant, insignem inopiam. Illic (nempe Joannes, seu verius ipsa Theresia), a loci domino in novam fundationem lugurium obtinuit, verius quam domum, cujus machina nil, praeter exiguam porticam, unicum cubiculum, eundemque parvum, granarium, et culinulam complectebatur. Haec aediculum in formam monasterii, ita disposuit : Porticum in cappellam, granarium in chorum, cubiculum in dormitorium convertit et adoplavit : divisa culinula, triclinii et culinæ loco fuit. Hac mole constitit prima reforescentis Carmeli structura : his initiis, de fructu manuum venerabilis nostri Joannis, praecunte virgine Theresia, plantata est vinea, quae, brevi, per Hispaniam universam, Italiam, Galliam, Belgium, Germaniam, Poloniam, Persidem, utramque Indiam, suos palmites esset diffusura. Illic tandem Joannes, rudi et angusto habitu indutus, quem beata virgo Theresia propriis manibus consuevit, abjectisque calecis, primum Carmelitam exalceatum mundo exhibuit. Adfuit paulo post, ejusdem propositi socius, pater frater Antonius de Jesu, vir similiter sanctitate conspicuus, qui Joannis inductus exemplo, asperum hoc vitae genus amplexus est, illudque ambo, perpetuo se servaturos, rejecta omni mitigatione, polliciti sunt ». Sic ibi. Cum paulo post fundatum caenobium, virgo Theresia ¹ deinde inviseret, quamdam praese ferre similitudinem stabuli, in quo Redemptor noster nasci dignatus est, sibi visum fuisse fassa est. Admirando enim Dei consilio factum cognoscitur, ut uno hoc tempore, quo furentes sectarii perfidiae, reformationis Evangelicae specie, ubique dilatandae, universa cladibus ac sanguine impleverit, extollerenturque supra id omne, quod dicitur Deus ; verae, juxta Jesu Christi humilitatem, reformationis ederetur, quod ex Bethlemitico praeseptio suum primo duxit exordium. Atque, ut novum hoc germen in vinea Domini plantaretur, ex cujus deinde propagine universus orbis imple retur, eo ferme tempore, quo in Gallia, Belgio ac alibi, tot insignia caenobia igni tradita ac ad solum strata erant : ut irritos Satanæ conatus redditos Omnipotens Deus ostenderet, non vi humana, sed virtute divina, quae infirma mundi et ea quae non sunt eligit, ut fortia quaeque confundat.

200. *Pius mandat ut Eucharistia administratur damnatis.* — Hoc demum anno in Hispania observari mandavit Pius, (quod antea fieri non consueverat,) ut capitali supplicio damnatis, priusquam in eos animadverteretur, sacrosancta rite Eucharistia administraretur. Litterae quibus id praecipit, hujusmodi fuere :

¹ Ex Archiv. Vaticano. — ² Exstat in Camp. Vit. B. Joannis ante illius Epist. II. 4.

¹ Et in Vit. S. Theresiae.

« Ven. fratri Jo. Baptistæ, archiepiscopo Rossanensi, nostro et Sedis Apostolicæ in Hispaniarum regnis apud regem Catholicum nuntio ¹.

PIUS PP. V.

« Ven. frater etc. Relatum est nobis, non permitti in istis Hispaniæ partibus, ut a iudicibus temporalibus, propter delictorum gravitatem, capitis damnati, post confessionem sacerdoti factam, sacrum Euchariæ sacramentum accipiant. Id nos cis minime denegandum esse censemus; cum Christianæ charitati magis conveniat, eos, ad resistendum tali tempore fortius diabolicis tentationibus, sacra Communionem muniri; ut perituro corpore, salutem animæ, quantum fieri potest, subveniat. Itaque hunc abusum, qui sacris etiam canonibus repugnat, tolli cupientes, fraternitatem tuam de hac re cum charissimo in Christo filio nostro rege Catholico agere volumus, eique singificare, placere nobis, ut supplicium ultimum subituris, pridie quam illo afficiantur, post confessionem sacerdoti factam, Dominicæ Corporis viaticum concedatur. Quod per totam Hispaniam, et alias provincias et loca ditionis suæ, hortaberis eum, ut, sicuti ejus pietate dignum est, posthac jubeat observari. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. Die xxv Januarii MDCLVIII, Pontific. nostr. ann. tertio ».

201. *Portugalliæ regi Pius gratulatur de suscepta recenter administratione, et illum commendat cardinali acumulo.* — In proxime autem Hispaniæ adjacente Portugalliæ regno, cum pupillari ætate transacta, Sebastianus, ipsius regionis rex, regni gubernacula suscepisset, ubi ab eo id audivit, summopere ipsi gratulatus est Pontifex; atque una simul hortatus est, ut in sui administratione regni, optimis suorum consiliis acquiescens, probe se gereret; in primisque pietatis in Deum, et augendæ propagandæque Christianæ religionis studium propositum haberet. Cumque jus patronatum concessio-nem a Pio papa Quarto factam Pontifex, (ut suo loco diximus) revocasset, eamque piissimus rex, licet juri suo aliquid detractum existimasset, se tamen æquo animo tulisse Pio significasset; ac insuper eodem obsequio, ac vere Christiana alacritate monasteriorum sui regni jam pridem perpetuum, quod tradi consueverat, regimen, ad triennale tantum reduci a Pontifice passus esset; insignia tam religiosi principis initia, hac Epistola Pontifex commendavit :

« Charissimo in Christo filio nostro, Sebastianiano, Portugalliæ et Algarbiorum regi ².

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Lætum admodum nuntium attulerunt nobis litteræ tuæ, die

tertia Martii date : ex quibus cognoscimus, majestatem tuam, cum jam ad annum XIV ætatis suæ pervenisset, accepisse die festo S. Sebastiani, et eodem Natali suo, administrationem regni, et dominiorum suorum, a dilecto filio nostro, Henrico cardinali, patruo suo magno; cujus summa fide, virtute, prudentia ac diligentia, ad id tempus feliciter administrata fuerunt : egimus gratias Deo, qui te optima disciplina et vere paternæ cura ipsius cardinalis imbutum et institutum ad eam ætatem perduxit, ut jam per te subjectos tibi populos et nationes regere possis. In quo munere te usurum, sicut semper facere debebis, serenissimæ reginæ aviæ et ejusdem patris prudentissimis fidissimisque consiliis plane confidimus; et auguramur responsurum esse laudibus majorum tuorum inclytæ memoriæ regum, quorum, cum alias præstantissimas virtutes et gloriosa tibi ad imitandum proposita habere debebis exempla; tum præcipue pietatem erga Deum et studium augendæ et propagandæ Christianæ religionis. Ad quam propagandam, quanto vehementius incumbes, tanto magis divinum tibi semper aderit auxilium; et res omnes quas ages aut aggredieris, felicius succedent. De devotione et obsequio, quæ nobis, et huic Sanctæ Sedi majorum tuorum exemplo præstiturum omni tempore profiteris; majestatem tuam in Domino plurimum laudantes, expectare te ipsum quoque a nobis, et ab ipsa Sancta Sede volumus eximiam quandam charitatem; et quantum ipsius Sedis dignitas patietur, in tuis exaudiendis precibus benignitatem. In communi illa revocatione juris patronatum, a fel. recordi. Pio papa IV prædecessore nostro concessorum, non sine gravibus et justis causis a nobis facta, quod te æquo animo tulisse scribis; gratiam tibi quoque a Deo factam fuisse, devotionis erga Sedem Apostolicam tuæ magnum signum das, eum ejus judicio, sicut filio, aut moderato rege dignum est, humiliter acquiescis. De monasteriis autem regni tui, quorum regimen, rectoris administrationis causa reductis; gaudemus gratum nos fecisse majestati tuæ. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvi Maii MDCLVIII, Pontificatus nostri ann. tertio ».

Aliam quoque, sub eodem die ad Henricum Portugalliæ cardinalem, scripsit, ut adolescenti eidem principi in regni suscepta administratione, consiliis ac monitis suis opem ferret; digna quæ merito hic ponatur. Hujusmodi est enim :

« Dilecto filio nostro in Christo, Henrico cardinali Portugalliæ ¹.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Charissimum in Christo filium nostrum regem ad eam ætatem pervenisse, ut

¹ Ex Archiv. Vaticana. ut supra. — ² Apud. Goub. Epistol. II. lib. 2.

¹ Apud. Goub. Epistol. 12. lib. 12. p. 60.

jam regni, quod summa fide, cura et diligentia tua ad hoc tempus administratum fuit, abs te administrationem acceperit; libenter admodum cognovimus, et Deo gratias agimus: quod is spem afferat, cum reliquis virtutibus, tum pietate erga Deum et observantia erga sanctam hanc Sedem, similem se fore majorum suorum inclite memorie regum. Quod eo magis de eo sperare possumus, qui non solum quo genere ortus sit, sed etiam quali cura et diligentia educatus et institutus fuerit, novimus. In his autem regni sui initiis, quod ei una cum charissima in Christo filia nostra regina avia sua, tu adfuturus sis, id magnopere laudamus et expedire putamus. Quibus enim melioribus consiliis tenera adhuc ejus aetas nili potest, quam vestris, quorum ntrique, genere quidem nepos est, charitate autem filius? Ille vero plurimum Deo debet, quod vos ambo, ea, qua decet concordia inter vos, et communicque consilio, actus ejus sitis, donec aetas ejus ita postulaverit, directuri. Quod actiones quasdam nostras laudibus effers, eas quidem tibi probatas esse gaudemus; sed si quid agimus, quod laudandum sit, totam Deo laudem tribui cupimus, a quo bona cuncta procedunt. Cujus auxilium, infirmitatis nostrae nobis conseci, et tuis et aliorum piis orationibus nobis implorare vehementer cupimus, ut tantum onus, quod vires nostras longe superat, sustinere possimus. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvi Maii MDLXVIII, Pontificatus nostri ann. tertio ».

202. At praeter alios, quae in Portugalliae rege, hoc anno commendanda Pontifex duxit, illud profecto fuit, quod privilegium quoddam abrogaverit, quod jam dudum Joannes Tertius, Sebastiani avus, in favorem eorum ediderat, qui cum noviter ad Christi fidem conversi fuissent, ac postea in haeresim lapsi, rursus tandem ad Catholicam Ecclesiam gremium reversi erant. Eo siquidem, experientia docente, plures abuti Sebastianus idem cum comperisset, et quin curandis animarum languoribus prodesse, potius deteriora efficere mala deprehendisset, antiquandum duxit: utque Apostolica auctoritate, id et alia, ad Inquisitionis officium pertinentia, quod oportebat, robor obtinerent, a Pio humiliter petiit, a quo hujusmodi responsum retulit:

« Charissimo in Christo filio N. Sebastiano Portugalliae et Algarbiornm regi illustri.

PIUS PP. V.

« Charissime etc. Antonius Pintus secretarius tuus, nomine majestatis tuae nobis exposuit, olim Joannem III. cl. mem. regem Portugalliae avum tuum, sperantem fore, ut Christiani novi in regno et locis aliis ditionis suae habitantes, si qui eorum de haeresi conquisiti essent, facilius errorem et peccatum suum confiterentur; ac petita salutari poenitentia, ad Catholicam

tidem redirent; si scirent bona sua publicatum non iri, et aliis forsitan probabilibus causis adductum, vel etiam pecunia mutui vel alio nomine ab eis accepta, concessisse illis ad decennium, ne propter id crimen, bona eorum fisco regio vendicarentur, sed ad eorum filios, nepotes, vel alios, Christianos tamen et Catholicos pertinerent, qui secundum leges, eis, si crimen haeresis non obstaret, succedere deberent; eademque spe et causis motam majestatem tuam, gratiam eam usque ad alterum decennium prorogasse. Quod tempus die vii mensis proximi Junii exactum fuit. Etsi autem fidei Christiani novi aliam similem prorogationem sibi concedi petiverint, tamen non esse visum M. T. posse, salva conscientia tua, eorum postulationi annuere; propterea quod usus ipse docuerat gratiam hujusmodi, non modo nihil profecisse, quo facilius per humilem peccati sui confessionem ad Catholicam fidem redirent; sed ansam eis potius praebuisse liberius delinquendi, et pertinacius in erroribus et Judaicis suis ritibus ac caeremoniis permanendi: camque ob causam visum sibi esse, divini obsequii causa consultius, prorogatione hujusmodi denegata, juris rigore uti, et quos benignitas, et clementia a malo non evocavit, saltem legum severitas deterreat atque coerceat. Quia vero, sicut idem secretarius exposuit, suspicantes fore, ut ipsi Christiani novi abs te exclusi, hujusmodi gratiae impetrandae causa ad Apostolicam Sedem confugerent; tuo nomine nobis supplicavit, ne illis quidquam hujusmodi, aut quidvis aliud petentibus, quo inquisitorum haereticae pravitatis in regno et aliis locis ditionis tuae officium impediretur, quominus libere, secundum facultatem sibi datam, in eos, quos in crimen haeresis incidisse comperlum esset, animadverterent, concedere vellemus; quinimo revocaremus quaecumque privilegia et exemptiones, peculiarium judicium donationes, quibuscumque nationis ipsius novorum Christianorum et aliis personis in locis regnorum et dominiorum tuorum, a quibuscumque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, quaecumque ex causa concessis. Qua in re iudicium M. T. valde in Domino laudavimus, atque judicavimus multo laudabilius hujusmodi gratiam revocasse, quam ab tuo avo concessam fuisse. Quod cum ita sentiamus, confidat M. T. si illi nos adierint, nihil a nobis esse contra deliberationem hanc et voluntatem tuam impetraturus. Praesentium praeterea tenere, sicut nobis supplicare fecisti, auctoritate Apostolica revocamus et irrita facimus quaecumque privilegia, exemptiones, et peculiarium judicium deputationes, Christianis novis, et aliis quibuscumque personis, a praedecessoribus nostris, etiam Motu proprio, et ex certa scientia, et de auctoritate Apostolica plenitudine concessas, per quas jurisdictioni et po-

leslas inquisitorum hæreticæ pravitatis, in regnis et dominiis tuis, ut dictum fuit, quoquo modo impediatur, imminuat aut turbetur: tenores earum pro expressis habentes, etiamsi de illis expressa, specifica, et individua, ac de verbo ad verbum mentio habenda esset. Approbamus vero et confirmamus eadem auctoritate, ex certa scientia, ac de plenitudine Apostolicæ potestatis omnes processus et eorum vigore sententias, a dictis inquisitoribus antea latas, contra personas hujusmodi, privilegia, exemptiones et deputaciones peculiarium judicum prætendentes, inhibitionibus talium exemptionum, ac privilegiorum vigore, forsitan decretis, et ipsis inquisitoribus intimatis, aliisque contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xv Julii MDCXVIII, Pontific. nostr. ann. tertio ».

203. Alia insuper habuit Pontifex, de quibus corrigendis in ipso Lusitaniæ regno, pro sui munere admonendum Henricum cardinalem duxit; eaque fuere, quod minime servari intellexisset, quæ tum sacrum Tridentinum Concilium, tum ipse, editis Apostolicis Constitutionibus, districte admodum prohibuerat, ne videlicet mulieribus virorum claustra ingredi liceret; nec istis, illa monialium, a quibus mulieres ipsæ prohiberentur. Et aliud, quod laici in Ecclesiarum majoribus sacellis, vel in choris, aut presbyteriis, dum divina celebrarentur officia, sedere seu stare permittentur. Quem morem, seu potius abusum, eodem pæne spiritu actus, quo jam Ambrosius in Theodosio coarctasse legitur, omnino tollendum, hac ad eundem cardinalem scripta Epistola contendit:

« Dilecto filio nostro, Henrico, tit. Sanctorum quatuor Coronatorum presbytero cardinali, Portugalliæ infanti, Apostolicæ Sedis legato.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Invaluisse hunc in Ecclesiis regni Portugalliæ, tam cathedralibus quam aliis sæcularibus et regularibus, abusum audivimus, ut homines nobiles, et alii laici, dum divina officia celebrantur, in ipsis cappellis majoribus et choris sedere et stare minime vereantur, non parum impediens ministros ipsarum Ecclesiarum in officiis celebrandis. Quod quidem, licem vetitum fuerit decretis provincialium Synodorum; tamen multi, sicut accepimus, id sibi licere putantes, propter licentias per importunitatem, aut forsân falsi suggestionem, a Sede Apostolica impetratas, talia decreta negligunt. Cum igitur talis abusus, qui divinum cultum non parum turbat, tollendus, et debitus in Ecclesiis decor, præsertim tempore divinarum officiorum, servandus sit: circumspeditioni tuæ presentium tenore mandamus, ut non obstantibus quibuscumque hujusmodi licentiis, sub gravibus pœnis, auctoritate Apostolica pro-

hibeas, et interdicas, nec ulla sæcularis persona, quacumque dignitate præfulgeat, dum divina celebrantur officia, in cappellis majoribus et choris dictarum Ecclesiarum sedere aut stare audeat; et quod de hac re statueris, diligenter cures et facias observari, etiam implorato, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio. Illud non parum mirati sumus, quod relatam fuit nobis, multas mulieres, post confirmationem Decretorum Sacri Concilii Tridentini, a Generalibus Ordinibus S. Dominici, S. Augustini, S. Francisci, Cisterciensis, Beatæ Mariæ in Monte Carmelo, et forsân aliorum, expressisse licentias et facultates ingrediendi monasteria monialium eorundem Ordinum: alias vero, concessis ab Apostolica Sede, ante confirmationem ipsius Concilii Tridentini, contra ejus decreta uti. Quæ res, cum magnopere impediât observantiam regularem, et quietem ipsarum monialium turbet: tolli hanc quoque nimiam licentiam volentes, et ea, quæ Concilium Tridentinum salubriter statuit atque decrevit: ne mulieribus virorum, mulierum ne viris ingredi monasteria liceat, inviolabiliter observari mandamus; et præcipimus, ut hujusmodi omnes licentias, etiam ab Apostolica Sede ante confirmationem Tridentini Concilii concessas, sub censuris et pœnis, quibus sibi visum fuerit, eadem auctoritate revoces; et quod Tridentinum Concilium super hac re statuit, diligenter facias, sicut de pio zelo tuo confidimus, observari. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvii Maii MDCXVIII, Pontific. nostr. ann. tertio. »

204. *Felix Portugalliæ status.* — Fortassis autem provincialia Concilia, quæ in hac Epistola Pius commemorat, in quibus decretum fuit, a choro, presbyterio etc. cujusvis generis aut dignitatis laicos esse prohibendos; fuere Bracarense ac Eborense, quæ post Tridentinum Concilium, anno nempe millesimo quingentesimo sexagesimo quinto celebrata sunt, ut præfatus cardinalis de Aghirre ¹ docet; quorum tamen Acta, ob rationes, quas supra attulimus, cum de Granatensi ageremus, minime modo reperiuntur; cum tamen constet, in Eborensi V. Cl. Andrea Resendium concionem ad Patres in eo congregatos habuisse, ut idem Aghirre testatur.

205. Et his quidem levibus (si deteriora cæterarum pæne nationum hujus temporis mala spectentur) Ecclesiasticæ disciplinæ incommodis tollendis, in Lusitaniæ regno, Pio dumtaxat insudandum erat; quod id, sub Catholicis et vere religiosis principibus, subque una fide coactis populis, incredibili quadam tranquillitate frueretur. Quapropter ipsi etiam episcopis felix regimen animarum, utpote, quæ pastorum suorum sine cunctatione voces audirent et

¹ Aghir. at supra.

monita sectarentur. Optimæ huic sorti visus est sub hoc anno quodammodo sancte invidere Catholica religionis maximus ille præco cardinalis Hosius¹, dum Epistolis responderet Hieronymi Osorii Algarbiorum episcopi: « Vehementer (inquit) tibi gratulor, quod quam gentem tu moderandam suscepisti, non est a studio veræ religionis aversa, neque pestiferis disciplinis infecta, nec ab Ecclesiæ consensu distracta. Quam vellem, ut meâ quoque diœceseos idem esset status! cumprimis esse me felicem iudicarem. Verum, prohi dolor! quos mihi moderandos Deus commisit, ii se moderatoris egere non putant. Ipsi sibi sunt pastores et episcopi; ipsi sibi sunt Concilia, ipsi sibi sunt etiam Summi Pontifices etc. Heilsperga, ii Aprilis MDLXVIII ».

206. *Pius urget conversionem hæreticorum, necnon Ethnicorum in Indis Orientalibus et Occidentalibus.* — Fidei autem ubique dilatandæ fervore succensus Pontifex, aliquot cardinales elegit, qui in hanc tanti momenti rem peculiari attentione incumbere, consilioque inter se habito, tum novas excogitare sanctæ fidei restituendæ ac propagandæ rationes, tum recte consulta, ad effectum perducenda curarent. Decimo igitur kal. Augusti, ex sacro senatu, cardinali Augustano, qui paulo ante in Urbem venerat, Philiberto Naldo cardinali Bordeserio, Granvellano et Commendano munus id demandavit, in his, quæ ad hæreticos ad orthodoxam fidem revocandos pertinerent; iis autem, quæ ad Ethnicos ad Christianam religionem vocandos spectarent, Marcum Antonium cardinalem Amalium, Gulielmum Sireletum, Antonium Caraffam, et Alexandrum Cribellium pariter cardinales exposci credidit. Neque tamen ex eo, quod illis onus hoc imposuisset, se eo levatum Pius credidit; imo, ut prius, illud sibi ferendum censens, quidquid a pastoralis suæ sollicitudine exposci credidit, omni sedulitate curavit; ut ex Epistolis apparet, hoc anno, ad Hispaniarum regem, ad Didacum cardinalem Spinosam, ad Franciscum Toletum, Peruani regni proregem, et ad Consilii Indiarum regios consiliarios datis, quas hic prætermittendas non duximus, sunt enim:

« Charissimo in Christo filio nostro, Philippo Hispaniarum regi Catholico².

« Charissime in Christo filii noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum oporteat nos, pro officio pastorali, quod nobis, licet indignis, commissum fuit, curam habere, non solum eorum, qui fidem Christianam susceperunt, sed eorum etiam, qui ad eam suscipiendam facile adduci possunt; veluti populorum Indiæ, qui ad Hispaniæ regnum, nostris temporibus

adjuncti fuerunt; magnopere in Domino lætamur, te uti regem vere Catholicum, sicuti a felice record. predecessoribus nostris optatum fuit, qui eam orbis terrarum partem majoribus tuis subigendam attribuerunt, eosque populos illorum fidei commiserunt, curasse, ut sacrum Evangelium in illis provinciis prædicaretur, ac fides Catholica propagaretur. Quod, etsi eo studio atque sedulitate actum fuit, ut majestas tua, eo nomine magnopere in Domino collaudari potius debeat, quam hortationibus excitari; convenire tamen officio nostro duximus (postquam certiores facti fuimus, de rectoribus admodum idoneis, earum provinciarum regimini nuper destinatis), majestatem tuam rogare, ut populos illos ditionis suæ, hac occasione oblata, eis quam diligentissime commendare velis, ea præcipue mandare, ut propagationi S. fidei, et animarum salutis intenti sint; quarum rerum causa, ea orbis terrarum pars, ab initio ipsis majoribus tuis concessa fuit; ut cum ex laudabili eorum regimine, qui illis præerunt, tum bonis exemplis eorum, qui Christianam illis doctrinam tradent, jugum Christi suave et leve esse sentiant; neque ab illis ipsis opprimatur, qui eos tanquam teneras in vinea Domini plantas, alere ac fovere, et amorem in eis Christianæ religionis accendere atque augere debent; et ea omnia caveantur, quibus ipsi offendi, et Christiana religio detrimentum capere posset: qui autem nondum Christi fidem susceperunt, ad eam suscipiendam, charitate et dexteritate adhibita alliciantur. Certum enim habeat majestas tua, ex propagatione religionis, suum quoque in illis partibus regnum, Deo propitio ac favente, firmatum et auctum iri: et sibi talium in eos populos, et religionem meritorem, non solum in hac vita, sed in altera etiam, præmium paratum fore. De his autem rebus, mandavimus venerabili fratri archiepiscopo Rossanensi, ut cum tua ipse quoque majestate loquatur. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub anno Piscatoris, die xvii Augusti MDLXVIII. Pontificatus nostri ann. tertio ».

Ad Didacum cardinalem Spinosam.

« Didaco cardinali Spinosæ etc.

« Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Quandoquidem Domino placuit ut te in partem curarum et sollicitudinis nostræ vocarem, communicandum tecum duximus, de re, ad commissum nobis, licet indignis, munus, et propterea ad tuum quoque vel maxime pertinenti. Quid enim æque ad officium nostrum pertinet, ac curare, ut orthodoxa religio, quam latissime divini honoris et salutis animarum causa propagetur? ut qui eam pridem jam susceperunt, confirmantur; qui vero adhuc idolorum sunt cultui dediti, relicti errorum tenebris, lucem veritatis respiciant. Cujus quidem, quo majore desiderio tenemur, eo li-

¹ Hosii Optimum Epist. 89, p. 234. — ² Apud Gomb. Epist. 16 lib. 2.

bentius audivimus, charissimum in Christo filium nostrum, regem Hispaniarum Catholicum, lectissimos quosdam et probatissimos viros, ad regendas Indiae ditionis suae provincias destinasse. Elsi autem regem, tanta pietate et clementia praeditum non egeret hortatione nostra scimus; quippe quem audivimus sua ipsius sponte, et pro ingenita sibi clementia, multis illos populos oneribus sublevasse, quibus antea vexari et opprimi miserandum in modum consueverant; tamen volumus, ut cum post laudem debitam nostris verbis hoc nomine tributam, dexteritate, qua decet, horteris, ad perseverandum in tam sancto proposito suo propagandae religionis orthodoxae; quae quidem, ut propagetur, majestas ejus pro sua sapientia intelligit oportere, si quae onera restant quae tollenda sint, tolli, eosque populos illa tractari, ut gaudere in dies magis debeant, relictum a se idolorum cultum et Christi jugum suave ac leve susceptum fuisse. Illud quoque, quantum fieri potest, curandum esse, ut Christianorum, qui ex his Occidentis partibus profecti, in illas provincias commigrarunt, vita et moribus illos populos aedificent. Ita enim, et ipsi in fide Catholica confirmabuntur, et bonis eorum exemplis ceteri ad cognoscendam veritatem allicientur. Quibus de rebus majestatem suam nostris verbis hortaberis, ut pia mandata sua renovare dignetur, quae quando magis in hanc curam incumbet, tanto magis, non solum divini honoris cultum, sed suum quoque regnum, Deo favente, stabiliet atque etiam propagabit. Mandato autem nostro venerabilis pater archiepiscopus Rossanensis, desiderium hoc nostrum pluribus exponet; cujus orationi fidem habebis. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xviii Augusti m̄d̄lxviii, Pontificatus nostri ann. tertio ».

Ad Franciscum Toletum, Peruani regni proregem.

« Dilecto filio, nobili viro, Francisco Toletto, proregi provinciae Peru in partibus Indiae ¹.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. Magnopere in Domino gavisi sumus, ac Deo gratias egimus, cujus instinctu factum non dubitamus, ut charissimus in Christo filius noster, Hispaniarum rex Catholicus, te ad regendam provinciam Peru destinaverit; adeo praecleara de tua virtute, et in Catholicam religionem studio testimonia habuimus. Non solum enim fideliter ac sedulo executurum te esse confidimus, quaecumque a tam pio rege mandata habueris; sed facturum praeterea tua sponte quidquid praesens ipse expedire cognoveris, ad fidem orthodoxam in illis partibus propagandam, et quampturimas animas Christo lucrandas. Ut vero, et qui adhuc

infirmi sunt in fide confirmentur, et qui idolorum cultores, Christi fidem suscipiant; necesse est, pro tua prudentia intelligas, illos ita regi atque tractari debere, ut ipsi quidem divina erga se misericordiae beneficium in dies magis agnoscant; infideles autem atque idololatrae, eorum exemplo atque imitatione, ad veritatem agnoscendam invitentur. Illud quoque, quantum fieri potest, providendum est, ne eorum, qui ex his Occidentis partibus, in eas provincias commigrarunt, pravis moribus offendantur. Quibus in rebus exequendis et curandis, nobilitas tua, etiam tacentibus nobis, intelligit, quantum habitura sit facultatem inserviendi Dei Omnipotentis honori, simul et regis gloriae; tibi autem ingenita ab hominibus laudis comparandae, nec minoris a Deo gratiae incedendae. Nostram autem paternam benedictionem tibi impertientes, venerabili fratri archiepiscopo Rossanensi, nostro mandato, tibi pluribus verbis desiderium nostrum exposituro, fidem ut habeas, abs te petimus. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xviii Augusti m̄d̄lxviii, Pontificatus nostri anno tertio ».

Ad reges demum consiliarios consilii Indiae, ita scribit :

« Dilectis filiis, nobilibus viris consilii regii Indiae.

PIUS PP. V.

« Dilecti etc. Cogit nos munus, quod licet indignis, nobis a Deo commissum fuit, curam omnium salutis habere, qui in grege Dominico numerantur, nec minus de eorum salute esse sollicitos qui longissime absunt, quam de eorum qui prope sunt; cum omnes unum in Christo corpus sint, et pro omnibus Christus sit mortuus. Qua in re, quo magis officio nostro satisfacere cupimus, eo libentius audivimus charissimum in Christo filium nostrum regem Catholicum, lectissimos quosquam et probatissimos viros, ad regendas Indiae ditionis suae provincias destinasse. Itaque praeterire non potuimus, quin vos in Domino hortaremur, ut, sicut adhuc pie et fideliter admodum fecistis, perseverare velitis, in admonendo ipso rege de omnibus rebus, quas pertinere pro vestra prudentia intelligitis ad confirmandos illarum partium homines in fide Catholica, quam susceperunt; et idolorum cultores, ad veram et salutarem Christi religionem suscipiendam alliciendo. Religione enim Christiana in illis partibus constituta et propagata simul regis quoque regnum, Deo favente, firmabitur et propagabitur. Ut populi autem illi fidem Christianam a se susceptam teneant, oportet eos charitate et clementia adhibita regi; et si quibus gravioribus oneribus adhuc gravantur, ita levari, ut sicut jugum Christi suave et leve est; ita regis quoque Christiani imperium clemens esse sen-

¹ Ex Archiv. ut supra.

liant : quæ mansuetudo reliquos quoque, ad suscipiendam fidem Catholicam incitabit. Mandato autem nostro, ven. frater quoque archiepiscopus Rossanensis vobiscum pluribus aget. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub die xviii Augusti MDLXVIII, Pontif. nostr. anno tertio ».

207. Adeo vero sollicitum fuisse Pium de his Occidentalium Indiarum rebus curandis, constat quod ibi, qui præerant, eos populos sævissime ac innumeris pæne incursionibus opprimerent; et insuper insaturabilis cupiditatis ac deterioris vite exemplis, quin illos ad Christianam fidem amplectendam allicerent, potius ab ea delerrere viderentur; et insuper, quod nec iis quidem parcerent, quos abjectis errorum tenebris, ad veritatis lumen conversos, propensius fovere debuissent. Et magno certe propagationis fidei damno, et rege certe piissimo invito, qui eis, et in his, quæ ad animarum salutem, et in aliis, quibus temporale etiam commodum prospiciebatur, illis omnimode consulere voluisset. Nihilominus, et regis optimum animum, et Pii sanctissimum zelum in comprimendis huiusmodi scandalis, parum profecisse, qui res Indicas scripserunt, palam testati sunt.

Iti autem apparet, litteras huiusmodi a Pontifice scriptas fuisse. post decretam, quam diximus, cardinalium Congregationem, quæ curandis rebus ad fidei propagationem spectantibus incumberet; sic sciendum, hæc prima fuisse Congregationis illius, quæ postea *De Propaganda Fide* dicta est, initia, et maximo totius Christianæ republicæ bono, sub Gregorio Decimo Quinto, Urbano Octavo, ac aliis Pontificibus, amplificata et aucta, Evangelicos præcones in universum mundum, ad prædicandum Evangelium omni creaturæ, mittere consuevit; sed de hac inferius.

208. In Orientalibus autem Indiæ regionibus¹, hujus anni initio Malacham oppugnarunt Aeni, Lusitanis infestissimi, ex insula Somastra, olim, ut creditur, Teprohana. Rex ipse, cum uxore et liberis rem urgebat; nihilominus die S. Matthiæ, ac trigesima quarta a cæpta obidione, magna sanctorum clade eam solvere et abscedere compulsus fuit. Nec meliori eventu res Malabris, Mahometicæ sectæ sectatoribus cessit, qui citiorem maris Indiæ oram, ab Promontorio Comorino usque ad Goam infestabant, ac ad oppidum Mangalor, ad ejusdem nominis flumen sese recipiebant. Antonius enim Noronia, prorex, classe comparata, oppidum idem aggressum, ac deinde occupatum diruit, et flumini arcem imposuit.

209. Goa vero, finitimisque insulis jam fere ab idololatriæ labe penitus expurgatis, in Salsellis majus negotium fuit, quod ibi haud pauci veritatis lumini sese rebelles ostenderent. Licet

enim in eo loco plures sacræ ædes constructæ conspicerentur; efferatiora tamen illarum gentium ingenia, et superioris anni delubrorum excidio, se nullatenus temperaverant; ideoque Cortalenses pagani, impetu in templum facto, araque penitus denudata, ad viginti Christianos expoliarunt, eorum casis igne consumptis; et postera die Petrum Mascharenam, e Societate Jesu, qui illic morabatur, furemter aggressi, plagis impositis, semivivum reliquerunt.

210. At in Travancoris ora, fastidiosius eventibus Christiana res acta fuit. Franciscus enim Petrius, ejusdem Societatis alumnus, hoc tandem anno regionis illius regem sibi devinxit, quod hic Petrio eodem, ac sociis interpretibus, quandam equorum copiam a Lusitano prorege obtinere contenderet, qua se, contra finitimos regulos communiret. Petrio igitur rogante, divinam legem prædicandi, toto eo regno facta est potestas; imo in eadem regia Travancori urbe, regina operi favente, rex ipse templum extruxit.

211. Cocini nonis Augusti, centum et septuaginta quatuor, ethnica superstitione deposita, sacro fonte expiati sunt, celebritatique novus episcopus, Henricus Tavera, e sacro Dominicanorum Ordine, Lusitanii præsidii præfectus, Joannes Fonseca, aliique primarii viri interfuere; verum, cum Naires, quæ militaris est natio, præcipuæ inter Indos auctoritatis, recens initiatos vexarent; factum est opera Melchioris Nunnii, ex eadem Societate, ac præfati Fonsecæ, ut rex ediceret unicuique Christianæ fidei nomen dare, licere; ideoque regia hac auctoritate suffullit, sext. kal. Octobris pari celebritate centum quadraginta baptismata susceperunt.

212. Oneraria vero quædam navis, quæ Cocino Goam, quint. kal. Novembris solvit, in qua centum et quinquaginta nobiles Lusitani, necnon quatuor Societatis Jesu alumni vehebantur, postero die, cum prope Calem Mahometanos offendisset, ac acriter cum eis pugnasset, tandem cum scintilla in tormentarium suum pulverem incidisset, mergi cogitur. Qui in ea erant, se in mare præcipites dedere; ex quibus Franciscus Lupius Jesuita, cum natatu in hostilem celocem evasisset, quia Christum relinquere recusavit, (ut narrat Sacchinus), hasta in pectore transfixus fuit. Melchior autem Carnerius, Nicænus episcopus, quem Ætiopici patriarchæ adiutorem, deinde et futurum successorem consecratum fuisse diximus; hoc anno, juxta Pontificis mandata, in Amachau Sinarum insulam navigavit, quod Japonicæ Ecclesiæ præesse jussus esset; ejus autem adventum Amachiensi populo præopportunum fuisse, præfatus etiam Sacchinus tradit.

213. Hoc eodem anno regulus Bartholomæus, consueta pietatis suæ specimen dare insuper haud prætermisit; nam mense Octobri Omuram veniens Cosmus Torres, ab eo obtinuit.

¹ Sacchin. soc. et alii.

ut Templum Christiano ritu construeretur; cumque in eo jam absoluto primum sacrificium offerri contigisset, die festo Conceptionis intermerata Virginis; ideo Conceptionis ejusdem nomine, Deo in honorem B. Virginis dicatum fuit. Restitutum etiam fuit atque apertum templum, quod Meaci erat, prestrepentibus licet Bonziis, id curante Xinovardonno dynasta, quamvis Ethnico, qui tamen Ludovici Troes Societatis Jesu sacerdotis, in eam urbem roditum impetrare minime potuit. Andreas Fernandez Societatis ejusdem, sacri templi jus acerrime etiam Comorini vindicavit; cum enim Mahometanus quidam in eo jus reddere, temerario ausu præsumeret; spreto mortis periculo, ab eo facinore deturbavit; ac deinceps, ne Gentiles quod simile auderent, ferventi suo Dei honoris zelo, impetravit. Qui vero plura de his desiderat, Organtini apud Maffeu litteras legat, et Sacchini Societatis Jesu historias consulat.

214. *Ficta legatio patriarchæ Syrorum.* — At ex eodem Sacchino minime prætermittendum existinamus, eximio propagandæ ubique religionis Pontificis zelo, nebulones quosdam hoc anni illudere præsumpsisse. Ii Syriorum patriarchæ se legatos simulantes, ejusdem Epistolas detulere Pio, cujus liberali sumptu, quatuor circiter menses Romæ egerunt. Cum igitur Pontifex Arabice exaratas Epistolas, Baptistæ Olliano e Societate Jesu, quem et Romanum vocabant, illius idiomatis perito interpretandas tradidisset; is varia persecutus indicia, simulatam tandem legationem comperit; ideoque rem Pontifici delitit. Et quidem, de vanis hujusmodi nebulonibus exemplum sumere Pius statuerat; sed illi periculum subodorati, clanculum se fuga subriperunt.

215. *Mors Panvini quem Baronius optaverat suo loco esse scriptorem Annalium.* — Commemorandus vero venit, priusquam annum hunc absolvamus, Onuphrius Panvinus Veronensis eremita Augustinianus, vir (inquit Thuanus ¹) ad omnes, et Romanas et Ecclesiasticas antiquitates e tenebris eruendas natus, quod præclara ejus, et ad omnem æternitatem victura monumenta testantur: qui Alexandrum Farnesium cardinalem, præcipuum patronum suum in Siciliam prosecutus, alienissimo, et sibi, et publicæ utilitati, cui in Ecclesiastica historia conscribenda inserviebat, tempore, Panormi obiit decim. octav. kal. Aprilis, cum annum tantum ætatis trigesimum nonum attigisset. Ob summam Ecclesiasticarum antiquitatum ac rerum eruditionem, Annalium Ecclesiasticorum scriptionem Panvinum suscipere optaverat cardinalis Baronius, quod istam ipse adoriri renue-ret. At cœlitus edoctus S. Philippus Neri, quod id, non a Panvinio, sed ab eo peragendum

esset, evidentissime significavit. Libeat hic quæ in Vita S. Philippi leguntur, ex Petro Jacobo Baccio recensere ¹: « Cum primum (inquit de Baronio loquens) capit in Oratorio ad populum dicere, fere semper mortis et inferorum minas in auditores intonare consueverat. Quod, cum diutius præstitisset, Philippus, divino spiritu illustratus, prævidens fore, ut si dicendi argumentum commutasset, uberiori cum fructu, et suo, et aliorum dixisset; cohortatus est virum, ut missis mortis et inferni terroribus, ad Historiam Ecclesiasticam exarandam se conferret. Tum haud sane contradixit Baronius; sed, cum propter contrariam naturæ propensionem, adhortamenta negligenter; Philippus, pro imperio jubet, quantoque visum impositum munus exequatur. Duriora visa sunt Baronio Philippi imperia; cumque hinc obedientiæ virtus urgeret, hinc naturæ repugnantia deterreret, in maximis angustiis versabatur. Sed pius Dominus, ut animi æstum compesceret, suum ipsi hoc modo consilium patefecit.

« Certa quadam nocte, cum somnum teneret, visum est Baronio se cum Onuphrio Panvinio, qui etiam Ecclesiasticam Historiam prosequabatur, disserere: cui animo valde anxius, quæ Philippus præceperat insinuans rogat, ut tantum opus absolvere non recuset. Dumque rationes cumulat ut id amico suadeat, in Philippi vocem repente audit: Cede jam, o Cæsar, cede, neque diutius obsistas: quandoquidem Historia Ecclesiastica tibi, non Panvinio scribenda est. Hæc inter expectatus Baronius atque exinde Dei voluntate percepta, festinum in animum induxit, ut Annales Ecclesiasticos in Oratorio percurreret, quos cum a Christo nato ad sua prope tempora semel produxisset, Philippus ei præcepit, ut iterum atque iterum eos ab initio ab finem repeteret. Atque ita triginta annorum spatium, septies, antequam primum Tomum typis mandaret, totam a principio Historiam in concionibus percensuit; ac demum opus universum in duodecim Tomos distributum edidit, etc ». Hæc Baccius, quæ etiam confirmat Hieronymus Barnabæus ² in Vita ejusdem cardinalis Baronii; qui cum in calce Duodecimi Annalium Tomi hunc absolutum fuisse asserat post mensem, a creatione Pauli Pape V, cui etiam illura dicavit, ac triginta annorum spatium septies, antequam primum Tomum ederet, totam a principio Historiam percurrisse dicatur; cum hic editus comprobretur anno mdcv, hinc patet ex anno mclxxv huic se studio, S. Philippo, ut diximus præcipiente, dedisse.

Sed, ut ad Panvinium redeamus, amici ejus, Romæ homini non solum de se, sed de re litteraria ac præcipue Ecclesiastica optime merito.

¹ Thuan. Histor. lib. 13. pag. 328.

² Vit. S. Philippi Neri. lib. I. c. 13. — ² Hieronym. Barnabæ. Vitæ Baron. lib. I. c. 18. Pag. 41.

Cenotaphium ad S. Augustini marmoreum cum imagine Ænea creverunt.

216. *S. Stanislaus Koska moritur: Pontificis severitas in pronepotem.* — Hoc pariter anno mortuus est Romæ S. Stanislaus Koska Societatis Jesu, die decima quinta Augusti, cum ætatis suæ annum ageret decimum septimum; in quo certe ætas senectutis, vita immaculata visa est, ad quam Deum illustrandam, plurima ingentiaque prodigia patrasse, non orthodoxi modo, sed hæretici quoque, et scriptores, et urbes, interposito sacramento, post districtissimas, easque publicas inquisitiones, ac cribrationes, testatæ sunt: quibus motus Pontif. Benedictus XIII sa. me., toto Christiano orbe plaudente, ann. mcccxxv et solemnî pompa, Sanctorum eum albo adscripsit.

Quod cuncti demum Pii Vitæ scriptores monumentis tradidere, nobis quoque prætereundum non est, de Paulo Ghislerio, Pio ex fratre pronepote. « Quo (inquit Gabutius ¹) nemo supererat illi sanguine conjunctior, quem (ejusdem verba dabimus), a piratis captum, et trirēnibus alligatum, ignaris Turcis eum esse Pontificis consanguineum, Pius idem modica redimi

¹ Vit. Pii lib. 6. c. 14. pag. 250.

pecunia, Romamque profectum videre voluit, sed non alio habitu, quam eo ipso, quo, dum esset in vinculis, induebatur. Eum porro graviter admonuit, ut ex ea calamitate ereptus discederet, ingentes Christo Redemptori, dum viveret, gratias agere, Deique mandata diligentius custodire. Dein equo officioque donatum, unde centenos aureos haberet annuos, humaniter accepit. Mox eum, quod miles esset egregius, suburbanae regioni, custodiæque suæ præposuit, atque ei quingentorum aureorum annuam pensionem, ac suburbanam villam, in qua ipse domum extruxerat, dedit. At quid demum? Sed cum ille (addit Gabutius) juvenili lapsus errore, præscriptas Pontificiæ familiæ leges, (et quidem hoc anno,) violasset, ac præterea culpam mendacio tegere voluisset; eum, non solum officiis et donatis rebus, sed ab se et ab universa Romanæ Ecclesiæ ditione statim ablegavit; ea lege, ne deinceps Romam accederet. Usque adeo (addit scriptor ipse) et mendaciorum inimicus, et domesticæ disciplinæ vigilans ac tenax custos, et in consanguineos suos, quos cæteris modestiæ et obedientiæ exemplo esse volebat, severior fuit, quam indulgentior ». Hactenus ille et nos de hoc anno.

PII V ANNUS 4. — CHRISTI 1569.

1. *Carolus Borromæus Scalensium collegium visitare statuit, et a canonicis patitur repulsam.* — Anno Christi quingentesimo sexagesimo nono supra millesimum, duodecima Indictione, dum Mediolani Carolus cardinalis Borromæus, omni studio ac labore Ecclesiæ suæ reformationi incumbit, hand sine vitæ discrimine, pravorum hominum odium patitur; qui tanquam multa febre phrenetici, in medicum, qui eos curare contendit, insurgere non verentur.

2. Inter alia sæcularium præbyterorum capitula, quæ Mediolani erant, præclarum illud recensebatur, cui Scalensium nomen inditum fuerat; eo quod Beatrix Scalensis, Barnabæ Mediolanensis principis uxor, (quam a Basilica Petri ¹ et Bzovius reginam nominant) illud inchoasset. Ab ipso deinde Barnaba, post uxoris mortem dotatum ac absolutum fuerat, ea tamen lege, ut sibi ac successoribus suis canonicis

¹ Basilic. Petr. in Vit. Sanc. Caroli. Bzovius An. sub hoc an.

nominandi jus integrum remaneret. Huic collegio Franciscus Sfortia deinde, qui ultimus illius gentis Mediolanensis dux fuit, a Clemente VII Pontifice obtinuerat, ut extra archiepiscopi Mediolanensis jurisdictionem fieret; si tamen privilegio huic archiepiscopus ipse pro tempore existens, annuisset; sed quia, nec ille, nec qui ei suffecti sunt ipsi unquam assensum præbuerant; ideo, conditione minime impleta, privilegium idem, ac si non obtentum, habendum erat.

3. Nihilominus, tum canonici, tum regii ministri, (quod forte, post impetratam hujusmodi exemptionem, nullius archiepiscopi supra se imperium ac auctoritatem senserant): quod in curia actum fuerat, privilegio tribuebant, nihilque sibi cum archiepiscopo esse tuebantur; et eo magis, quod depravatos suos mores debita disciplina coercere velle cardinalem Borromæum merito formidarent. Illic, e contra, adire templum et cuncta ibi suo jure inspicere

jam slatuerat, auctoritatis propriae certo consocius; a proposito nihilominus abstinuit, donec super hac re Pontificem consuleret, a quo tandem responsum tulit, ut jure suo uteretur. Rem tamen illo trahi duobus fere mensibus passus est, ut lenitate, eorum pervicaciam flecteret, si posset. Verum tantum abfuit, ut a caepo, quam sibi vindicaverant libertatis declinarent, quin potius ad jus hoc tuendum magis obfirmarentur, regiam praecipue majestatem jactantes, nomenque regis, ad quem hujus collegii templique tutela et possessio, una cum reliqua Mediolanensi ditione pervenisset; ad eumque ideo Scalensis Ecclesiae defendenda negotium pertinere contenderent. Quibus vocibus regii ministri sollicitati, ipseque Alburquerque gubernator commotus, illis ferme diebus capitale edictum promulgari jussit, tanquam in rebelles, in eos qui, vel verbo vel facto ulla in re regiam jurisdictionem laedere praesumpsissent.

4. At quamvis edictum id, ad terrorem cardinali ejusque ministris inferendum editum fuisse, scriptores ejus temporis ac Mediolanensium rerum asserant, ne praesertim in Scalensi hoc negotio cardinalis ipse novi quidquam moliretur; aliud tamen, ad ipsum evulgandum impulisse Alburquecium tradit a Basilica Petri¹, idque fuit, quod ad tollendum mercatum quemdam, qui ad S. Bartholomaei Ecclesiam, ejus die festo haberi solebat, ipso die Carolus Ecclesiam ipsam claudi jusserat: cumque ad eam, rei divinae causa forte Alburquerqueus advenisset, et ocellas fores reperisset (ut perturbati animi natura est); id injuria loco accepisse dicit, ac praefato edicto, cardinalis auctoritatem coercere voluisse, asserit. At Giussanus² rem aliter narrat, et Alburquecium, non modo nihil ex hoc offensum se praebuisse scribit, sed insuper cardinalis zelum laudasse, quod ad tollendas profanas eas nudinas, nec loco, nec tempori congruentes, cum rationem excogitasset. Quidquid fuerit, quod praediximus edictum prodiit, quod Scalenses faustum sibi in primis interpretati, tantos inde spiritus sumpserunt, ut non modo in pristina illa sua recusatione perstarent: sed etiam cardinalis ipsius vicarium interdicto notare praesumpserint; quod ex Scalensis ejusdem templi ministerio, clericum unum in carcerem conjecisset.

5. Tantum ideo temeritatem haud ulterius dissimulandum Carolus censuit, ideoque illius Ecclesiae recognitioni diem statuit; quae, juxta Giussanum, trigesima Augusti fuit, postridie quam praefata acta erant; et praemisso e suis, qui denuntiaret, ipsum adesse, templum adit. Quid autem ei acciderit, audi ex Ripamontio³, his verbis:

« Canonici matutinas preces velati suis insignibus caneant, cum eum nuntium accepere, consternatique odacum relinquunt, et egressi, tanquam armata acies, consistunt in vestibulo templi, ut Pontificem aditu arcerent. Simul, ex tota vicinia conciverant amicos quosque suos, et momento temporis, tela ibi, et saxa, et gladii, et quidquid in hostem paratur. Mox cardinalis ipse aderat pontificali vestitu, mitratus, insidens mulae, cum caetero solemnium apparatu et comitatu, qui hostibus etiam offundere religionem posset. Nulla ibi religio, nulla apud infensos reverentia tantae majestatis valuit, concocaverat ita animos, ut ne mysteria quidem tremenda humanae salutis oculi influerentur.

« Stringunt armati gladios, expediunt tela, et facto in sacrum agmen impetu, propellunt atque excludunt, crucem simul et insignia pontificatus, quae duo cardinalis in equis praeferebant. Jam in conspectu pontifex ipse erat, plus misericordiae quam indignationis animo volvens, ob atrox illud factum. Anxius, quatenus miseri furorem exerceret, descendit illico ad pedes, crucemque, quam illi rejecerant, apprehensa, pergit inferre gradum, si forte pudor saltem ibi aliquis animos subiret. Nihil ea specie mitigati, dirigunt ictus, vanos illos quidem in auras, tantummodo ad terrorem; sed pleraque vulnera in crucem ipsam incidere, foediori spectaculo, quam si hominum corpora percuterentur.

« Ita Carolus, per gladios, urgentiumque turbam, crebro, huc illic impulsus, et cum sacro pondere nutans, ad limen usque templi cum pervenisset, ocellis in faciem valvis, stetit aliquandiu ibi confuso animo, ob ignominiam quae illata cruci videbatur; deinde tacitus abiit.

« Duorum eo die hominum maxime conspecta insolentia temeritasque fuit, quorum et tradi nomina ad Historiam munus pertinet, ut saltem hanc communi memoriae poenae luant. Petrus Barbestus et Antonius Calaber fuere; ille civitate Ticinensis presbyter quidam, et leguleius assecla canonicorum; hic ejusdem templi canonicus, aëconomusque regius. Barbestum canonici magna illa arte delegerant ad tuenda collegii jura judicem et patronum; ut quoniam inscitia legum inter rabulas, et cupidine lucri praecipuus esset, auctore et ministro eo, ad praecipitia quaevis et absurda uterentur.

« Is, cum instigator ad caetera promptissimus fuerat, praebueratque nomen, ut aliqua judicii forma et ritu peragerentur; tum infausto illo tumultus die, ausus est suspendere tabellas scriptum habentes: cardinalem archiepiscopumque Carolum illigatum esse anathematis poena, propterea quod Apostolicae Sedis auctoritatem et privilegia Scalensis Ecclesiae contempsisset. Calaber autem aëconomus, idemque canonicus, fere auctor universae seditionis fuit,

¹ Ibid. ut supra. — ² Giuss. Vit. S. Caroli lib. 2. cap. pag. 407.
— ³ Ripamont. Hist. Mediol. lib. 3. cap. 3. pag. 451.

Is et ad primum de cardinalis adventu nuntium exivit, movitque ab sedibus suis collegas, et cum in vestibulo constitisset, dux agminis impii, minaciter et contumeliose pteraque jactando in cardinalem dixit; implevitque sui furoris animos, etiam eorum, quos verecundia alioqui majestatis ejus tenebat.

« Carolus postero die quam acta ea fuerant, pronuntiat Barbestum et Calabrum cæterosque canonicos damnatos esse lege, quam Bonifacius Octavus in cardinalium violatores tulit, ejusque anathematis tabellas omnibus locis proponi jubet. Simul Alburquerque gubernatori cæterisque regiis per litteras denuntiat: considerent etiam atque etiam, num ei culpæ ac violationi, dicto factore aliquo affines fuerint, ut si id ita sit, eadem lege se esse damnatos sciant. Ad Pontificem quoque Maximum, et in Hispaniam ad regem de tota re perscribit. Neque Scalenses interea quiescebant, ad omnia tribunalia concursando, circumeundoque regionum domos, Alburquercium permovere ipsum, ut minacibus in cardinalem litteris apud Pontificem Maximum, de violentia ejus, et asperitate expostularet. Etiam contentione animi proventus, inter scribendum jecerat; nisi cardinalis ex urbe provinciaque amoveretur, videndum sibi esse, quomodo sui regis majestati consuleret; ac vereri ne gravius aliquid facere cogatur. Unis ea litteris scripserat.

« Alteræ mox subsecute litteræ, inconsultus projecere idipsum, quod ambigue antea intulisset. Necessarium denique consilium amovendi cardinalem, haud ultra dilaturum se. Incrant alia verba quasitæ asperitatis, tanquam in seditiosum et turbulentum, et regi inimicum, publicæque paci insidiantem. Rescripsit ad ea Pontifex egregio temperamento, inter summi imperii majestatem, et mansuetudinis Apostolicæ paterniquæ animi sensum. Miscuit iræ simul et elementariæ signa, et jacta in cardinalem crimina, minasque ita confutavit, ut neque mentiri Hispanum argueret, et posse in ejus caput recidere pericula, benigne minitaretur ». Ita Ripamontius.

6. *Pontificis litteræ tum ad gubernatorem Alburquercium, tum ad Carolum ipsum de negotio Scalensium.* — Pii autem litterarum ab eo laudatæ exempla, hic duximus transcribenda, suntque ut sequitur:

« Dilecto filio, nobili viro, Gabrieli a Cueva, duci de Alburquerque, Status Mediolanensis gubernatori ».

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. Graviter, nec minus quam rei magnitudo postulat, affecti sumus, ex eo quod de exitu controversiæ, inter dilectum filium Carolum cardinalem Borromæum, et ca-

nonicos S. Mariæ a Scala, antea quoque ad nos allatum, ex litteris nobilitatis tuæ, prima die Septembris datis, etiam cognovimus, quibus de ea re diligenter atque accurate admodum ad nos scripsit. Id autem multas ob causas; primum quidem, quia cardinalatus dignitatem nobis atque huic Apostolicæ Sedi conjunctissimam, ab hominibus Ecclesiasticis (qui eam ab aliis oppugnant defendere ac revereri debuerunt) contemptam dolemus. Deinde, quia improborum hominum audacia (apud quos hæc inter Ecclesiasticos homines discordiæ, præcipue adjunctis utrimque excommunicationibus, valde secundis auribus accipiuntur), ex hujusmodi rerum eventu, magis confirmatur, sic ut ad majora quotidie audenda eis animus addatur, præsertim si se summorum principum, vel gratia, vel auctoritate lutos futuros esse sperare posse videantur. Ut interim illud taceamus, nullum tam honorabili Ecclesiæ membro contemptus detrimentum inferri potuisse, quod non eodem tempore, ad nos Sanctamque hanc Sedem redundaret. Oportebat quidem canonicos, si quid pro Ecclesiæ suæ jure tuendo adversus cardinalem juris habebant, cum eo, non vi, aut armis, sed aut judicio, aut his, quæ legibus constituta sunt, remediis, experiri; neque enim, vel protestandi, vel aliæ juris viæ illis deesse poterant. Quod eo magis facere debuissent, quia, ut accepimus, cardinalis visitandæ illius Ecclesiæ possessionem obtinet. Sed quoniam illi, Christiani nominis adversario, id ipsum ad perturbandam Ordinis Ecclesiastici concordiam suggerente, eo progressi sunt, quo salva eorum modestia, ipsiusque cardinalis dignitate, progredi non debant; nos, pro commisso nobis ab Omnipotente Deo officio, improbitatem hominum reprimere volentes, prætermittere sine culpa non possumus, quin eosdem canonicos, perinde ac meruisse videntur, justa correctione afficiendos curemus. Quam quidem ad rem, nobilitatis tuæ auxilium, si opus fuerit, nobis defuturum non esse existimamus; tantum abest, ut eam aliæ culpæ a debita pœna vindicandæ indulgere velle arbitremur. Quod autem ad ea pertinet, quæ inter nobilitatem tuam, eundemque cardinalem controversa sunt; brevi nuntium nostrum istuc missuri sumus, qui nostram mentem, animique nostri sensum copiosius ei exponat; quæque ipsius provinciæ regimini non minus, quam juri Ecclesiastico tuendo utilis sunt, ad nobilitatem tuam nostro nomine deferat. Quod vero ad eam litterarum partem tuarum pertinet, in qua cardinalem, quasi pertinacem et in consiliis suis præcipientem videri nobilitas tua vult; quanquam verbis tuis eam, quam par est, fidem habeamus; tamen cum illius actiones atque consilia ejus temporis recordamur, quo, vivente felic. record. Pio IV prædecessore nostro avunculo ejus, Rei-

publicæ Christianæ atque Ecclesiæ negotia tractabat; nihil tale de illo nunc, aut ipsi existimare possumus, aut tunc ab aliis existimatum esse intelleximus. Si enim talis esset, fieri non potuisset, quin tam diurni temporis spatium, quo rem Ecclesiasticam gubernavit, aliquod ejus naturæ specimen dedisset. Illud quidem nobis durum videtur, cum Deus ipsi civitati pastorem, ea qua est morum integritate, sanctitateque præditum dederit, qui nihil aliud quam animarum fidei suæ commissarum salutem quærit, qui vitia tollere, et mores depravatos, quantum in se est, corrigere conatur; ei tamen ab his, qui ipsum diligere, et magnificare debuerant, vitio illi dari, quæ tantum ab illo absunt, quantum ipse ab omni, non modo vitio, sed vitii suspicione abest. Sed profecto illud verum est, quod ipsa veritas Apostoli voce docuit; his omnibus, qui pie ac sancte in Christo Domino nostro vivere volunt, paratas esse persecutiones; quarum tamen fructus dulcis est, finis gloriosus, illis quidem qui eas libenter pro ejus nomine patientur. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die x Septembris MDLXIX, Pontificatus nostri anno quarto.

At licet Pius ista ad Alburquercium scripserit: cum tamen (ut passim accidere solet) Scalsensium facinus non eodem modo omnes ad ipsum detulissent; nec defuissent, qui cardinalis Borromæi intempestivum zelum culpa non vacasse monstrassent; utpote qui a visitatione per breve aliquod saltem temporis spatium (quod enixe canonicos petiisse dicebatur,) abstinere recusasset: idcirco Pontifex, quamvis Scalsensium scelus delestatus esset, Caroli tamen agendi rationem probandam non censuit; idque ad ipsius Epistolas respondens, eidem cardinali sequenti Epistola significavit:

« Dilecto filio nostro, Carolo, tit. S. Praxedis, cardinali Borromæo nuncupato ¹.

PIUS PAPA V.

« Dilecte fili etc. Non facile verbis consequi possumus, quanta molestia affecti simus, audito exitu illius controversiæ, quæ inter circumspectionem tuam, et canonicos S. Mariæ a Scala, super ejusdem Ecclesiæ visitatione, superioribus diebus istic agitata fuit. At nobis quidem nihil perspectius est, quam tua in Deum Omnipotentem pietas, et adjuvandæ religionis studium singulare. Rei tamen atque ipsius facti series, non eodem modo nobis proponitur. Quocirca, etsi tuo nostroque dolore movemur, tamen neque officio ipsi nostro, neque tuis rationibus subito consulere possumus. Injuriam quidem, non minus circumspectioni tuæ, quam nobis factam, judicari justa correctione volumus, deque ea re, ad dilectum filium nobilem

virum istius provinciæ gubernatorem diligenter scripsimus. Cætera, quæ inter illius nobilitatem, tuamque circumspectionem in discrimen vocantur, diligentius nobis attendenda sunt. Si enim verum est, tam brevem temporis dilationem, ad eam Ecclesiam visitandam, a te petitam, neque impetratam esse, nos factum tuum probare nullo modo possumus. Oportet enim interdum, non modo rerum ipsarum, sed temporum habere rationem. Si vero ab adversariis tuis confictum est, de persecutione dolemus; teque illo, et usitato, et verissimo consolationis genere consolamur, quod omnibus his, qui pie et sancte in Christo vivere volunt, paratam esse persecutionem, Apostoli voce didicimus; pro cuius nomine, etiam si martyrium subeundum esset, præclare nobis actum fuisse existimare debemus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xvi Septembris MDLXIX, Pontific. nostri ann. iv. »

7. Prudenter, ad diluendam calumniam, de inconsulto, videlicet, Caroli cardinalis zelo, ad Pontificem delatam, ejusdem Borromæi gestorum scriptores adnotasse, ut diximus, agnoscentur, Borromæum ipsum, post Pontificis responsum, quo in Scalsensium visitatione jure suo uti jubebatur, nihilominus, rem duobus fere mensibus protraxisse, ut lenitate eorum pertinaciam fleteret. Qua de re tandem, cum certior Pius redditus esset, quin redarguendum Carolum censere, acrius ejusdem partes suscipiendas existimavit. Quapropter, cum Alburquercius, acriores (quas Ripamontius ¹ innuit) in Borromæum litteras dedisset, et insuper petiisset, ut Scalsensium causa Mediolani agnosceretur, non modo postulata concedere abnuitt; sed acriori stylo, in hunc modum compevit, nova in primis salutationis ad rem usurpata formula:

« Dilecto filio, nobili viro, Gabrieli a Cueva, Duci de Alburquerque, in Statu Mediolanensi locum-tenenti regio.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem, et salubriora in Domino consilia. Ad ea, quæ duabus Epistolis tuis, die vigesima octava Septembris datis, ad nos scripsisti, ita respondebimus, ut Apostolicæ vocis nostræque personæ simul memores, posthabita omni contentione, necessaria tantum attingamus, reliqua enim in eisdem Epistolis ejusmodi sunt, ut non tam diligenter excutienda, quam paterna quadam dissimulatione præmittenda esse videantur. Nos enim, quemadmodum nobilitatem tuam vere et ex animo diligimus; sic quæ ad eam scripturi sumus, hæc non minus pro animæ suæ salute, quam pro veritate justitiæque tuenda scripta esse volumus, atque ut talia, nobilitati tuæ probari vehementer cupimus. Deum Omnipotentem oramus, ut cordi

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

¹ Ut supra.

tuo aperiat, quanto hæc ad te paternæ charitatis ardore scripserimus. Et primum quidem ab ea parte litterarum tuarum, in qua de ipsius cardinalis moribus et institutis tam multa scripsisti, responsionis nostræ initium ducentes, tibi vere constanterque affirmamus, nos, nisi illius vitam, mores, consiliorumque vias penitus cognitās haberemus, ex his quæ scribis animo valde suspensio atque incerto futuro fuisse: sed quoniam, quo illius cogitationes actionesque omnes spectent, et quibus ad eas ministris adiutoribusque utatur, exploratissimum nobis est; in eam sententiam venire cogimur, ut hæc omnia, antiquo illo Christiani nominis hoste callide moliente, excitata esse existimemus, cuius proprium est, concordiam oppugnare, conjuncta dissociare, recta depravare: qui cum te, mutua cum cardinali concordia conjuncto, quam multa præclara egregiaque opera effici possent, jam inde ab initio prospexisset; inveteratæ malitiæ suæ non oblitus, omnia turbare ac miscere cepit: tanto enim ille fraudis fallaciarumque vias subtilius exquirat, quanto Dei servos cælesti patriæ inhiare ardentius cognoscit. Sic Judæos ipsos invidia inductos, in Domini Redemptoris nostri athletas, per homines fallacibus insidiis deceptos, ad multiplicia tormenta nefariasque neces adduxit. Sed quemadmodum omnes impios illos conatus, admirabilis quædam divini consilii sapientia, in ipsius consultoris caput vertit, suoque cum gladio jugulavit; sic cavere te oportet, qui inter homines vivis, ne per homines a callidissimo hoste teneris; neve quod, regni jurisdictionis tuendæ causa, recte te facere nunc existimas, id, occulto quodam divine providentiæ consilio, in ejus potius exitium redundet. De causa autem contra canonicos Scallenses instituenda et cognoscenda, quod a nobis tantopere contendis, dolemus, rem esse hujusmodi, in qua, neque precibus, neque postulationibus tuis, salva Sedis Apostolicæ vetere consuetudine, morem gerere possimus, apud quam ut causæ majores cognoscerentur, semper observatum est; major autem causa esse non potest, quam illa, in qua S. Romanæ Ecclesiæ cardinalis res agitur: quo ordine, nullus nobis et Sedi Apostolicæ conjunctus esse ab omnibus intelligitur. Nam quod dilectus charissimi in Christo filii regis Catholici apud nos orator, nobis litteras Apostolicas, sub plumbo objecit, quibus a fel. record. Leone X prædecessore nostro decretum esse vult, ne istius Mediolanensis provincie causæ, extra istam ditionem cognoscantur; id tametsi, ut ille dicit, omnino ita esset, tamen, cum rerum a Pontificibus prædecessoribus nostris, pro temporum varietate concessarum moderatio ad nos pertineat; nihil novum aut iniquum faceremus, si eisdem concessionibus (rerum præsentium conditione ita postulante), derogarem. Sed nulla tamen derogatione in

hac causa opus est; eisdem enim Apostolicis litteris, non solum cardinalium causa, qualis hæc est, sed etiam beneficiales, liquidissime excipiuntur. Quod vero eisdem litteris, nobilitas tua minatur, se jurisdictionis regni tuendæ causa, cardinalem ipsum, non modo e civitate, sed etiam ex ista Mediolanensi ditione esse ejectionem: quamquam ad hoc ipsum, quid juste et pro æquitate respondeamus, nobis deesse non possit; tamen, cæteris omissis, pro nostra paternæ in te benevolentia, illud te tantummodo monemus, ut etiam atque etiam videas, quid agas, neve sciens ac prudens eo progrediaris, unde tibi postea nullus aut difficilis admodum reditus pateat. Cave, ne quod tuendæ regni jurisdictionis causa tibi faciendum putas, cuius nomen tantopere amplecteris, id tibi in contrarium cadat, quemadmodum aliis multis accidit. Hæc etiam considera, ne tibi idem accidat, quod non ita multis antea annis alteri contigisse vidimus: qui, cum ejusmodi istius civitatis archiepiscopum factum ejectionis, in censuras Ecclesiasticas incidit: cui non multo post, oratore ad felic. record. Paulum IV prædecessorem nostrum misso, cum in itinere esset, ejusdem Pontificis verbis denuntiatum est, ne Romam veniret; si venisset, eum capi atque in carcerem conjici jussurum. Cumque is postea, suffragante quodam S. R. E. cardinali, placato Pontifice, una cum absolutione ad Urbem veniendi legationeque sua fungendi potestatem accepisset; antequam, aut de impetrata venia certior fieri, aut Pontificis conspectum intueri posset, mortem occubuit: divina nimirum hac providentia operante, ut tali exemplo cæteros ab hujusmodi rebus audendis deterreret. Nam ipsi quidem cardinali nihil gloriosius accidere potest, exilio, ob Ecclesiæ suæ libertatem, juraque tuenda, per vim irrogato; cui si etiam pro eadem causa sanguinem fundere contingeret, præclare secum Deum Omnipotentem egisse existimaturus est. Tua vero interest, ne per indignationem aliquam rem eo deducas, ut quod cardinali a te passum esse, salutare et gloriosum, apud Deum Omnipotentem, Republicamque Christianam futurum est, id te in eum fecisse tibi apud Deum atque homines perniciosum turpeque sit; quippe quod in Annalibus istius civitatis, ad perpetuam tui nominis ignominiam mandabitur. Hæc, non minus pro amore in te nostro, quam pro commisso nobis ab Omnipotenti Deo pastorali officio, tibi scribenda esse judicavimus. Speramus autem, nobilitatem tuam in hac ipsa re et in cæteris, quæ ad Ecclesiasticam libertatem dignitatemque augendam et conservandam pertinent, id esse facturam, quod eximia suæ pietati, religionisque Catholice zelo consentaneum fuerit. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII Octobris MDLXIX, Pontificat. nostr. ann. quarto ».

8. *Pii summa animi moderatio et prudentia.*

— Interea Cæsarem Specianum, patritium Mediolanensem, tunc metropolitanae ejusdem Ecclesiae canonicum, postmodum Cremonensem episcopum, cardinalis Borromæus Romam miserat, ut quæ acciderant, omnia ad Pontificem referret, deleteretque, si quid, ut diximus, ex pravorum hominum relatione, Pontificis animo perperam insedisset; et ut demum, quæ ea de causa opus erant, ab illo impetrare conniteretur. Verum, licet quas mox apposuimus Epistolas, Pius ad ducem Albuquodum gubernatorem dedisset, et insuper acta Barbesti irrita declarasset, atque ex Scalensibus canonicis, nonnullos Romam vocari, et quia non paruissent, anathemate damuari jussisset; tamen, ut narrat a Basilicapetri, remissius aliquando agi, tardiusve remedia malis præsentibus afferri Carolus existimabat, quam res postularet: cunctationem ipse dissimulationemque majoribus malis occasionem præbere, existimans. At Pius, qua præditus erat, summa prudentia, nil e contra, temere agendum censebat, nec præcipiti iudicio adhibenda existimabat remedia, quæ vulnus potius, quam ei mederentur, exasperarent. Et in hoc præclarum certe (ad diluenda Thuani mendacia, qui, ut alibi animadvertimus, inconsiderati ac imprudentis notam Pio inurere passim connititur) summæ Pii circumspectionis argumentum effulsit: nam cum unice cardinalem Borromæum diligeret, ejusque acta probaret, tamen, nec zelo, nec amore, ultra debitæ ac necessario adhibendæ prudentiæ fines se ferri passus est, ut ejus causam defendendam susciperet, ac ab adversariorum insultibus liberaret. Cujus rei testimonium, Joannis Baptistæ cardinalis S. Clementis litteris obsignatum, libet hoc loco præferre: « Pontifici, Domino nostro (inquit ad Carolum scribens) adeo probantur actiones tuæ, ut heri dixerit; Antistitem in Ecclesia Dei, divini cultus et honoris studiosiorem, aut in Ecclesiastico jure tuendo, Sanctæque Sedis hujus auctoritate conservanda fortiorem, quam tu videaris, scire se neminem. Ideo viribus omnibus opem ferre quidem velle, amplitudinemque tuam defendere; sed rei tempus expectandum.» Addit a Basilicapetri¹, alias etiam Pium dixisse: in cardinalis rebus tuendis, vel vitam ipsam sibi ponendam.

9. Et revera summa animi moderatione nil eorum Pontifex prætermisit, quibus ex pastoralis et apostolice munere Borromæo opem ferre poterat ac debebat; nam fratrem Vincentium Justinianum, Dominicani Ordinis Generalem magistrum, et Julium Aquavivium Atriæ Ducis filium, utriusque Signaturæ referendarium, viros eximia prudentia, doctrina, et integritate præditos, quos ambos postea sacræ purpuræ

ipse dignitate decoravit, jam inde, ex quo cœperant jurisdictionis hæc jurgia agitari, in Hispaniam miserat, ut tum de his Mediolanensibus, tum de aliis gravissimis rebus cum rege Catholico agerent; et quamvis, ex Pontificis cunctatione, quæ pertinnerat Borromæus majora mala exorta sint, ex ipsi nihilominus malis malorum omnium remedium processit, ut mox dicetur.

10. *Carolus diximus servatur a cæde quam ipsi paraverant Fratres Humiliati.* — Dum enim sic inter cardinalem, Scalenses, ac regios ministros decertaretur, ac in incerto res videretur, propria jura unaquaque parte, tum apud Pontificem, tum apud regem, scriptis semel atque iterum Epistolis, acriter tuente; Fratres Humiliati, quorum reformationi Carolum, præcipiente Pontifice, incubuisse diximus, religiosæ illius observantiæ pertæsi, Christi jugum abjicere inaudito scelere excogitarunt. Cædem ac sanguinem in cardinale ipsi duri corde, et auribus incircumcis, assidue jam pridem meditati fuerant; et ubi Scalensium facinus deprehenderunt, novos spiritus sumpserunt, et certamen illud, suam occasionem fecere. Et interea dum in Scalenses ipsos regiosve, tanti, quod commoliebantur sceleris, suspicio averti posse videretur, rem tentare, quam hic ex Ripamontio¹ breviter ponendam existimavimus. Dicit igitur:

« Hieronymus, et Laurentius, et Clemens totidem monasteriorum præpositi erant, priores duo Vercellis et Caravagii, tertius apud Veronam. Ili, communicatis inter se consiliis, Hieronymum Donatum, cognomento Farinam, sui Ordinis hominem, ministeriis aliis experti audacem et promptum, emerant quadraginta nummis aureis ad patranda cædem; summamque sibi haud paulo majorem, quæsiverat Farina, sublato ex Braidensi æde argento, quod in sacris ibi vasibus reliquæ suppellectile erat. Hoc instructus peculio, parricida per lustra et popinas aliquamdiu vagatus, parat sibi manvalia tormenta recentioris ingenii, ad concipiendum rotala vertigine ignem, displodendumque plumbum; eoque missili probe exercitatus quærebat aliquamdiu facinori locum tempusque.

« Voluerat primo in D. Barnabæ æde rem aggredi, cum ibi Pontifex ad aram die quodam faceret. Sed cingentibus latera clericis, et frequenti aræ ministerio stipante, quem petebat, veritus, ne in aliena terga aberraret, eo quidem die substituit atque supersedit. Circumspicienti deinde alia momenta occasionum, aptissima visa est hora vespertina, cum cardinalis, quotidiano suo more in domestico scello circumfusa familia, precibus vacaret. Capto igitur ad ejus rei consuetudinem tempore, die Mercurii, qui dies fuit ad VII kal. Novembris stetit in sa-

¹ Apud Basilicam Petri in Vita S. Caroli.¹ Ex Ripamont. ut supra.

celli limine, dispositusque, et protinus, nemine insequente, aufugit.

« Positis ante aram genibus, obverso ad Oratorii valvas tergo, procumbebat cardinalis, effusus in preces: familiares pro suo quisque ingenio, vel in symphoniam intenti, vel cœlestium rerum contemplatione sensibus alienatis. Pertinetque ad miraculi magnitudinem etiam, referri divinas voces, quæ canebantur illo ipso temporis momento, cum fragor, et fumus, et plumbeæ glandes subitum offudere animis terrorem, præterquam ei, in quem vis tartarea directa erat.

« Canebantur autem hæc: *Tempus est ut revertar ad eum, qui me misit. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Dum id carmen musici homines arte sua modulantur, collinear Farina dispoſeratque. Fit subita consternatio familiarium cardinalis, trepidantque, et tumultuantur, et horrent, tanquam haud dubia cæde. Consperere namque avertentem sese herum, velut dato in tergum ictu. Sed plumbea glans haud aliter, quam conjecta inerui alicujus dextera, cum in exteriore lineo amictu labem, in cute tumorem etiam fecisset, irrita defluerat ad pedes. Quadrata segmenta, alia in subselliis tabulisque, quæ circa erant, hæere, alia muri partem oppositam lacerare cum enormi hiatu, qui obturamentorum eorum vim et parricidæ rabiem indicaret; unum etiam ex plumbeis ejusmodi segmentis, quæ cum glande majore contorta fuerant, trajecta veste, ad cutem usque penetravit, ac sine noxa sedit ibi conciditque.

« Pervasit illico tam atrocis rei fama totam urbem, et tanquam si prodigium aliquod triste evenisset, ita percussis omnes attonitque hærent, etiam quibus, ut in tanta multitudine, severa instituta displicebant. Memento pæne temporis complerent, circumsteteratque palatium turba ingens mœrentium, indignantium; sed adhuc incerti de miraculo, pavebant magis, et irrumperere conclavia conabantur, ut cardinalem viderent. Submoveri populum irruentem, stationibus ad valvas appositis, necesse fuit. Simul etiam Albuquerque ipse ad primum tumultum intrarat, ejusque jussu Prætoriani milites obsederant limina, impetumque prohibebant.

« Primoribus tantum dabatur aditus, hisque etiam interiori conclavi exclusis. Ingressus ad cardinalem Albuquerque, quomodo res gesta esset simplicissime exquirebat, fauste in media consternatione admurmurantibus, qui intus aderant, quive foris expectabant. Namque inter eas, quas memoravi, controversias, cardinalis et gubernator aliquandiu nihil inter se egerant, abstinuerantque congressu, hic offensus, sicuti demonstratum est, animo, ille ne offensum turbaret. Nunc Hispanum in tanto pontificis discrimine, versa in charitatem ira, tanquam pro suo capite sollicitum videbant. Memorabile inde colloquium fertur inter principes, quorum alter

aditum pro Ecclesia sua discrimen in gloria et lucro profiteretur; alter ad regendam ejus vitam, suas et provincie vires frustra offerret, uterque veterum certaminum obliiti, novum certamen exhiberent. Petere Albuquerque et instare, ut fateretur suos timores cardinalis, ederetque omnium nomina, quos id conflare potuisset seculus autumaret. Sciret regis opes, subsidia firma, atque fidelia suæ salutis fore; vellet modo interim ipse esse salvus, ac circumdari sibi præsidia pateretur adversus insidias, sive unus id flagitium, sive plures conjurassent.

« Cardinalis ad ea dicere, non sibi vitam esse tanti, si legenda armis foret, regiam sane opem, et auxilium benigne adeo quod offerretur, honori sibi esse, et solatio, sed nequaquam episcopo homini decorum aliunde, quam a Deo petere auxilia. Si vellet auxiliari rex Catholicus, promplam eam voluntatem conferret ad res Ecclesiæ sublevandas, ibique tam egregium animum occuparet. Inter hæc et alia colloquia, simulque dandis opportune mandatis, quæ in tali tempore res postulabat, ad multam noctem Albuquerque in palatio archiepiscopali substitute rat. Postero inde, et secutis diebus accuratissime exsequebatur, si qua posset vestigia sceleris invenire, utroque præmiis, et proposita impunitate, conscios ad profitendum indicium vocabat, appositis interim crebris ad portas urbis custodibus, qui percunctarentur exeuntes, retinerentque suspectos.

« Portæ quin etiam aliquando clausæ effugium omne prohibere, donec, questione per cuncta diversicula habita, posse ullum in cæco crimine indicium explicari spes decessit. Farina, post flagitium, ut dixi, nullo insequente elapsus, ignotam latebram insecerat, indeque, ubi tutum fuit, profugus in Taurinos, militari habitu, præsidariis immixtus occultabatur, ut suo mox tempore deprehensus, dederetur ad supplicium, Cæteri tanta ad rem suppressendam arte usi erant, quando deinde miraculo, ad prodendum ultro suum ipsi scelus, consensere: ita desperato prorsus in præsentia indicio, cum simul inquirendi remittebatur, donec res, ut demonstrabo, ipsa conscientia furiarumque instinctu per sese emersit. Hæc Ripamontius.

11. Interea per Ormanetum rei tota series Pontifici Summo delata fuerat; ad quem etiam ipse cardinalis Borromæus breves hujusmodi litteras dederat¹:

« Quod mihi ante tres dies accidit, Ormanetus exponit Sanctitati Tuae; id auribus tuis molestum erit. Sed Domini Dei nostri misericordiam etiam indicabit, qua usus est in me, haud usitata ratione protegendo. Neque in mea, qui nihil ejusmodi sum meritus; sed, vel loci officique mei gratia, vel ut longius, quod mihi

¹ Apud Basilie. Petri lib. 2. p. 75.

opus est, ad pœnitentiam temporis spatium daret, aut vero aliis de causis, quæ nobis curiose investigandæ non sunt. Est igitur hac in re potius unde læteris, quam molestiam capias. Equidem Deo gratias ago, speroque non sine fructu hoc fore honoris et gloriæ divinæ. Sanctos pedes tuos osculor, tibi que omnia bona precor ».

12. Ad hæc sua manu Epistolam respondit Pontifex, quam nobis ex proprio, quod Mediolani legimus originali, vir clarissimus Joseph Antonius Saxius, Ambrosianæ Bibliothecæ præfectus, exscriptam comiter misit; estque digna quæ hic inseratur :

« Dilecto filio nostro Carolo, tit. S. Praxedis cardinali, Borromæo nuncupato.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili etc. Molestia quidem non afficimur, quod mali ac diaboli membra servos Dei prosequantur : hoc enim, a tempore Abel justi, quem Cain occidit, usque ad nostrum agere consueverunt : quia cum mali se bonis nocere arbitrati sunt, semper sibi potius nocuerunt, et illis profuerunt. At quod molestiam perturbationemque non modicam nobis affert, illud est, quod illi, quos bonos existimabamus, adeo excæcatos videre nobis videantur, ut oculos aperire nolint, ut videant; ac omne id in ipsorum et principis damnum reversurum, cui obsequi arbitrantur; eoque scandala processura, ut pedem retrahere non poterunt, cum voluerint. Divinæ Majestati gratias egimus atque agimus, quod reverendam personam tuam servaverit, et quod Diabolus minime quod voluit obtinuerit. Moneamus tamen, ut præter spem, quam in Deo habere debet, sui ipsius custodiam habeat. Doleamus quidem tot excommunicatos a Deo, et nobis, qui hæc parvi faciunt. At Deus opportunum tempore se illis timendum verendumque exhibebit. Ora ac orare Deum facias, ut cæcis his lumen suum tribuat. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV Novembris MDLXIX, Pontificat. nostr. anno quarto ».

13. Hæc Epistola Pii, qui statim, rei nuntio accepto, cardinalium coacto senatu, summo animi sui mœrore, quod patrum fuerat scelus exposuit. Inter plura vero, vel in eos, qui illud admiserant, justa zeli commotione prolata, vel in cardinalis Borromæi laudem pronuntiata, memorabile illud renetur, quod Pontifex dixit his verbis : « Videte : alienatio principum adversus episcopos, quanta sceleribus addat incitamenta; et quale telum ea sit in Dei servos, quos tamen divina potentia, regnis dominationibusque cunctis imminens, tuetur atque armat ».

14. *Severis litteris perstringit Pius ducem Alburquerqueum, quem postea pœnitentem vinculis anathematis solvit, deprecante ipso Carolo.*

— Et revera cuncta scandala hæc, ab uno eo fonte, edicti, videlicet, contra Ecclesiasticam jurisdictionem ab Alburquerqueo, ut diximus, edicti promanasse, cum perspicue Pontifex intelligeret; nulli magis, quam Alburquerqueo ipsi, ubi Scalensium primum, deinde Illumiliatorum facinus audivit, succensere visus est. Cum idcirco Alburquerqueus idem, de ejusdem sceleris auctoribus inquirendi (ad quod ipse munus in primis Joannem Thomam Odescalchio et Aloysium Palatium, Mediolanenses senatores delegerat) a Pontifice facultatem petisset, a Pio, se vero admodum hoc responso perstringi meruit :

« Dilecto filio, nobili viro, Duci Alburquerqueo ¹.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem, et ad Ecclesiæ redire communionem. Lectis tuis litteris xviii die Novembris datis, quibus te inquirendi negotium, adversum eum, qui immani quadam audacia, contra dilectum filium nostrum cardinalem Carolum Borromæum, nefarium facinus ausus est, Joanni Thomæ Odescalchio et Aloysio Palatio Mediolanensibus senatoribus commisisse scribis; ac propterea a nobis petis, ut eisdem senatoribus, Baptistam quemdam presbyterum, super eodem scelere, interrogandi facultatem, tibi ab eodem cardinali negatam, concedamus : non mediocriter mirati sumus, nobilitatem tuam, de his, aut omnino ullis aliis de rebus, ad nos scribere voluisse; nam, cum te, propter edictum illud, quod tuendæ quidem regie charissimi nobis in Christo filii regis Hispaniarum Catholici jurisdictionis prætextu, revera autem Ecclesiasticæ libertatis funditus evertendæ causa, superioribus diebus publice proponendum curasti, pro excommunicato habeamus, una cum omnibus illis, qui, ut tale edictum proponeretur, offensi sunt : videre satis non possumus, quo consilio nobilitas tua tibi ad nos scribendum fuisse existimaverit. Quamvis autem te et cæteros ejusdem edicti suasores, tanquam excommunicatos non declaraverimus aut publicaverimus, non ideo tamen minus te atque illos tales existimamus; atque eo etiam minus mirari debes, ab eo tempore, quo ejusmodi edicto, contra Ecclesiasticam jurisdictionem et libertatem proposito, Ecclesiasticas censuras tam facile contempsisti, ea, quæ acciderunt scandala, accidisse; quæ evenire illa quidem necesse fuit, Væ tamen illis, per quos evenerunt. Itaque nobilitatem tuam posthac de his aut aliis de rebus ad nos scribere nihil necesse est; de quibus tamen, si alii ad nos scriperint, qui unitatis fidelium et Ecclesiæ sacramentorum non sunt expertes, eis responsum dabimus, quod nobis illisque maxime dignum esse in Domino judica-

¹ Ex Arch. Vaticano.

himus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvi Novembris MDLXIX, Pontific. nostr. anno quarto ».

15. Juxta hæc fuere quoque, quæ Catholico regi, Pii nomine, ab archiepiscopo Rossanensi, Apostolico nuntio, Justiniano, et Acquavivio denuntiata sunt. Regis autem, quæ postremo acciderat, cardinali Borromæo parata cædes, ita animum affecit, ut non modo crimen illud execraretur, sed cætera quoque, quæ contra Ecclesiasticam immunitatem, specie tuendæ regie suæ jurisdictionis, hucusque acta fuerant, tanquam inde secutorum criminum causas, penitus improbaverit. Hinc decreta et litteras, in Borromæum perhonorificas, Mediolanum misit. His edicta omnia, quæ senatus ac gubernator adversus Ecclesiæ jurisdictionem paulo ante promulgaverant, abolevit. Obnoxios atque subiectos Scalenses archiepiscopo esse debere declaravit; ac tantum abesse significavit, ut illius jurisdictioni Scalense capitulum eximi vellet, ut potius ad illud visendum reformandumque hortaretur rogaretque. Temerarios insuper illos, qui sese cum gladiis ac armata manu cardinali opposuerant, insequi ac capi, captosque condigno supplicio affici jussit. Præcipue vero nefarium hominem, qui execrabile facinus Borromæum occidenti aggressus fuerat, omni diligentia perquiri, ut tanti sceleris pœnam daret, districte præcepit. Ac tandem Alburquerquei monuit, ut in omnibus Caroli difficultatibus, paratum se ad ejus defensionem præberet. Alburquerqueus vero, ubi præfatis Pii litteris monitus, anathematis pœnam, sacris legibus in violatores Ecclesiasticæ libertatis sanctitatem, edicti promulgatione se incurrisse intellexit; ad sacrorum canonum præscriptum, adeo communicatione rerum omnium abstinuit (uti scriptores tradunt), ut, cum ad lustrandos Equitum Ordines prodire necesse habuisset, statum sibi sonitus tormentorum plausum ac salutationem penitus interdixit.

16. At præcipue auxit Ecclesiæ dignitatem, ut Ripamontius ¹ aliique narrant, confirmavitque animos oblatum per eos dies Mediolanensi populo spectaculum ingens; cum, nempe, regius magistratus, qui præsiderat actioni, cum cardinalis circitor, ob velita arma comprehensus, equuleo torqueretur: ob id crimen illatamque Ecclesiæ injuriam, publice ad templi maximi valvas absolutus est anathemate, quo implicitus tenebatur. Hi, cum absolutionem Romæ (inquit a Basilicæpetri ²) Carolo juvante, antea petiissent, postea vero destitissent, causati, quod regis auctoritate ita mandatam esset; Carolus pii regis injuriam sentiens, in Hispaniam scripsit; unde responsum tulit, contra mentem regis id esse penitus. Extracto igitur,

ut diximus, ante Basilicæ majoris fores, sublimes pegmate, ibi regius magistratus cum scriba suo cæterisque ministris in locum superiorem admissus; deinde per tabulata illa prostratus, petita precibus absolutione, in Ecclesiæ gremium a cardinali recipitur; cum prius, et injuncta piacula reverenter excepisset, et stata jurejurandi obligatione se obstrinxisset, se nunquam in posterum rem Ecclesiasticam violaturum. Quæ cerimoniam peracta, cardinalis ipse, de canonicis pœnis, earumque vi ac gravitate ad populum sermonem habuit, qui eo majorem animis terrorem incussit, quo ipso fere tempore, a gravissima divinæ justitiæ animadversione confirmatus videretur. Rerum enim capitalium præfectus, quo auctore et suasore, senatus archiepiscopi circitorem comprehendi jusserat ac torqueri; cum interim senator factus, a cardinali postulasset, ut Alexandriam proficisci, ibique cognatorum nuptiis interesse liceret, priusquam anathematis vinculo solveretur, nec a Borromæo impetrare potuisset; nihilominus profectus, nocte post epulas consecuta, morbo correptus, paucis diebus interierat. Cujus casum pie interpretantes Mediolanenses, ad divinæ justitiæ vim traxere, tantoque commotiore³ animo cardinalis deinde dicta acceperunt.

17. *Tristis exitus jura Ecclesiæ contemnentiæ.* — Huic tristius insuper exemplum aliud additum est, in uno ex tribus, qui violatæ Ecclesiæ crimine tenebantur, et a Pio in jus Romanum vocati fuerant. Is, cum errore quodam fixe insito, omnium maxime, Carolo repugnare videretur, nec eo forte animo, quo debuisset, Pontificis mandatis pariturus, in viam, Romam versus se dedisset; in ipso itinere magna interturbatione animi correptus, quæ sympathi, et a Dæmone obsessi corporis speciem præberet, postquam multa Exorcistarum adjuratione fatigatus frustra fuisset; non multo post, eodem modo vexatus, e vivis ereptus est. Imo observatum est, cæteros omnes, qui in eadem causa fuere, brevi e vita sublato; et hinc criminum eorum pœnas, eorum quoque posteros dedisse, qui, vel rem domesticam male gessere, vel non miti finire obitu, vel etiam ipsæ domus ad stirpem deletæ, cæteris exemplo fuere, ne homines, vel res Deo sacras, anto Ecclesiasticæ animadversionis severitatem et jussa temerare aut spernere auderent.

18. *Exigitur eo durius ab Alburquerqueo revocatio edictorum contra Ecclesiasticam jurisdictionem lutorum, quo benignius a Pontifice habitus fuerat.* — Alburquerqueus vero, qui, ut audisti, ubi communitus fuit a Pontifice, anathematis pœnas incurrisse, pie admodum ac reverenter canonicorum vinculorum pœnam tulerat; ut iidem absolvi mereretur, toties memorati contra Ecclesiasticam jurisdictionem edicti, novæ quam conceperat declarationis, qua idem edictum

¹ Ibid. ut supra. — ² Ibid. ut supra.

quodammodo revocaretur, exemplar, ad Pontificis animum deliniendum, Romam miserat. Verum, licet Pio declaratio ipsa minime satisfaceret (quod obscuris forte vel æquivocis formulis concepta esset), tamen, ut ex Giussano ¹ intelligi posse videtur, cum pro Alburquerque sponsor ac quodammodo fidejussor cardinalis Borromæus se interposuisset, Pius tandem ei, ut sese a quovis confessorio absolvi facere posset, benigne iudulsi; apposita tamen reinvidentiæ clausula, si intra Epiphaniæ Octavam, Ecclesiæ suorum jurium liberum exercitium non restituisset. Breve ad ipsum scriptum ², hujusmodi fuit:

« Dilecto filio, nobili viro, Duci Alburquerchio.

PIUS PAPA V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem, et ad Apostolicæ unionis redire communionem. Quamvis ejus edicti, quod jurisdictionis regiæ tuendæ prætextu, superioribus diebus, adversus illius perturbatores, a nobilitate tua in civitate Mediolani propositum est, ad nos nuper missa declaratio, nobis neque satisfaciat, neque placeat; tamen Apostolicæ indulgentiæ memores, nostræque erga te benevolentiam paternam non obliti, simulque precibus, tuo nomine super hoc nobis porrectis annuentes, animæque tuæ salutem, quantum cum Domino possumus, consulere volentes: ut in hoc Domini nostri Nativitatis festo proxime futuro, peccata tua sacerdoti confiteri sanctissimamque Eucharistiam sumere possis, confessorio a te eligendo, audita peccatorum tuorum confessione, salutarique penitentia inuncta, te ab excommunicatione absolventi absolutumque declarandi, harum tenore litterarum, de Apostolica benignitate, facultatem licentiamque concedimus, atque in Domino misericorditer indulgemus; ea tamen conditione, ut nisi ante transactam Octavam Epiphaniæ Dominicæ, jurisdictionem Ecclesiasticam, in eam possessionem, possessionisque statum et usum, re ipsa restitueris, in qua, ante publicatum edictum, fuit, sic in fori Ecclesiastici officialibus et ministris, in causis Ecclesiasticis, et aliis ad forum Ecclesiasticum, quovis modo spectantibus, jus sum prosequi, cæteraque omnia ad se pertinentia, perinde exequi liceat, ac si nunquam predictum edictum publicatum fuisset: in censuras Ecclesiasticas, quas pro hac tantum vice suspendimus, æque ac prius incidisse existimeris et de facto incidas. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI Decembris MDLXIX, Pontificatus nostr. anno quarto ».

19. Alacri autem promptoque animo, ea

omnia Alburquercium præstitisse, quæ Pontifex postulaverat, cum Guissano cæteri affirmant; optatamque Natalitiis festis absolutionem obtinuisse scribunt. Eo iniquiore certe animo tulisse Pium, quæ Alburquercius idem contra Ecclesiasticam jurisdictionem fecerat censendum est, quo antea ejusdem studiosior sibi visus fuisset. Quo quidem nomine, Auræ Rosæ munere, hoc ipso anno, Joannam ejusdem uxorem potissimum se honestasse, sequentibus, cum eodem dono, ad ipsam scriptis litteris, professus fuerat:

« Dilectæ in Christo filiæ, nobili mulieri, Joannæ Ducissæ de Alburquerque.

PIUS PAPA V.

« Dilectæ etc. Antiquum prædecessorum Romanorum Pontificum morem, institutumque sequentes, cum nuper solemnibus precibus adhibitis, Rosam benedixerimus; eam nobilitati tuæ potissimum mittendam esse judicavimus, non solum, ut hoc iudicio, eximiam erga te benevolentiam nostram paternamque charitatem declararemus; sed etiam, ut hujusmodi sacro munere tibi oblato iudicium illud omnibus testificaremur, quod de tua insigni in Deum pietate, singularique erga sanctam hanc Sedem devotione semper fecimus; quarum virtutum nomine, hujusmodi, et quovis alio honore te dignissimum existimamus. Accedit autem ad hæc, dilecti filii nobilis viri conjugis tui virtus, et divini honoris zelus, et Catholicæ religionis studium singulare; ut quem tibi habendum honorem esse judicavimus, eum etiam illius causa libentius habuerimus. Quamvis autem materiam spectanti, munus laud magnum videatur, tamen muneris mysterium et nostræ erga te voluntatis testimonium si consideres, pio admodum devotoque a te animo suscipiendum est. Rosa enim, quæ etiam inter spinas floret, nobilitati tuæ ostendit, nobilium mulierum, qualis tu es, vitam, quamvis ejus sæculi perturbationibus, quasi spinis quibusdam circumseptam, bonis tamen operibus florere oportere. Hoc vero munus deferendum ad te dedimus huic filio Gulielmo Bastono, conterraneo nostro, viro ob probitatem virtutemque suam valde nobis accepto. Sacrum vero donum, sacra etiam cum cæremonia, sicut decet, accipias. Post Missarum solemniam, in Ecclesia, quam elegeris, celebrata ab aliquo prælato, seu alia quam volueris persona, in dignitate Ecclesiastica constituto, ipsam Rosam nobilitati tuæ tradi volumus. Quod ut nobilitati tuæ spirituali munere auctum gratius sit, tibi que cæterisque omnibus Catholicis, penitentibus et confessis, vel confitendi propositum habentibus, qui Missa interfuerint, de Omnipotentis Dei misericordia, et BB. Petri et Pauli Apostolorum, ac nostra auctoritate confisi, quindecim annos et totidem

¹ Giussan. Vit S. Caroli lib. 2. cap. 24. — ² Ex Archiv. Vatican. ut supra.

quadam re de veritate indulgentiam misericorditer se Pontifici largimur, ipse concessimus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub anno Piscatoris. Inc. xxi. Martii. m. d. c. xix. Pontificat. n. str. ann. quarto.

20. *Constitutio Mediolanense secretum.* — Frustrumquæ verò hæc accidissent, secundum Concilium Provinciale Paschilibus diebus hujus anni Borromæus celebraverat. A Septembri enim mense anni m. d. c. xviii. quæ tricesimum a primo præterierat, ex ratione Tridentini Concilii consentanea, illud cogere debuisset; ac consilio Pontifici, in præsentem transulit, duobus ante mensibus, vocatis episcopis ac admodicis, ut Ecclesiasticarum rerum perfectam conformitatem studiis suis proseguerent. Quæ in ea acta sunt, in Actibus Mediolanensibus habentur. Idcirco deinde Borromæus, absoluta Synodo Franciscum Bonhomium Cremonensem, cui Nonantulanam abbatiam contulerat, qui ejus decreta Romam a Pontifice probanda deferret, eorumque, pro suis prudentia, doctrina et fide, rationem redderet. Eadem quoque ad Pontificem mandata Concilii, et singulorum episcoporum nomine data fuisse, ad Ecclesiarum salutem administrationem pertinentia: scribit a Pascalepatri.

21. *Bonifacii VIII Constitutio contra offendentem S. R. E. cardinales etiam ad non revelantes. Pius extendit.* — Pius verò, cum satis minime fosse visum esset, Mediolanensis Ecclesie jura tam sua propria auctoritate, tum apud Catholicum regem, quibus diuinus modis, vindicasse: cum adhuc cognoscit ac deprehendit, non posset improbus ille proditor, qui Borromæus necem intentaverat, Bonifacii papæ Octavi Constitutionem, contra offendentem S. R. E. cardinales, etiam contra scientes et non revelantes extendit, sequenti Constitutione:

Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Infantis sæculi pericula miserati dolorem comprimere non valemus, quod nefarii homines, justitiam sanguinem sipientes, ad illorum quoque perniciem infestiore animo incumbant, quos Spiritus sanctus membra constituit præcipua Ecclesie Dei, quam suo sanguine acquirit.

§ 1. Magna igitur ratione, post alios, felicis record. Bonifacius papa Octavus, de fratrum suorum consilio perpetua Constitutione sancivit, ut si quis S. R. E. cardinalem fuerit hostiliter insectus, aut percusserit, aut ceperit, aut mandaverit id fieri, sociusque fuerit facientis, factumve ratum habuerit, seu dederit consilium vel favorem, aut receptaverit aut defenderit scienter: eundem tanquam læsæ majestatis reus, perpetuo sit infamis, et præte-

rea diffidatus, harritus et instabilis; omnia ejus officia ruina perpetua subjaceant, nullus ei debita reddere, nullus ei in judicio respondere teneatur, bonis omnibus fisco vel reipublicæ applicatis. Idem etiam feudis, beneficiis et officiis spiritualibus et temporalibus sit ipso jure privatus: sed ipse insectans excommunicationis sententiam incurral, quam solus Romanus Pontifex, excepto mortis articulo, valeat relaxare.

§ 2. Sed ne hæc quidem Constitutio, propter addita consecretorum consilia, omnino satis esse noscitur, ad hujusmodi sacrilegia amplius prohibenda. Qui enim alicui vim inferre sibi præponunt, id secreto, in occulto, ut maxime, machinantur; veluti impium illud facinus indicat in personam dilecti filii nostri Caroli Tit. S. Prædis præbyteri cardinalis Borromæi, Ecclesiam Mediolanensem sanctissimis institutis studiose informantis, proxime attentatum. Quæ res nos gravius commovet vehementiusque excitat omnia exquirere, ut nobilissima corporis nostri partes undique protegantur. Quibus enim prasidio erimus, quibus suppetias afferemus, quos denique tutabimur, si templi Dei bases, si clarissima Ecclesie lumina, si speciales filios, qui pro animabus populorum, pro fide, pro justitia, pro unitate pervigilant, inultis deseramus?

§ 3. Itaque sanctioni prædictæ, de simili fratrum nostrorum consilio, adjicientes, statui-mus, ut quisquis etiam a nudo consilio, aut simplici favore, aut omnino a cæteris prædictis alienus, quempiam auctorum, administrorum, vel consociorum conjugationis sive conspirationis, aut commissi committendive criminis in personam cardinalis, illorumque fautorum, receptorum vel occultatorum, sive ex renuntiatione sibi protinus, vel per interpositam personam, aut litteras facta, cognoverit: sive ex scripturis, cætu, conatu, concursu, insidiis, aliisve signis et indiciis, qualemcumque scientiam habuerit, vel etiam conjecerit, quive horum quicumquam intellexerit, quantumcumque res alias occulta sit: quamprimum id Romano Pontifici, si in curia fuerit, sin autem ordinario loci, vel, si cardinalis ipse ordinarius extiterit, propinquiori episcopo: et si crimen nondum commissum fuerit, etiam ipsi cardinali prope-ret revelare. Quicumque vero, etiam non subditus, et omnino extraneus defecerit, cujuscumque dignitatis fuerit, prædicto sit excommunicationis laqueo innodatus, pariterque majestatis reus, infamiam et omnes pœnas prædictas eo ipso incurral.

§ 4. Eadem nihilominus Constitutione, quoad reliquas ejus partes, ac cæteris omnibus sanctionibus canonicis et civilibus ad talium coercionem editis, in suo robore duraturis.

§ 5. Porro, si quis ad sanitatem rever-

1 In d. vii. supra. — 2 Errat. de Bull.

tens, rem adhuc incognitam relexerit, omni noxa penitus liberetur.

« §. Cæterum loci ordinarius secreto, eum casum ad se delatum, prædicto Pontifici primo quoque tempore nuntiare, et interim rem omnino ab stirpe exquirere, et si necessitas tunc postulet, sæculare quoque brachium adhibere.

« §. 6. Sed, ne quisquam horum ignorantiam valeat excusare etc. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quarto-decimo kalend. Januarii, Pontificatus nostri ann. quarto.

« Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ episcopus. Utinam diligentur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.

« Jo. cardinalis Moronus, episcopus Portuensis.

« Christophorus Madrucci, episcopus Prænestinus.

« Otho cardinalis Truchses, episcopus Albanen.

« A. card. Farnesius, vicecancell. episcopus Tusulanus.

« Jo. Baptista Cicada, episcopus Sabinen. card. S. Clementis.

« Ego Julius cardinalis Urbinas.

« Ego Joannes Riccius cardinalis Politianus.

« Ego Scipio cardinalis Pisarum.

« Ego Jacobus cardinalis Sabellus.

« Ego Jo. Antonius cardinalis Sancti-Georgii.

« Ego Philibertus card. a Burdisera.

« Ego Hugo Boncompagnus cardinalis S. Sixti.

« Ego Alexander cardinalis Sfortia.

« Ego Flavivius cardinalis Ursinus.

« Ego A. cardinalis Cribellus.

« Ego Guido card. Vercellensis.

« Ego B. cardinalis Lomellinus.

« Ego Gulielmus card. Sirletus.

« Ego Antonius card. Granvellanus.

« Ego Franciscus card. Paceus.

« Ego M. Antonius card. Amulius.

« Ego Hieronymus card. de Corrigio.

« Ego Joannes Franciscus cardinalis de Gambara.

« Ego Hipol. card. Ferrariensis.

« Ego Indic. de Avalos cardinalis de Aragona.

« Ego Scipio cardinalis de S. Cruce.

« Ego Z. cardinalis Delphinus.

« Ego Joannes Franciscus cardinalis Comendonus.

« Ego M. Antonius card. Bobba.

« Ego F. Michael B. cardinal. Alexandrinus camer.

« Ego F. cardinalis Alciatus.

« Ego Hieronymus card. Simoncellus.

« Ego Ferdin. card. de Medicis.

« Io. Paulus cardinalis ab Ecclesia A. cardinalis Caralla ».

22. *Cardinalem Montium in arcem S. Angeli iterum includi jubet Pontifex.* — Quod autem hac Pii Constitutione prohibitum est, subsequentes Romani Pontifices, in Bulla, quæ quotannis vulgari solet in die Cernæ Domini, inseri etiam voluerunt, ut magis cardinalitæ dignitati consultum esset. Pius vero, uti eorum qui illam dignis moribus honestabant summa sollicitudine securitati ac decori prospexit; ita pariter aliorum, qui degeneri vita tam præclarum Ecclesiæ culmen deturparent, inultam culpam haud prætermisit; ideoque hoc ipso anno, re cum cardinalium collegio communicata, eodemque non consentiente modo, sed etiam plaudente, cardinalem Montium in arcem S. Angeli, in qua sub Pio IV inclusum jam alias fuerat, iterum conjici jussit, quod frustra multoties a liberioris vitæ instituto eum revocare contendisset. Omnes etiam, præter eos quibus tantum victum parabal, redditus ei abstulit, ac postremo in cænobio Montis Casini inclusit, eique, ut narrat Ciaconius, multorum cardinalium postulatione, curator pietatis datus est Josephus Cortesonus Societatis Jesu. Quæ omnia illum tam exosum toti Romanæ Curie reddiderunt, ut, cum postea, sub Gregorio XIII libertate donatus Romam rediisset, reliqui cardinales, ab hujus se consuetudine sublucere, licet inter S. R. E. diaconos primus esset.

23. *Pius declarat cardinales comprehendi in Constitutione Pii IV adversus Custodinos.* — Cum autem Pontifex, hoc eodem anno, decretum, seu Bullam Pii papæ Quarti, prædecessoris sui, contra fiduciarios, quos Custodinos vulgus appellat, renovasset, ac casus et præsumptiones in beneficiis confidentiæ causis, contra quoscumque, impositis etiam pœnis, declarasset: iisdem pariter subjici cardinales, apposita Constitutione altera denunciavit; quod post primam editam, in ea cardinales ipsos minime comprehensos fuisse nonnulli contendissent. Cur autem novi juris subsidio Pii Quarti decretum communiendum existimaverit, ex ipsius verbis intelliges ¹:

« Verumtamen, (inquit) propter improbas multorum cupiditates prædictas, quæ ad purgandam hac pernicie Ecclesiam, et animarum salutem ab ipso prædecessore edita sunt, in multis deprehendimus viam aperuisse gravius delinquendi. Siquidem, cum frequentibus plurius querelis pridem concitati, quod iudices in causis hujusmodi confidentiarum expediendis remissiores essent; omnes et singulas causas ipsas, ubicumque, inter quoscumque motas, ad nos advocavissemus, ad omnimodam hujusmodi causarum præsentium et futurarum,

¹ Constit. 85. Pii IV, Constit. 83. Pii V. §. 2.

rerumque omnium ex ipsis resultantium, cognitionem nobis et successoribus nostris reservavimus; et super quibusdam coram nobis processum fuisset, variis inde nec levibus conjecturis intelleximus, vitium quidem confidentiæ occulte irrepisse, sed plerisque causis præsumptiones et conjecturas, quæ ad illud probandum deducuntur, minime sufficere, ejusque rei causa plurimos, qui ante litterarum prædictarum editionem, hujusmodi confidentias exercebant, ubi cognoverunt obstructam veritatem, propter difficultates probandi in judiciis confidentias ipsas, contempta Constitutione prædicta, Ecclesias, monasteria ac beneficia sic recepta, ut prius retinere, alios fructus, pensiones et alias res accipere, alios eorum exemplo ad similia et graviora fidentius commoveri. Nulli enim ipsa beneficia jure retinere nequeunt, alii ne cogantur ad sacros Ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu clericali, ut ad bellum proficiscantur, ut inimicos occidant; alii, ut alieno nomine lites agant aut defendant; alii propter crimina incapaces; quidam, ut purgato delicto vel absolute consecuta, illa repetant, eadem in alios deponunt, et in plerisque fructus ipsorum, aut eis ministrantur, aut quibus ipsi statuunt, sæpe laicis et inhabilibus. Plerique, vel senes, vel infirmi, ut beneficia in domibus suis perpetuent, illa renuntiarunt et renuntiant in alios, qui vel profanam familiam cedentium de fructibus Ecclesiasticis alant; vel illa etiamnum infantibus, aut nascituris asserent, sacro interdum circuitu retrocessionis, cum reservatione fructuum, et aliarum rerum, aut accessu præsertim ab illis, qui præstandorum jorum cameræ Apostolicæ sunt immunes; alii, aut incapaces, aut aliis beneficiis Ecclesiasticis sunt onusti, aut Ecclesiastico Ordini sese mancipare refugientes, aut mere laici beneficia Ecclesiastica aliis conferenda procurant, ut de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum. Ad hæc plerique ordinarii, et collatores, ac etiam patroni laici erant deponenda beneficia, ut fructus seu pensiones capiant eorundem, aliisve faciant ministrari etc. » Sic ille de causis quæ ad hanc eandem Constitutionem impulerunt: quibusve immaculata divinarum rerum puritas impie violaretur, disciplinæ Ecclesiasticæ nervus dirumperetur, et imminens demum animarum patretur exitium. Data autem legitur kal. Junii hujus anni; ac post eam, die decima quarta Novembris, ut innumis, apposita est altera, qua cardinales comprehensos ac subjectos primæ sanctionibus ac decretis declaravit. Fuit enim hujusmodi¹:

« Pius papa Quintus etc.

« Hodie in Consistorio nostro secreto, ut moris est, accepto, quod a nonnullis prætendebatur, S. R. E. cardinales, obtentu privilegiorum, sub Constitutione nostra de confidentiis beneficiis, saltem quoad privationem, censuras et alias pœnas in d. Constitutione contentas; propter non factam in clausula impositionis illarum specialem et expressam de dictis cardinalibus et privilegiis mentionem, minime comprehendendi, licet aliter mentis et intentionis nostræ fuerit, quemadmodum et ex litteris dictæ Constitutionis colligi posset.

« §. 1. Ad tollendum jam omne dubium, atque impedimentum, quominus Animarum præfata, commune bonum et salutem animarum concernens, plenarium effectum sortiatur, declaravimus, omnes S. R. E. cardinales, in Constitutione et litteris præfatis, ac singulis earum partibus, etiam quoad privationes, omnesque et singulas alias censuras et pœnas in ipsis litteris contentas comprehendendi; ac contrafaciens, privationes, censuras et pœnas ipsas incurrere volumus eo ipso etc. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV Novembris MDLXIX. Pontificatus nostr. ann. quarto ».

Neque hic prætereunda, quæ Genebrardus¹ in Chronico habet de præfata in fiduciarios Constitutione: « Anno MDLXIX, (inquit) Pius V renovat decretum, sive Bullam Pii IV contra fiduciarios, quos Custodinos vulgus appellat. Simoniacos eos pronuntiat, Sedi Apostolicæ absolutionem reservat, cæteris admittit; ac tam eum, qui custodit, quam illum qui custoditur, restitutioni alligat, ut sic pro sacerdotio (verbi causa) centum aureorum, ducenti restituantur ». Et illico subjungit: « Hoc simoniæ genere apud nos plena sunt omnia, magna conscientiarum socordia et pernicie ». Ita ille, cujus testimonium abunde confirmari cognoscitur ex Epistolis præterito anno ab eodem Pontifice scriptis², ut apud Goubaum, ad archiepiscopos Mechliniensem, Cameracensem et Trajectensem; et ab episcopis Buscoducensem, Iprensem, Midelburgensem, Harlemensem, Tornacensem, Atrebatensem, Audomarensis et Namurcensem; in quibus, postquam, quam grave, quam detestandum esset simoniæ labis crimen ostendit, in eo genere multa in illis partibus admitti, ad dignitates præcipue et beneficia Ecclesiastica obtinenda, multis referentibus, non sine gravi animi dolore se audivisse dicit; hortaturque idcirco, ut diligenter ac sedulo hujus rei veritatem inquirere student, et quos comperissent, quacumque hujus criminis labe pollutos, Dei tantum honorem in oculos propositum habentes, secundum canonicas sanctiones et sacri Tridentini Concilii decreta, in eos animadvertant.

¹ Gene'rard. in Chronic. lib. 4. pag. 756. — ² Epist. Pii V. apud Goub. Epist. 13. lib. 2. pag. 92.

¹ Exstat in Bullar. in Extentione Const. 83.

24. *Simoniacam labem implacabili animo persequitur.* — Adeo vero ab omni turpis lucri gratia, quæ ex spiritualibus rebus promanare aliqua quavis ratione videretur, abhorruit Pius, quod omnium primam, contra Ecclesiam prodidisse hæresim, Simoniam diceret, ut vel levem ipsius Suspicionem dari minime ferret. Quapropter (Bzovio¹ referente) jussit, ut Apostolicæ Sedis nuntii, qui apud reges et Christianos principes essent, sacra negotia cuncta, ac facultates quas Apostolica auctoritate fidelibus impertirentur, nulla vel pecunia vel mercede tribuerent. Cujus rei præclarum adfert testimonium Gabulfus², ubi de Vincentio Portico agit, qui (ut diximus) ad Poloniæ regem Apostolicus internuntius a Pontifice missus fuit. « Ac primum quidem (inquit), ut ex earum gentium animis omnem suspicionem avaritiæ, cujus insimulabantur sacerdotes, prorsus evelleret, faciendum esse constituit, ut sacra negotia cuncta et facultates, quas tanquam Apostolicis internuntius daret, nullo quæstu, nullaque intercedente vel pecunia vel mercede, sed gratuito ille gereret et administraret. Quæ res ibi magno provehenda religioni, tum adjuvento fuit, tum etiam incremento ». Hæc ille de internuntio apud regem Poloniæ: quo in regno, cum Catholica fides in discrimen vocata præcipue videretur, ob id quod Ecclesiastici pecuniis inhiare censerentur, idcirco ad omnem suspicionem tollendam, gratis gratias omnes elargiri, nec ipsius debita labori mercedis respectu habito, Pontifex imperavit. Aliis tamen in regnis, ubi hoc imminere religioni periculum non putavit, id Pium mandasse haud reperimus, ut Bzovius³ excogitavit, qui quod uno in regno Pontifex jussit, perperam commune omnibus fecit: nullatenus animadvertens, id quod uni profuturum erat, obfuturum fortasse cæteris, si incaute concessisset; uti revera concessisset incaute, si omnibus concessisset; cum sperni hinc ac prope nihil haberi Apostolicæ gratiæ possent; ac congruam ministris, qui altari inservientes de altari vivere debebant, stipem indebite subtraxisset.

25. *Philibertum, Sabaudia ducem, Astensis Ecclesiæ jura violentam, ad meliores sensus Pius reducit.* — Quam longe vero Pius esset ab inconsiderata Ecclesiasticarum rerum distractione, ea abunde ostendunt, quæ inter illum ac Sabaudia ducem hoc anno, ob Astensis Ecclesiæ jura intercessere. Dux ipse siquidem, licet ab anno superiori, ut vidimus, et per Apostolicum suum nuntium, et datis ad ipsum litteris, a Pio monitus fuisset, ut nihil innovaret, ac ratione, non vi ageret; nihilominus a male cœptis nullatenus desistens, a vexandis Ecclesiæ Astensis

feudetariis, vectigalibus impositis, aliisque modis, se minime temperaverat. Adeo siquidem Philiberti animum imbuerant suggestæ ab illis, quos anno præterito recensuimus, eruditis, assimulatæ jurium species, (hujusmodi licet fuissent, ut nec ipse, nec prædecessores sui unquam eas antea excogitassent), ut quamvis summo Pontifex studio incubuisset, ut cæcutientem illuminaret, rejectique idcirco ab eo fuissent prætextus omnes, quos ipse ad tuendum quod agebat egeratque, ostenderat; nil horum tamen efficere poterat, ut ab excessibus abstineret; ita ut aliis Epistolis, aliisque præterea officiis eum hoc anno urgere coactus fuerit, ut ex sequenti in primis ad eum scripta Epistola apparet:

« Dilecto filio, nobili viro, Emanueli Philiberto Duci Sabaudia etc¹.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc. Cogunt nos Astensis Ecclesiæ feudatariorum assidue et quotidianæ fere querelæ, quibus variis a nobilitate tua vectigalium oneribus sibi impositis, contra Ecclesiasticorum feudatariorum antiqua jura, vexari se ac opprimi querantur; ut pro nostro pastoralis officio, non minus eorum indemnitati consulere, quam Ecclesiasticæ libertatis jura luere debeamus. Qua de re, et superiore anno nos ipsi ad te diligentissime scripsimus, et ven. frater Gebenensis episcopus, noster et Sedis Apostolicæ apud tuam nobilitatem eo tempore nuntius, tecum nostro nomine egit. Cujus tamen paternis nostris officiis, nihil nos profecisse, non possumus non dolere: et nunc ven. fratri episcopo Montis-Regalis, nostro apud te nuntio, ut rursus eadem de re quam accuratissime tecum agat mandavimus. Et quia ea, quæ hic a dilecto filio oratore apud nos tuo, pro tuarum præventionum defensione in medium adducta sunt, Astensis Ecclesiæ jura, nulla ex parte minuere, aut alio quovis pacto labefactare videntur, quemadmodum fusius atque subtilius eidem oratori tuo exponi jussimus; ideo nobilitatem tuam, ut Catholicum principem, ut devotum et sincerum Ecclesiæ filium et nostrum, hortamur et rogamus, ut si in hac causa aliquid adhuc subest, quod tibi dubitationem habere videatur, de eo ab hominibus illis edoceri se cures, qui sine ullo animi præterquam ipsius justitiæ affectu, libere judicare possint; et quamprimum fieri potest provideas, ut quemadmodum æquitas postulat, Ecclesia nullum damnum patiatur. Nisi enim hoc fieret, nos, et pro eo, quod justitiæ debemus, et pro nostro pastoralis officii munere, eam inire rationem cogeremur, qua et justitiæ consulere, et officio nostro satisfacere posse-

¹ Bzovius Annal. — ² Gabul. Vit. Pii lib. 3. cap. 10. pag. 108.

— ³ Ibid. ut supra.

¹ Ex Archiv. Vaticano.

mus. Non dubitamus tamen nobilitatem tuam, pro sua æquitate, et erga Sanctam hanc Sedem reverentia, tum in hac ipsa re, tum etiam in reliquis omnibus facturam esse id, quod, et iustissimo et Ecclesiæ studiosissimo principe dignum erit. Datum Romæ, apud S. Petrum, etc. Die xxviii Aprilis MDCXIX, Pontificatus nostri anno quarto ».

Juxta hæc, quæ ad Philibertum Pius scripsit, ea quoque fuere, quæ ejusdem Pii jussu, cardinalis Alexandrinus in Sabaudia aula commemoranti Apostolico nuntio in mandatis dedit, sequenti Epistola ¹ :

« Admodum reverende domine, uti frater.

« Ecclesiæ Astensis feudetarii tot assiduas quæ adeo querelas Sanctissimo Domino nostro detulerunt, ob gravamina, quæ a celsitudine sua sibi imposita dolent, et onera, et vectigalia, quæ ab illis, contra Ecclesiasticam immunitatem suæque privilegia, extorquet; ut Sanctitas Sua Breve ad eam scribere cogatur, cujus tenorem ex huic annexo exemplari cognosces; cui quidem conformare studebis officia, quæ Sanctitatis Suae nomine, quoad hoc peragenda tibi essent, uti ego eadem percipiens, apta arrepta occasione, absque eo quod pro nunc ad peculiariora alia descendas, peragere mando; qua de re certiores per Epistolam reddere me quoque scias, Astensem episcopum, ut, nimirum, de illis quæ aguntur instructus sit etc. Romæ die xxix Aprilis MDCXIX.

« Uti frater

« cardinalis Alexandrinus ».

Ad Astensem vero episcopum, cardinalis idem sub eadem die, sic scripsit ² :

« Admodum reverende domine, uti frater.

« A prædecessoris tui tempore, plura, quibus subiciebantur, gravamina hujus tuæ Ecclesiæ feudetarii a domino Duce ejusque ministris delata sunt; et quamvis Sanctitatis Suae nomine, cum celsitudine sua de his actum sit, non tamen ob id, apud eandem Sanctitatem Suam, eadem querelæ cessarunt; adeo ut tandem Breve ad ipsam celsitudinem scribere censerit quo hortatur, ut curet, ne feudetarii ipsi indebitè vectigalibus onerentur : quæ quidem certissime, uti accepi, et insolita sunt, et indebita. Feudetarii ipsi sua Ecclesiastica immunitate perfrui debent, quam tu, ex dignitatis et officii tui munere, omnimodo, absque ullo personarum rerumque temporalium respectu, defendere et conservare debebis. Qua de re, cum, Sanctitate sua mandante, ad Apostolicum istic nuntium scripserim, ut apta occasione cum celsitudine sua agal; aliud non est, quod de illa in præsens dicam. Romæ die xxix Aprilis MDCXIX.

Dominationis tuæ, admodum reverendæ.

« Uti frater

« cardinalis Alexandrinus ».

26. Eo vero magis Pii animum juste pupugerat hæc Sabaudia ducis agendi ratio, quod nisi re plenissime explorata, ac utraque parte, tum voce, tum scripto diligentissime audita, feudetariis illatam vim, et Philiberti jurium insubsistentiam cognoverat, cardinali siquidem ab Ecclesia, omnium sui temporis juris peritissimo, eam expendendam Pius demandaverat, qui utrinque auditis, feudetariis nempe et Sabaudia ducis oratore, scripturisque hinc inde ab illis pro suorum jurium tuitione exaratis, productisque, matureque perpensis, tandem hæc ad Pium retulit ¹ :

« Beatissime pater.

« Vidi, ac pro tenui facultate mea diligenter consideravi documenta, et alias scripturas omnes, mihi de mandato Sanctitatis vestræ exhibitas, super controversia immunitatis vertente inter Ecclesiam Astensem et ejus feudetarios ex una, et illustrissimum ducem Sabaudia ex altera parte; et omnibus mature pensatis, videntur mihi talem Sanctitati Vestræ relationem, pro veritate et justitia esse faciendam.

« Primum quidem Ecclesia ipsa eum suis oppidis et jurisdictionibus, de quibus agitur, sibi a variis imperatoribus et regibus concessis et donatis, ex præscriptione immemorabili annorum cc, ut præsupponitur, et ultra tuta est, etiam quoad regalia, quæ tanto tempore præscribuntur; et hoc solum Ecclesiæ sufficere videtur. Nec quidquam facit, si quando ingruentibus bellis coacti sunt feudetarii Ecclesiæ aliquid facere contra suas immunitates, et sic præscriptionem interruptam videri. Quæ enim temporibus bellorum, vi et metu compulsi facimus, novimus omnes nullam obtinere firmitatem de jure. tot. tit. ff., et Cod. quod met. caus. Paris. conf. 1o u. n. 18.

« Si tamen velimus etiam merita causæ attingere, Ecclesiæ Astensi donata fuerunt oppida hæc et jurisdictiones, a variis imperatoribus et regibus, pro amore Dei et pro salute animarum suarum, adeo efficacibus et prægnantibus verbis, ut non modo immunitis reddatur a quibuscumque oneribus, quæ dici aut excogitari possunt, ut in ipsis concessionibus dicitur; sed etiam videatur, res donatas adeo avulsas et dismembratas fuisse juribus imperii, ut nec suprema illa auctoritas, seu præeminentia, quæ in signum majestatis, in omnibus concessionibus intelligi solet, reservata panes concedentes ac donantes imperatores et reges remansisse videatur : prout specialiter videri potest, in donatione facta per Ludovicum imperatorem fol. 2. et 3. in qua sic legitur... A

¹ Ex Archiv. Vaticano. — ² Ibid. ut supra.

¹ Ex Archiv. Vaticano.

publico jure et dominio, in jus et proprietatem Astensis Ecclesie transfundimus et delegamus; et remota totius publicæ potestatis inquietudine etc. Et in donatione facta per Ottonem imperatorem fol. 6. Et per Henricum regem fol. 14. et per eundem confirmata fol. 17., in quibus hæc verba leguntur.... De nostro, et regni jure, et dominio, in prædictæ sanctæ Astensis Ecclesie jus et dominium omnino transfundimus et delegamus; ita ut deinceps et posterum perennibus temporibus, habeat, teneat, firmiterque possideat jure proprietario omnium hominum, contradictionis inquietudine remota. Et ubi alias in omni concessione facta per imperatorem, intelligeretur reservata suprema illa præminentia; id potest habere locum, quoad personam ipsius imperatoris, a cujus ossibus avelli non potest, nec esse potest pænes duos, unde in ducem non videtur translata. D. Bald., et alii in Cod. qui sint Reg. Paris Conf. 101. n. 6. cum seqq. vol. I. Sed in casu nostro sumus extra omnem difficultatem, cum Maximilianus imperator, in concessione facta duci Sabaudie, specialiter et expresse sibi reservaverit jus istud superioritatis, obedientiæ et fidelitatis; ex quo dignoscitur, talem præminentiam in Duce Sabaudie non inveniri, et consequenter ipsum ea uti non posse.

« Item talis præminentia intelligitur reservata quoad subditos et inferiores, in quos potest aliquo modo exerceri; secus quoad Deum et Ecclesiam, in quos exerceri non potest; et cum Deo et Ecclesia donatur, talis præminentia evanescit. Si enim par in parem non habet arbitrium, multo minus in superiorem, prout est Deus, et ejus Ecclesia; quod specialiter dicendum est, quando donatur amore Dei, et pro salute animæ: quo casu valde absolum videtur dicere ea, quæ pro salute animæ in elemosynam Ecclesie data sunt, posse, aut virtute ipsius supremæ præminentie, aut aliquo quovis modo infringi aut revocari. Ita, si anima imperatoris, mediante tali elemosyna, gratiam et liberationem obtinuerit a Deo, dicemus, revocata elemosyna, revocari gratiam? Aut Deum a nobis deludi? Absit, ut sententia Dei, quæ animam liberavit, possit per actiones hujusmodi infringi.

« Nec videtur attendenda distinctio Jo. Andree distinguentis, ut cum donatur Romanæ Ecclesie, non censeatur reservata illa superioritas; secus, quando donatur Ecclesie inferiori: quia talis distinctio communiter non recipitur in C. Romam 5: debet de Cap. in 6. et 10. Andreas movetur per Text., qui loquitur in concessione feudali; item ejus opinio limitari debet, nisi sit concessio, et donatio facta pro salute animæ; quo casu, nil omnino intelligi potest reservatum, ut dixi supra.

« Sed finge, sine præjudicio veri, jus istud supremum intelligi reservatum; item et trans-

isse in ducem; imo quod ipsemet imperator vellet imponere hujusmodi onera; id tamen facere non posset: alioquin, si virtute istius præminentie posset imperator onera, a quibus Ecclesiam exemerat, nunc, et quoadcumque sibi libet, imponere; jam revocat donationes perfectas et contractas, quibus non solum principes, sed etiam Deus ligatur, Bald. in L. i. ss. de pactis. Et tradunt DD. in Cap. i. de probat. Et vana prorsus redderetur donatio immunitatum, si quoadcumque posset ea per imperatorem infringi aut revocari, virtute istius præminentie. Elisi dicatur, etiam Ecclesias teneri de jure communi ad contribuendum expensis, quæ fiunt ob publicam utilitatem seu necessitatem, puta in refectione manium, pontium, fontium et viarum, juxta tradit. in L. ad instructiones, Cod. de Sacros. Eccles., et late per Rip. Lib. 2. respons. Cap. 20. n. 5. et seqq., id facile admittimus. Talis tamen contributio, pro rata exigenda est ab ipso episcopo, cujus arbitrio dependet inspicere hanc publicam utilitatem seu necessitatem; nec debent se in similibus sæculares principes aut illorum ministri introumittere, maxime per vim ac violentam exactionem, prout hæc omnia probantur in Cap. Non minus de Immunit. Ubicumque igitur talis publica necessitas imminet, erit requirendus episcopus, ut suos subditos ad hujusmodi contributionem cogere velit; prout de jure communi tenetur, quod episcopus nunquam recusare debet, consulto tamen prius Romano Pontifice, ut habetur in Cap. adversus, de immunitat. Eccles.

« Concluditur igitur, Ecclesiam Astensem, ejusque castra et jurisdictionem, esse omnino exempta, et a juribus imperii etiam omnino separata. Et propterea illustrissimum ducem Sabaudie, imo nec ipsum imperatorem posse revocare, aut aliqua ex parte infringere donationes immunitatum, ab ejus antecessoribus pro salute animæ factas Ecclesie Astensi; et consequenter eosdem non posse aliqua onera eidem Ecclesie imponere; imo, quæ de facto processerunt, esse revocanda, ipsamque Ecclesiam spoliatam, ad suam pristinam libertatem et immunitatem esse restituendam. Ita censeo etc.

« Jo. Paulus card. ab Ecclesia ».

27. Cardinalis ab Ecclesia votum id a Maceratensi episcopo Pontifici exhibitum reperimus; qui cum ex eo perspicue agnovisset Astensis Ecclesie jura, et e contra inbecillitatem eorum, quæ Philibertus in medium protulerat ad honestanda quæ gesserat, magis etiam in proposito ea defendendi, se, ut diximus, ostendit defixum. Summa autem rationum, quas Philibertus ipse, oratoris sui, et voce et scripto produxit: in eo in primis fuit, quod vicariatum Italiae, Sabaudie domui, Carolus Quartus, et

alii, qui ei subiecti fuerant, Cæsares, usque ad Carolum Quintum, Leone Decimo, et Clemente VII Pontificibus Maximis annuentibus, contulerat. Aliud vero investituræ innitebatur Astensis comitatus, factæ a Carolo item Quinto imperatore, in favorem Caroli III Sabandiæ ducis, et Beatricis uxoris ejus, Portugallia infantis, sub anno MXXXVI. Quæ quidem jurium Philiberti infirmissima fundamenta, quam æque Pius, Astensis Ecclesiæ juribus post habuerit; ex his quæ attulimus satis liquet.

Nihilominus, nec ratione, justitiæque causæ se vinci Philibertus est passus, nec Epistolis, aliisque quæ memoravimus Pii officii potuit definiiri, ac a male intentatis revocari; ita ut Pius ipse, ubi frustra leniora se applicuisse remedia deprehendit, acriora, hoc dilabente anno, adhibere morbo se compulsum existimaverit; sic ad eum scribens :

« Dilecto filio, nobili viro, Philiberto Sabandiæ duci etc.

« Dilecte fili etc. Quamvis causæ gravitas, in qua Astensis Ecclesiæ maxima res, æque ullo pacto a nobis contemnenda, sive dissimulanda agitur, tertio jam ad scribendum nobilitati tuæ nos impellat; tamen charitate quoque, paternæque erga te benevolentia, non medioeriter ad hoc ipsum movemur, ægre nimirum ferentes, te in Ecclesiastica libertate violanda, adhuc perseverantem, iram indignationemque Omnipotentis Dei tantopere adversus te provocare. Opportebat quidem nobilitatem tuam, et æquitatem rei adductam, et paternis nostris monitis commotam, aut in vexandis diutius insolitis oneribus Astensis Ecclesiæ feudatariis, aliquem sibi modum finemque statuere; aut, si quid habere se in ea re juris putabat, id, vel per procuratorem, vel per dilectum filium oratorem apud nos suum, nobis exponendum curare. Sed quando, æque nostrarum litterarum, quibus eadem de re his, proximo, scilicet, et superiori anno, ad te diligentissime scripsimus¹, auctoritas quidquam movit, quominus ab ejus Ecclesiæ vexatione desisteres; neque pro tuo facto tuendo aliquid, quod alicujus momenti esset, ad hanc usque diem ad notitiam nostram perducendum curasti : nos, et eorumdem feudatiorum, qui ad nos Sedem Apostolicam hujus rei causa confugerunt, oppressioni providere; et officio nobis, quamvis indignis, ab Omnipotenti Deo commissio, satisfacere volentes, nobilitatem tuam tertio jam paterne moneamus, hortamur, et quatenus opus sit, etiam mandamus, ut, postquam has litteras acceperis, vel a perturbandis amplius ejusdem Ecclesiæ feudatariis absistas, sic ut per publica etiam documenta, eorumdem a te indemnitati caveatur; vel intra quadraginta dies, ab acceptis hisce

litteris nostris numerandos, omnium tuarum præventionum jura, per procuratorem, sive per eundem oratorem tuum nobis cures exponenda. Quo quidem temporis spatio elapso, nisi, aut vexationum finem feceris, aut præter ea, quæ orator tuus, nullius ad Ecclesiæ Astensis jura minuenda momenti, in medium jam protulit, de quibus postremis ad te litteris nostris scripsimus, aliquid majoris, ad præventiones tuas confirmandas, ponderis attuleris : cogemur, pro officii nostri munere exequendo, eam inire rationem, quæ neque feudatiorum Ecclesiasticorum, auxilium nostrum implorantium injurias contemnamus, neque Ecclesiasticam libertatem diutius violari patiamur. Quod, si tibi statutum fuerit in hac controversia jus tuum apud nos judicio experiri; erit æquitatis tuæ interea, dum quid æquitas postulat, auditis utriusque partis juribus, a nobis decernitur, nihil novum adversus ejusdem Ecclesiæ feudatarios, sive eorum bona tentare, aut perpetrare; et si quid, ad hanc usque diem tentatum, perpetratumve fuerit; illico ac nostras has litteras acceperis, revocare. Quod quidem nobilitatem tuam facturam esse speramus, pro sua erga nos Sanctamque hanc Sedem reverentia. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxv Octobris MXXIX, Pontif. nostr. anno quarto ».

28. In Regesto Vaticano, ex quo Breve istud exscripsimus, in calce ejusdem hæc verba leguntur : « Ita ut ex his apertissime pateat, exaratum quidem fuisse, ut mitteretur, sed minime missum : quod item fuit, ac si diceres, evaginatam gladium extensumque brachium, sed ictum suspensum. Suspensionis vero hujus causa non nisi Astensis episcopi Roberet, summis laudibus extollenda strennitas, fuit, qua nimirum, et sponte sua, et Pio ut vidimus excitante, momento ac præcipiente, absque ullo humano respectu, sese murum opponens, pro domo Dei, Philiberti ejusque ministrorum conatus ita compescuit, ut aliis minis intentatis aliisque officiis eum coercere Pontifex coactus non fuerit. De illo siquidem, inter alia plura notatu digna, hæc tradit Ughellius¹, postquam alterum fere Pium moribus, et sanctitate illum exhibuit : « Temporalis dominium in castra suæ Ecclesiæ aliaque jura adeo constanter tutatus fuit, ut contra ea, aliqua molientem urbis gubernatorem, minime sit veritus excommunicatum declarare ». Causam vero, ob quam tam facile episcopi hujus monitis Philibertus acquieverit, ac deinceps ab Ecclesiæ injuriis deinceps abstinuerit, vel de injuria (si hoc nomine vocari potuit) gubernatori suo illata, minime ex postulaverit : detexisse, quæ immediate subsequuntur, Ughellii ejusdem verba videntur : « In

¹ Ughell. Ital. Sacr. tom. 4. pag. 373.

¹ Ughell. Ital. Sacr. in episcop. Asténs.

his autem actionibus (inquiens) cum animi fortitudine ac gravitate, eam benignitatem ac humilitatem iungebat, ut nemo esset, qui ab eo se vinci non pateretur; accedente maxime illius integerrimi animi, nihil præter Dei gloriam et animarum salutem spectantis, concepta opinione, et in proximis effusa charitate etc». Poterat his addere, quod cum nihil Philiberto se debere episcopus huc agnosceret, quippe, qui motu proprio, ut diximus, a Pio, ad id munus erectus fuisset; nullo idcirco vinculo respectuque tenebatur, quominus quandocumque debuisset, ac cum quibuscumque opus fuisset, munere suo fungeretur.

29. Et hujus quidem eximii præsulis, quæ nulla ratione potuit labefactari constantia, et in tuendis Ecclesiasticis rebus invictum robor, Philiberti animo consilium id iniecisse putandum est, ut, quod sibi jure in Ecclesiasticis rebus minime licere cognosceret, precibus a Pio impetrare conmitteretur, ut sibi liceret, posita ad radices securi, accepta, nimirum, a Pontificibus Maximis, ad episcopatus, cæteraque suæ ditionis Ecclesiastica beneficia nominandi facultate, quæ quamvis, pro concedentis auctoritate valide et licite sit concessa; non ideo tamen vel eam concedere expedit, vel qui obtinent, obtenta sic utuntur, ut passim magis deflendum non sit obtinuisse esseque et illis, et aliis, imo Ecclesiæ toti, in ruinam et scandalum. Hanc siquidem viam laica secularisque potestas, ad pessundandam, et undequaque in servitum redigendam Ecclesiam ac Ecclesiasticos viros, deploratissimis nostris hisce temperibus sibi stravit: et ubi olim principes (ut alibi adnotavimus) nil antiquius nihilque salubrius reperiri existimarunt, ut saluti propriæ consulere, quam ut Ecclesiam privilegiis, copiosissimis largitionibus, exemptionibus, immunitatibus exornarent, eique se, suaque omnia subderent; modo e contra, nil magis student, quam ut se supra illam extollant, sibi que subjiciant, atque in omnimodam redigant servitum, et a majoribus exornatam denudent, cunctis videlicet ei ereptis, quibus eandem ipsi honestaverant; et eo usque, ut non tantum (uti iidem piissimi principes) aliquid hujusmodi Ecclesiæ concedendum non existiment. *Pro remedio*, ut passim in suis Diplomatum profitebantur, *animæ suæ*; sed, e contra (inquam) quidquid ab eis oblatum repererunt, sub hac vel illa specie ei admirere non vereantur. In quo quidem, viventes hujusmodi, a justis mortuis damnatos, quis non intelliget? Si enim hi animabus suis, ad capesendamque vitam æternam, optimum remedium optimumque callem, quas prædiximus, concessionibus, immunitatibus etc., Ecclesiæ attributas, existimarunt; dum e contra sæculares potestates, non tantum immunitates etc. ipsas concedere abnuunt, sed insuper a majoribus conce-

sas, eripiunt: quid rite censendum est, nisi, vel de iisdem operibus eadem eos non credere, quæ ipsi eorum majores crediderunt; vel saltem, quod eo pervenire dedignerent, quo, per eadem bona opera, ipsi pertingere studuerunt? Ad facinus exesusandum, haud me latet illud prætexere, hujusmodi Ecclesiasticos prærogativis expoliandos censere, quod ipsas in pravos usus converterint. Verum, si ita sese res habet; cur etiam privilegia, prærogativæ, jura laicis detrahenda non erunt, quoties illis pariter abutuntur? Si in usum tyrannidis convertant ipsis tradita jura regiminis; cur illis, inquam, arrepta ex abusu ratione, cuncta hæc illis detrahenda non erunt?

30. Cæterum, cum Ecclesiasticorum munium omnimoda dispensatio ad laicos translata est; quis ambigat eorum, qui ad illa promovenda debent studia omnia necessario quoque ad illos esse directa, qui ipsa impertiri possunt? Et sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, et sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculos ad beneficia officiaque Ecclesiastica tendentium, ad laicos, eorumque manus esse conversas, a quibus tantum, se ea consequi posse compertum habent? ac per consequens nil aliud voluisse, qui nominationes et præsentationes ad Ecclesiastica beneficia consequi voluerunt, quam diivina humanaque, sacra et profana confundere, omnimodamque ad se attrahere potestatem, dominationemque illam, ad quam necessum ut omnes confugiant, qui Ecclesiasticæ militiæ sunt adscribendi, vel etiam nomen dedere. Potestatem, (inquam) eam, qua, ut toties diximus, *pro remedio animæ suæ* majores eorum sese abdicarunt? « Qui enim » scribebat S. Petrus Damiani ¹ « honores Ecclesiasticos attrahere vaporibus æstantibus ambiunt; in clientelam potentium, tanquam servos se dedidit obscæne substernunt. Ecclesiastica quippe deserunt, dum Ecclesias concupiscunt: et, ut tyrannidem arripiant super cives, ut ita dixerim, dedignantur esse concives: militiam fugiunt, ut militibus præferantur: et dum non erubescunt templum Dei mutare in palatium, de religione canonica, in ordinem transeunt laicorum. Virtutum arma deponunt, prociunctum spiritualis militiæ deserunt, castra transfugiunt, militare cingulum solvunt etc. Qui, nimirum, dum non per Ecclesiæ ingrediuntur ostium, sed per sæculare posticum, non pastores ovium, sed fures et latrones sunt ». Et inferius ²: « Porro cum, et forensibus legibus cautum sit, ut curialis quisque funditus arceatur a clero; iste, de Ecclesia migravit ad curiam. Et, heu prodigiosa vœsania! ut præferatur clericis, de clerico efficiatur curialis; factus est servus mundi, ut jus domini, imo cathedram pestilentiæ usurpet in

¹ Opuscul. 22. in Præfat. pag. 204. — ² Ibid. cap. 2. pag. 205.

domo Dei. Qui, si semel investituram de manu largitoris acceperit, vel quolibet prorsus ingenio culmen regiminis adeptus ascenderit; mox, ut sibi fautores inveniatur, larga de facultatibus Ecclesie dona dispensat ».

31. Illos, qui ea mente, ut officia beneficiaque Ecclesiastica adipiscantur, sæcularium potestatum sese mancipia efficiunt; Simoniace labis crimen, et quidem ejusdem speciei cæteris deterius, nullatenus evadere posse, ibidem ipse demonstrat. Sed quid, de laicis hujusmodi aulicis clericis, ea tradentibus sentiendum jure erit? Putasne, eo scelere minime obnoxios esse posse? Verum, qua, quaeso, ratione, si passim laicali dispensationi Ecclesiasticarum rerum traditum munus, non nisi temporalia spectare videbis? Huic traditur episcopatus, vel ad Amasæ nutum, vel quia patrem habuit in bello strenuum, qui castra vertit exterorum. Illi traditur abbatia, quod ex nobili genere nato, ipsis expedit confovere sibi que deviacire amicitiam. Alteri demum beneficia alia collata, quod legationem exererit, qua persæpe (licet per fas et nefas) principis sui negotia bene gessisse perhibetur. Vel, quod avunculum aut consanguineum habuerit, bene magistratum gerentem. Vel tandem (horret dicere), quem princeps, contra Ecclesiam ejusque jura, pro laicali potestate acrius insurrexisset compererit: ita ut fere semper in collationibus a laicali potestate factis, vel vix vel nunquam spiritualia, temporalia e contra spectari cognoscas; ideoque Christi patrimonium, non nisi ad inserviendum laicorum iniquitatibus, ab ipsis collatoribus turpiter destinatum deprehendatur.

32. Quod, præ omnibus aulem, in hujusmodi collationibus sæcularis potestas cavet; illud est, ne episcopatibus, abbatibus, aliisque Ecclesiasticis beneficiis præficiatur aliquem, qui effreni suæ, vel dominandi, vel res juraque Ecclesiastica invadendi usurpandique libidini obsistere possit aut velit. In primis enim, quis laicorum omnino obnoxium voluntati non putabit, qui totum id, quod Ecclesie obtinet, laicæ eidem potestati referre omnino debet acceptum? « Si quorundam patrocinio, fuerit quisquam electus » scribebat S. Gregorius¹, « voluntatibus eorum, cum fuerit ordinatus, obedire, reverentia exigente, compellitur: sicque fit, ut et res illius minuatur Ecclesie, et Ordo Ecclesiasticus non servetur ». Deinde, quis non intelligit, quod ea mens, consiliumve laicis fuit, cum hujusmodi videlicet facultates obtinere studuerunt; ut, nimirum Ecclesiis, aliisque Ecclesiasticis beneficiis, nonnisi, vel mercenarios, dicto sibi obtemperantes, et ad primum lupi occursum fugientes; vel latrones, una secum macchantes et perdentes, ac sæculari tyrannidi oves

devorandas offerentes, præficerent? Hoc probat, et sævitia ea, implacabileque odium, quo eos prosecti sunt ac prosequuntur, qui in rebus his voluntati suæ restitisse noscuntur; et summa simul ea calliditas solertiaque, qua, quos veros fore pastores, sibi in faciem restituros suspicantur, ab omni prorsus villicationis munere arcere student.

33. Hæc necessario proponenda, ut ea intelligantur, quæ inter Pium ac Sabandiam ducem Philibertum (ut dicere cœperamus) intercessere. Is enim oratori suo apud Pontificem, domino de Trinitate, in mandatis dedit, quæ sequuntur: « Exorabit Sanctitatem Saam, ut confirmare dignetur indulta, concessionis et privilegia nostra: neque id tantum, quinimo enixe apud illam ipsorum ampliationem, curabit, exemplo in medium prolato aliorum suorum prædecessorum, qui moti observantia et meritis nostræ hujus domus, ea semper auxerunt, eo modo, quo nunc extant; qua in re, a benignitate Beatitudinis Suae nil minus speratur. Quapropter omni incumbet conatu, ut nominationes et præsentandi facultatem concedat, ad archiepiscopatus, episcopatus, prioratus, præposituras, abbatias et alia demum beneficia consistorialia universæ nostræ ditionis, tam citra quam ultra montes. Quanto enim majores gratias et ampliationes faciet; eo magis illo utemur, ad inserviendum, et ad honorem atque S. Apostolicæ Sedis exaltationem ».

Ista Philiberti mandata, in quibus notatu digna non pauca: inter quæ, illud, quod ipsemet ignoraverit, jus præsentandi nominandique ad consistorialia beneficia, tam citra quam ultra montes, sibi competere; adeoque ignoraverit, ut illud propterea a Pio deprecaretur.

Aliud etiam, quod sibi concessam nominandi presentandique facultatem, in obsequium majoremque Apostolicæ Sedis exaltationem, cessuram Philibertus polliceretur; instar monstri merito videri debet. Nemo negabit enim, enormiter earum facultatum concessionibus, Apostolicæ Sedis jura auctoritatemque diminutam iri. Quis igitur credet, erga potestatem, quam laica potestas imminutam volebat, et quam circumscriptam curabat, majus futurum obsequium? Augenda erat auctoritas et Apostolicæ Sedis potestas, ut pari gradu, cum ea sic exaltata, erga eam par etiam insurgeret observantia. At demere potestatem, eique annexam magis polliceri reverentiam obsequiumque, quod nisi potestatis ejusdem gradibus respondere debet, vel apertissimæ dementiae, vel decipientem sapere calliditatem deprehenditur.

34. Pius idcirco, omni tergiversatione submota, Philiberti precibus, suo nomine a cardinali Alexandrino responderi in hæc verba præcepit²:

¹ Ex Archiv. Vatican.

¹ Ex Archiv. Vatican. — ² Ibid. ut supra.

« Sanctitas tua videt jam, ob nimiam indulgentiam et concessionem a prædecessoribus suis principibus factas, Apostolicam Sedem, auctoritate, et facultate sua adeo denudatam; quod, quamvis amor, quo celsitudinem suam prosequitur, et preces solertiaque domini de Trinitate exigere viderentur, ut tolum id quod petitur concederetur, novorum nihilominus privilegiorum concessionem permittere non potest. Confirmare tamen non abnuet illa, quæ a prædecessoribus suis ei sunt concessa, ea tamen ratione, quam Concilii Congregatio præscribit. Quamvis Sanctitatis suæ hæc sit sententia palamque dicat: se Deum orare, ut auferat ab animo celsitudinis suæ, et cuiusvis alterius Catholici principis cogitationem hanc, manum videlicet immittendi, seseque quolibet modo in rebus Ecclesiasticis ingerendi; quod, non modo ex historia, sed experientia docente, vidisset, quod illi, qui id fecissent faciuntque, in excidium ruinamque corrumpunt. Quapropter, quanto minus se in his immiscuisset, secret profecto, minorem etiam se Deo rationem redditurum.

« F. Michael. card. Alexandrinus ».

35. Haud dubio, eo majori fiducia Philiberto Pontificem hos sincerissimos animi sui sensus explicasse; quod degenerem minime ipse existimaverit prædecessorum Sabaudia et Pedemontium principum, quibus semper nil magis cordi fuit, quam ut Ecclesiam quavis ratione auferent, locupletarent privilegiis, honoribus, muneribus cumularent. Qua de re referre sufficiat præclarissimum S. Petri Damiani ¹ de Adelaide, Subalpinorum comitissa, testimonium in Epistola ad illam scripta, his verbis: « De Ecclesiis autem, quæ tibi adjacent, admonerem, ne more pravorum quorumlibet divitum, eorum bona minueres; sed cum, te præsentem, plures nobiscum colloquerentur episcopi monasteriorumque rectores, nullus eorum fuit, qui, vel a te vel a tuis procuratoribus, ullam sibi molestiam conquereretur inferri, præter Augustensem dumtaxat episcopum: qui tamen, non a te sibi, de suis aliquid imminutum, sed conquestus est potius Ecclesie suæ nihil ex tua liberalitate collatum. Felix, inquam, dives hoc tempore, cui suppres conviciant, hoc solum valent crimen inferre, etc ».

36. Sed quid cum Ecclesia Romana? Sane, nedum quid ei detractum voluerunt; quod potius pretiosiora quæque, quæ habuissent, ad decorem Apostolorum principis, et per consequens Apostolicæ illius quoque Sedis, generosissime utroque ab ipsis oblata collataque reperimus ac legimus, in Vita B. Amadei ², in qua hæc habentur: « Omnia pietatis opera (Amadeus) cumulavit, tunc maxime cum peregrinus

Romam abiit religionis ergo: eleemosynis enim larga manu per iter et loca sacra effusus non contentus, S. Petri Basilicam donavit rarissimis ac pretiosissimis gemmis, quas in suis thesauris potuerat reperire ». Locum ubi caput religionis quiescebat pretiosissimis oblati muneribus, præ aliis cunctis, venerandum censuit: regieque dignitati ac decori subtractum voluit, quod superadderetur sacerdotali supremæ.

37. Quæ vero de nominationibus ac presentationibus se ex historia didicisse professus est Pius, forte ab iis acceperat, quæ de sancto rege Galliarum Ludovico narratur, et ejusmodi sunt, prout a pluribus accepta apud Bzovium ¹ referuntur: « Beneficia Ecclesiastica conferre noluit; sed jus illud collatoribus ordinariis, juxta antiquos Ecclesie canones, restituit: cumque se nollet collationibus sacerdotiorum immiscere, illud solenne dixit: *Sufficit mihi coram Deo de temporalibus mihi creditis, non etiam spiritualibus rationem reddere*. Cum autem ei instituendi pastores ab Alexandro Pontifice potestas facta fuisset, ad idque Diploma orator Roma rediens attulisset: *Quod mea (inquit) Romæ negotia strenue obieris, laudo: quod mihi a Pontifice munus hoc retuleris, non probo. Intelligo enim, quanto cum periculo meæ animæ et regni id susciperem*. Ac protinus Diploma in ignem projecit ».

Tuta conscientia, ut dicitur, certum est quod rex sanctus jus nominandi ac præsentandi ad archiepiscopatus, episcopatus, ceteraque ditionis suæ beneficia se acceptare posse credit, eo quod facultatem hanc a Pontifice Summo, ad quem unum pertinebat, legitime et absque malis artibus sibi elargitam, compertum haberit: nihilominus respiciendam censuit, eo quod ex ea, in summum, animam simul propriam, et regnum suum etiam adductum discrimen, cognosceret. Majus animæ suæ periculum, ex concessa sibi hac facultate, S. Ludovicum intellexisse, licet magnum videri debeat, si præcipue cum effreni ea laicorum nonnullorum, in præcordiis spiritualia minime ponentium, ac brutorum more, non nisi temporalia spectantium, conferatur ambitione, qua non modo oblata in res Ecclesiasticas jura spuere nesciunt, sed dolo etiam ac vi insolentissime eripiunt; periculum (inquam) animæ in his intellexisse S. regem, ac cum illo paucos eos quoque, quos non latet, quod cui plus datum est plus requiretur ab eo; merito admirationem tamen ingerere nequit. Quod plus igitur mirandum cognoscitur, illud est, una cum sancto rege, sanctum Pontificem Pium, in eodem sensu, eademque sententia perfectum, non conscientis regum ac principum tantum, sed regnis quoque ac ditionibus eorum, facultatum præ-

¹ Opuscul. 18. Cap. 3. pag. 182. — ² Act. SS. Martii Tom. 3. die 30. pag. 880. n. 12.

¹ Bzov. Annal. Tom. 13. ann. 1260. n. 11.

dictarum concessionem, summe noxiam fore et exitialem. Quis enim ex hodiernis statutis non censebit, regnis ditioribusque maxime profuturum, temporalia simul ac spiritalia ab uno tantum moderari; officiaque ac ministeria distribui, quod certe ad Rempublicam optime administrandam pertineat, ab uno tantum gubernari ac regi? « Ut », dicebat S. Athanasius ¹, « multitudo deorum, nullius est deorum; ita quoque necesse est, multitudinem principum id efficere, ut nullus esse princeps videatur. Ubi autem princeps non est, ibi prorsus disturbatio nascitur ».

38. Nihilominus, non sanctissimis modo viris, Pio et Ludovico, ut vidimus; sed quod magis splendendum est, universe omnibus, et insuper illis ipsis, quibus dominationis philacterias magis ac magis dilatare placuit, hujusmodi nominandi et presentandi facultas summe regionibus regnisque infausta visa est; ut rite observavit adnotatumque reliquit laicus scriptor, Rannuccias Picius ², postquam ea, quæ de S. rege Ludovico narravimus, retulit, his verbis: « Qua in re (inquit) considerandum periculum, quod hujusmodi privilegium (nominandi et presentandi) non modo animæ suæ afferre poterat, cum cognovisset; sed insuper perniciem et exitium, quod ex eo regno suo venire poterat, deprehendisset. Pari modo narratur, quod Franciscus Primus, qui unus extitit ex illustrioribus regibus, quos, post S. Ludovicum Gallia obtinuerit, haud minori perspicacia damna intellexisse, quæ a simili privilegio, a Leone X sibi concessio, inferenda essent. Etsi enim, juxta humanæ prudentiæ regulas sese gerens, vel status (ut vocant) rationem, S. Ludovici exemplo, eam animi virtutem non habuit, ut facultatem ipsam respuerit; tamen, cum cancellario concessionis Breve tradidit, non modo lubens, sed fere mœrens, his verbis animum suum explicavit: *Accipe Bullam, quæ me et posteros meos in ruinam et præceps aget*. Quod vaticinium, an impletum fuerit, meum decernere non est: certum est autem deinde conturbationes maximas motusque in Galliis accidisse ».

Fortè, inter alias clades, a concessionibus his illatas, quas generatim commemoravit, Gallicanas has quoque innuere voluit Pius, cum, videlicet, et historia et experientia etiam docente, hujusmodi privilegia exitiosa esse dixit: plura enim, quæ in Galliis ea de causa acciderunt, mala, ex historia accipere potuit, alia suis ipsemet oculis perspecta habere, et quodammodo perpeti coactus fuit; cum nimirum, ad sacerdotia et episcopatus a regibus evectos hæreticos, et errorum sectatores, profanosque improbosque homines promotos; et omnia tandem

scelera criminaque, in Galliarum regnum hac via invecata sunt, ut ingenue scriptores cuncti fateantur: quos inter, unum referre valeat Genebrardum in Chronico sic scribentem ³: « Concordata, quæ vocantur, cum rege Francisco Leo X agitans, de nominatione episcoporum et abbatum, specioso prætextu, ut rex propter electionum abusus, doctorem quidem, vel fidentiatum Theologiæ Jurisve Canonici, e celebri Academia, ad episcopatum: religiosum ejusdem Ordinis, doctorem similiter, vel certe baccalaureum earumdem facultatum, ad abbatiam nominare teneretur: revera autem ageretur mysterium illud iniquitatis, quo perditam Ecclesiam Gallianam cernimus. Hinc enim ejus perniciēs: in ea omnis generis hæreseon, simoniarum, fiduciarum seminarium, scientiæ, virtutis, pietatis exterminatio, regni pestis ».

39. Cæterum, quoad Philibertum, de quo sermonem instituimus, attinet, prædecessorum suorum, inclytæ memoriæ principum, piissimis vestigiis instituisse; Pique sapientissimis monitis acquiescisse, ea suadent, quod non modo, pro facultatum ampliacione urgere Pontificem destiterit; sed insuper præteritorum privilegiorum, a superioribus Pontificibus concessorum confirmationem, ultra non exquisierit; ac tandem, ut diximus, a vexandis Astensis Ecclesiæ rebus se continerit.

40. *Sacram Pœnitentiariam Pontifex denovo reformat.* — Pius autem, qui sarta tecta Ecclesiæ jura facultatesque tanto studio curavit, ad tergendam quamlibet avaritiæ in Ecclesia vel sordis speciem, præter ea, quæ supra recensuimus, certum est, quod hoc anno, Apostolicam Pœnitentiariam, ejusque officiales, jam pridem a Pio IV reformatam, rursus reformare contendit ⁴, ejusque rei causa, omnem illi auctoritatem ordinariam et delegatam, omniaque privilegia, facultates et iudicia in primis revocavit; ut habita de ministrorum qualitate, numero, functionibus et officiis explicata ratione, novam futuris formam præscribere valeret ⁵, qua ipsam Pœnitentiariæ officium, ac certis quibusdam facultatibus, quæ aliis officiis magis convenire videbantur exoneratum atque expeditum voluit; ut deinde ad ea, quæ ad animarum tantummodo salutem spectarent, attentiore studio sese converteret ac prosequeretur.

41. Amotis hinc officialibus pluribus, in eorum locum alios suffecit. Officiorum autem in Pœnitentiaria constitutorum, venditionem, aut quamvis aliam voluntatem tacitam vel expressam, ea dimittentium dispositionem, expresse prohibuit; sed illa omnia peritis ac probis, gratis omnino, et sine aliqua dimittentium aut aliorum quorumcumque acceptione, concedi

¹ S. Athanas. in Orat. advers. Idola. — ² Rannuc. Pic. Glor. S. Ludovic. Gall. regis pag. 45. cap. 20.

³ Genebrard. in Chronico. sub anno 1516. — ⁴ Const. 53. Pii V. in sublimi. — ⁵ Extat in Bull. const. 65 Pii V.

volut; quod si secus factum fuisset, quascumque concessionem de illis pro tempore factas, nullius esse roboris vel momenti declaravit.

42. Statuit præterea, ut deinceps in perpetuum major Pœnitentiarii officium suum per seipsum exerceat; ideoque presbyterum, ac in Theologia magistrum, seu decretorum doctorem esse iussit. Quod si ex legitima causa, a Romano Pontifice admissa, absens seu impeditus fuisset; unum alium, ex S. E. R. cardinalibus, prædictis qualitatibus insignitum, sibi propœnitentiarium subrogare posse indulgit; qui interim hoc munus, etiam per seipsum prosequeatur, litterasque non Pœnitentiarii delegantis, sed suo proprio nomine expediri iuberet.

Multis deinde aliis, quoad cæteros Pœnitentiariæ officiales, statutis, addit:

43. « Omnes vero supradicti officia sua per se ipsos cum diligenter, tum etiam fideliter exerceant, solique præsentem et actu exercentes, nisi legitime impediti, fructus et emolumenta percipiant, quorum singulis certum statumque aliunde stipendium cuique conveniens assignare intendimus, quo solo contenti esse debeant, nihilque aliunde, etiam sponte oblatum a partibus aut alias, sive pro expeditionis celeritate, sive pro alio extraordinario labore, tam procurando, quam scribendo, aut recognoscendo, et examinando capere possint: quicumque secus fecerint, officio suo huiusmodi privati, excommunicationis quoque sententia innodati eo ipso censeantur; cujus absolutiois beneficium, ab alio quam Romano Pontifice, excepto mortis articulo, nequeant obtinere ».

44. Et post nonnulla de regentis Pœnitentiariæ munere; de materiis sive conficiendis, sive scribendis, inter procuratores et scriptores sigillatoris cura æqualiter dividendis, aliisque ad idem officium pertinentibus, subiungit: « Illud autem sancte et inviolate apud officium prædictum volumus observari, ut nihil prorsus pro litterarum confectione et expeditione, nec alias etiam pro cartha, atramento, cera, capsula, cordulis, aliisque rebus ad ipsam expeditionem pertinentibus exsolvat; rationem aliunde habituri, unde hæc omnia simulque ministrorum omnium stipendia debeant comparari, etc. ». Deum aliis deinde additis, sic Constitutionem absolvit: « Depulsa igitur omni avaritiæ fœditate, pro se quisque piam castamque mentem, ad impositum sibi munus, pro Dei Aeterni gloria, et Christi fidelium salute acriter intendat, et pro virili parte conetur, ut cuncta prospera, et hoc tanto officio digna succedant, Sedesque Apostolica, pro bene gestis, condigna laudis præconio in singulis Christiani orbis partibus plenius celebretur.

« Nulli ergo etc.

« Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDLXIX, decim. quint.

kal. Junii, Pontificat. nostr. ann. quarto ».

45. Quos autem audisti plures Pœnitentiariæ officiales ab ea amotos; scias eos ab ipso Pontifice ad Apostolicam cancellariam translatos, scriptoribus et procuratoribus litterarum minoris gratiæ institutos, iisdemque mensam, post milites SS. Petri et Pauli fuisse assignatam; ut patet ex altera ejusdem Pontificis Constitutione¹, decim. quart. kal. Junii hujusmet anni emanata; in qua alia plura ad hanc translationem pertinentia, qui desiderat, habebit. Nec prætereundum, nostris hisce temporibus Innocentium Duodecimum rursus reformationi ejusdem Pœnitentiariæ incubuisse, anno millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, edita tertio nonas Septembris, Pontificatus anno secundo, Constitutione², in qua refert, quod licet Pius, præfatis Constitutionibus suis eam reformaverit: vivæ tamen vocis oraculo ejusdem officii facultates deinde ampliaverit ac extendit. Ac idem fecisse dicit, Apostolicis litteris anno MDCXI expeditis, pariter Gregorium XIV. Quapropter Urbanus VIII, Pii IV ac Pii V vestigiis inhærens, die decima septima Septembris, anni millesimi sexcentissimi trigésimi quarti, Pontificatus sui duodecimi, denuo easdem facultates revocaverat.

46. *Bulla qua constituuntur leges censuum licite exigendorum.* — Correctoris insuper cancellariæ Apostolicæ officium, et litterarum minoris justitiæ, contradictarum nuncupatarum, Pius hoc anno reformavit. Constitutio³ edicta duodecim. kal. Novemb., eique addita ejusdem reformationis declaratione. Verum, inter alia ab eo hoc anno prudenter ac sancte sancita, illud fuisse cognoscitur, quod contrahendorum censuum certis adhibitis conditionibus formam præscripsit. qua innumeras pæne insaturabilis avaritiæ artes exclusit, ac nefaria usuræ molimina dejecit. Digna est, quæ hic inseratur edita super hoc ab eo Constitutio, utpote quod de illa non semel agendum sit. Fuit igitur, ut sequitur⁴:

« Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

« Cum onus Apostolicæ servitutis obeantes, cognoverimus innumeros celebratos fuisse et in dies celebrari censuum contractus, qui nedum non continentur intra limites, a nostris antecessoribus eisdem contractibus statutos; verum etiam, quod deterius est, contrariis omnino pactionibus, præter ardentem avaritiæ stimulum, legum etiam divinarum manifestum contemptum præ se ferat: non potuimus, animarum, prout tenemur, salutem consulentes, ac piarum mentium petitionibus etiam satisfacientes, tam gravi modo, lethiferoque veneno, salutari antidoto non mederi.

¹ Exstat in Bull. — ² Ibid. ut supra. — ³ Exstat in Bull. Const. 96. — ⁴ Exstat in Bullario Const. 79.

« §. 1. Hac agitur nostra Constitutione statutum, censum, seu annum redditum creari, constituive nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sui natura fructifera, et quæ nominatim certis finibus designata sit.

« §. 2. Rursum, nisi vere in pecunia numerata, presentibus testibus, ac notario, et in actu celebrationis instrumenti, non autem prius, recepto integro justoque pretio.

« §. 3. Solutiones, quas vulgo anticipatas appellant, fieri ac in pactum deduci prohibemus.

« §. 4. Conventiones directe aut indirecte obligantes ad casus fortuitos, eum qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus.

« §. 5. Quemadmodum nec pactum auferens, aut restringens facultatem alienandi rem censui suppositam, quia volumus rem ipsam semper, et libere, et sine solutione landemii, seu quinquagesimæ, aut alterius quantitatis, vel rei, tam inter vivos quam in ultima voluntate alienari.

« §. 6. Ubi autem vendenda sit, volumus, dominum census aliis omnibus præferri, eique denuntiari conditiones, quibus vendenda sit, et per mensem expectari.

« §. 7. Pacta continentia, morosum census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seu certas expensas, aut certa salaria, aut ad salaria, seu expensas, medio juramento creditoris liquidandas; aut rem censui subjectam, sive aliquam ejus partem amittere, aut aliud jus, ex eodem contractu, sive aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto irrita sint et nulla,

« §. 8. Imo et censum augeri, et novum creari super eadem, vel alia re in favorem ejusdem, aut personæ per eum suppositæ, pro censibus temporis, vel præteriti, vel futuri, omnino prohibemus.

« §. 9. Sicuti etiam annullamus pacta, continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem alias de jure et ex natura contractus non spectarent.

« §. 10. Postremo census omnes in futurum creandos, non solum re in totum vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extingui; non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabili, imo centum et plurium annorum præscriptione; non obstantibus aliquibus pactis, directe aut indirecte talem facultatem auferentibus, quibuscumque verbis aut clausulis concepta sint.

« §. 11. Cum vero traditione pretii redditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denuntiari ei, cui pretium dandum erit: et post denuntiam, intra annum tamen, etiam ab

invito pretium repeti posse; et ubi pretium, nec volens intra bimestre solvat, nec ab invito intra annum exigatur, volumus nihilominus quancumque redditum extingui posse, prævia tamen semper denuntia, de qua supra, et non obstantibus his, de quibus supra; idque observari mandamus, etiam quod pluries ac pluries denuntiatum fuisset, nec unquam effectus secutus fuisset.

« §. 12. Pacta etiam, continentia pretium census extra casum prædictum, ab initio, aut ob pœnam, aut ob aliam causam repeti posse, omnino prohibemus.

« §. 13. Contractusque sub alia forma post-hac celebrandos, fœneratitios judicamus. Et ita illis propterea non obstantibus, quicquid, vel expresse, vel tacite contra hæc nostra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, a fisco volumus posse vendicari.

« §. 14. Hanc autem salutiferam sanctionem, nedum in censu noviter creando, verum etiam in creato, quocumque tempore alienando, modo post publicationes Constitutionis creatus sit, perpetuo et in omnibus servari volumus.

« §. 15. Declarantes, pretium semel censui constitutum, nunquam posse, ob temporum aut contrahentium qualitatem, seu aliud accidens, nec quoad ultimo contrahentes, minui vel augeri,

« §. 16. Et licet legem ipsam ad contractus jam celebratos non extendamus; illos tamen omnes, in quos sub alia forma pervenerunt census, hortamur in Domino, ut singulos contractus censuræ honorum religiosorum subjiciant, et animarum saluti consulant.

« Non obstantibus etc.

« Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo nono, quartodecimo kalend. Februarii, Pontificatus nostri anno quarto ».

47. Plures autem, ex hac Constitutione exortas esse difficultates ac scrupulos ingestos, pro libitu, quibusve eam interpretantibus, nonnullisque etiam minime, aliquibus in locis, eam ferendam judicantibus; narrabitur anno sequenti, quo Octavium Spinolam, regni Siciliæ Portulanum Magistrum, hac de causa, Romam ad Pontificem missum videbimus.

48. *Basilicam Lateranensem super omnes orbis Ecclesias extollit Pontifex et laquearibus inauratis exornat.* — Ad presentem vero spectat, quod Pius Constitutionem Gregorii XI, ac sententiam in Romana Rota latam, ad favorem Lateranensis Basilicæ de Urbe confirmaverit, ejusque præminentiam, superioritatem et prærogativam, supra omnes Urbis ac orbis Ecclesias, et ipsam quoque Vaticanam S. Petri Basilicam, sequenti Diplomate declaraverit ac statuerit. Cur autem illud hoc tempore ediderit, ex ipsiusmet verbis accipies. Sic enim se habet:

« Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam ¹.

« Infirma aevi conditio saepe affectit, ut res vel maxime perspicuae, et immemorabiles, perplexi erroris caligine sensim obductae, in gravia deliramina prolabantur.

« §. 1. Quo in genere effecta sacrosancta Ecclesia nostra Lateranensis, post tot insignes ruinas, quae ei tenebrosis illis saeculis acciderant, quibus plerique omnes Romani Pontifices, aut religionis studio, aut componendae pacis gratia, aut bellorum periculo, longe ab Urbe, (saepe enim in Galliis agebant), de summa quoque juris sui et honoris praerogativa perperam laboravit. Etenim longo post intervallo, quam fel. rec. Leo papa IV, parva de Saracenis spectabili victoria, Urbem sui nominis praesidiumque ad Vaticanum statuerat, cum reduces deinceps Pontifices, in aliis atque aliis Urbis Ecclesiis, uti cuique tutum aut commodum erat, considerent; praedicta Ecclesia ea tam multis direptionibus, quasi solitudine facta, sacerdotes Basilicae Principis Apostolorum, cum parilis vetustatis gloria, tum nomine et dignitate illustres et insignes ab ea rerum commutatione, praedictum sibi jus nixi sunt vindicare.

« §. 2. Quam rem non ferens Gregorius papa VI, qui etiam tunc Avensione sedebat, ut omnem dubitationem eximeret, declaravit et definiit: praedictam Ecclesiam Lateranensem, praecipuam sedem suam, dictae Basilicae, ac caeterarum omnium Urbis et orbis Ecclesiarum, maximum supra illas omnes locum obtinere.

« §. 3. Sed dicti sacerdotes, translato inde prorsum Pontificum domicilio, elatiores, quandoquaque res tulit, audentius instilerunt, donec Pius papa IV antecessor nosler, merito commotus, quod in cleri conventu et supplicationibus plures turbae intercederent, molestaeque dissensiones fierent, huic tandem controversiae finem constituere volens, causam universam dilecto filio magistro Francisco Sarmiento, causarum Palatii Apostolici auditori commisit audiendam, et omni appellatione praecisa, penitus terminandam. Qui, vocalis utrimque capitulis, in ipsa causa rite procedens, definitiva sententia, ex communi aliorum dicti Palatii auditorum consilio nuper prolata, declaravit; jus praecedendi, et praerogativam honoris locique nobilioris ac supremi, etiam supra canonicos, beneficiatos, clerum, et personas praedictae Basilicae, in Processionibus solemnibus, et decretis, caeterisque omnibus actis publicis et privatis; ad canonicos, beneficiatos et clerum dictae Ecclesiae Lateranensis, omnino pertinere. Quin etiam perpetuo sitentio his rebus imposito, res iudicata ita executioni mandata est, ut habitis postea cleri conventibus, ac supplicationibus, sacerdotes omnes

praedictae Ecclesiae Lateranensis, supremum ibi locum, etiam supra omnem clerum dictae Basilicae, reipsa obtinuerint.

« §. 4. Quo circa nos tuendi juris studio, hanc sententiam atque declarationem et definitionem, et litteras praedicti Gregorii papae, et quaecumque in litteris ipsis continentur, motu proprio, certa, quam habemus, praedictorum omnium scientia, auctoritate Apostolica approbamus et confirmamus; deque Apostolicae potestatis plenitudine supplementum omnes et quoscumque juris et facti defectus, si qui in processu et actibus reperiantur inesse, et uti ipse Gregorius papa optimo jure fecit, itidem definimus, jubemusque, capitulum, et sacerdotes, personasque omnes dictae Basilicae, ubique semper sententiae et definitioni parere.

« §. 5. Statuentes, ut nulla omnino ipsorum delegatio, et testificatio, vel reclamatio, sive in iudicium producta, sive clam interjecta, praeterita et futura, noceat, nec prorsus vim habeat, materiamve denno tribuat litigandi.

« §. 6. Praecipimus igitur atque interdici-mus eisdem, ne posthac quidquam audeant suscitare; quicumque, sive universi, sive singuli contrafaciant, vel nitentur, eos canonicatu, praebenda, dignitate, beneficio, et officio privamus, privatosque ad futura inhabiles declaramus eo ipso.

« §. 7. Decernentes sic in his et aliis omnibus supradictis, per eosdem iudices, et quosvis alios, omni et quacumque aliter iudicandi et interpretandi facultate penitus adempta, ubique iudicari debere, ac irritum et inane quidquid secus, per quoscumque scienter pra ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

« §. 8. Volumus autem etc.

« §. 9. Nulli ergo hominum etc.

« Datum Romae, apud S. Petrum, duodecim. kal. Januarii, anno Domini M^oDLXIX, Pontificatus nostri anno quarto ».

« Ego Pius, Catholicae Ecclesiae episcopus ».

49. Quanto autem amore, ac una veneratione, praeter haec, Lateranensem Basilicam Pius fuerit prosecutus, illud profecto ostendit, quod veterum Romanorum Pontificum more (qui, ut narrat Bibliothecarius ¹) Martyrum ac Apostolorum Basilicas passim exornare consueverunt, Basilicae Lateranensis navis mediae laxioris laquearia fabrefecerit et inauraverit; ut Rasponus ² etiam refert, in Tractatu de Basilica et Patriarchio Lateranensi, et adhuc videre est.

50. *Fabricam S. Petri in Vaticano privilegii auget.* — Licet vero, quam memoravimus sententiam, in Vaticanam Basilicam tulerit, non ideo tamen minori studio ipsius decori ac utili-

¹ Anastas. Bibliot. de Vitis Pontific. in Silvestro, et aliis. — ² Lib. I. Cap. 5. pag. 32.

¹ Extat in Bullario, Const. 94.

tati animum intendit, ut testantur, hoc ipso anno, ab eo editæ Constitutiones, quarum una decrevit, ut duæ sententiæ definitivæ, pro fabrica S. Petri conformes late, in ea parte, in qua conformes fuissent, rem iudicalem efficerent; ita ut commissiones appellationum, quæ simpliciter concederentur a Signatura, semper cum clausula, sine præjudicio duarum conformium sententiarum, intelliguntur. Data autem legitur Constitutio hæc ¹, undecimo kal. Januarii hujus anni. Quo eodem die ac anno, duæ aliæ obsignatæ leguntur quarum una ² Collegio deputatorum ejusdem Basilicæ facultatem tribuit assequendi omnia pia legata infra annum, a die mortis testatorum realiter non adimpleta, cum retentione quintæ partis, ad ejusdem fabricæ subventionem; altera vero ³, eidem deputatorum collegio exequendi quæcumque legata pia, infra triennium a die obitus testatorum non impleta, cum retentione medietatis eorum, pro ipsa fabrica, potestatem fecit. Quibus deum addenda est illa ⁴, quæ kal. Januarii data legitur, quæ collegio eidem revidendi ac rescindendi quæcumque honorum Ecclesiasticorum male alienatorum distractiones; et causas hujusmodi cognoscendi, ac fructuum exinde a detentoribus indebite perceptorum applicationem eidem fabricæ faciendæ, jus tribuit. Quam quidem Constitutionem (utpote quod ex ipsa, non tantum utilitatis plurimum Vaticanæ fabricæ accederet; sed etiam Ecclesiæ totius, cuius bona passim inconsulte distracta fuerant, incolumitati consuleretur), sequentibus deinde annis ampliavit atque extendit.

51. *Canonicos S. Georgii in Alga Venetiarum ad votorum trium professionem adigit, eosdemque privilegii datat.* — Hoc etiam anno canonici S. Georgii in Alga Venetiarum (quos una cum aliis, qui in diversis Congregationibus et domibus, sub voluntaria obedientia, et extra solemne Religionis votum vivebant, habitumque nihilominus a sæcularibus presbyteris distinctum deferebant, solemnem trium votorum substantialium regularem professionem emittere ⁵, et unam sibi, ex approbatis regulis etigere Pontifex præceperat, ut supra diximus); in capitulo, in monasterio seu domo S. Salvatoris in Lauro de Urbe celebrato, Pii præcepto obtemperantes, regularem emitte professionem statuerunt. Quapropter, ex Apostolica benignitate mutam reddere gratiam eorum obedientiæ Pontifex volens, amplissimo Diplomate, ⁶ idus Decembris hujus anni expedito, non modo quascumque gratias, hactenus eidem Congregationi concessas confirmavit, sed omnium in super privilegiorum Ordinibus aliis etiam Mendicantibus, quæ hactenus concessa fuissent,

vel in posterum concedenda essent, participem reddidit: ejusdem Diplomatis executione ac publicatione, quatenus opus fuisset, episcopo Amerino, ac abbatibus S. Georgii Majoris Venetiarum, ac S. Justine Paduanæ demandata. Hanc nihilominus Congregationem, quod forte Pii expectationi non responderit, qui illam gratum Altissimo famulatum impensuram speraverat, postea a Clemente papa IX ann. m̄dxvii. suppresam fuisse, suo loco dicendum est.

52. *Congregationem Fontis-Avellanæ suppressit, et monasteria Camaldulensibus attribuit.* — Suppressit vero Pius hoc anno Congregationem Monachorum, sive Heremitarum Ordinis S. Crucis Fontis-Avellanæ, quod frustra eos ad meliorem frugem revocare, per Julium, tit. S. Petri ad Vincula presbyterum cardinalem de Ruvere (ut supra inuimus) studuisset; ac ipsius Congregationis monasteria ac loca Camaldulensi Congregationi attribuit; cuius habitum si quis ex Avellanensibus voluisset, veteri deposito, posse assumere, Apostolica benignitate concessit. Bullam, a Pio super hoc confectam, præcipua benignitate illustrissimi et reverendissimi Fabii Mancinforti, Eugubini episcopi, ex Tabulario Eugubinæ Ecclesiæ, in cuius diœcesi præfatum Monasterium S. Crucis, totius olim illius Congregationis caput extat, accepimus, ac hujusmodi est:

« Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

« Quantum animus noster gaudio perfunditur, de religionibus bene institutis, tantum innoxius hæret illi dolor de prævaricatione nonnullarum, quæ summo studio et labore ad præsidium fidei Catholicæ ¹ seductæ, mala Dæmonis arte, postea defecerunt: quo in numero monachos monasterii et Congregationis S. Crucis, Fontis-Avellanæ, Ordinis S. Benedicti, Eugubinæ diœcesis, jam pridem conspicamur; non sine mœrore expendentes, quanto in periculo li versentur, quamque longissime aberrant a monastica illa disciplina, in qua in eremo, a Ven. mem. Petro Damiano, tanta olim pietate instituta, fel. recor. Joannis Papa XXII, ad fundendum uberiores fruges, de fratrum suorum consilio, et Apostolica potestatis plenitudine, commutavit. Ut vero illos vagos et dissolutos in viam quoque pacto reduceremus, primum eorum animos per dilectum filium nostrum Julium tit. S. Petri ad Vincula presbyterum cardinalem Urbini, prædicti monasterii commendatarium, qui illorum correctionem vehementer expetebat, explorandos curavimus. Num tandem respicientes, ex mundi involucris, in ovile pro instituto convenire, et quam decet vita in claustris agere; et propter inordinatos ipsorum ritus, proborum religio-

¹ Extat in Bull. Const. 95. — ² Ibid. Const. 96. — ³ Ibid. Const. 9. — ⁴ Ibid. Const. 98. — ⁵ Ut supra Const. 76. — ⁶ Extat in Bull. Const. 92.

¹ Fœdurate, vel quid simile.

rum moderationi subesse proponerent. Sed, ad excusandas excusationes in peccatis, quidem sese regulam, cum ea, quam nunc habere dicunt, libertate, ingressos esse; alii alia inania causantes, jugum religionis et clausuram aperte detrectarunt. Cumque impensius instarem, rursus a prædicto cardinali adstricti, capitulum generale apud dictum monasterium indixerunt, ex cujus recessu, cum omnia bona sperabamus, tum priores illorum ad nos missi, eos futuræ reformationis prorsus obtemperaturos esse coram annuebant; interim vero alia atque alia clam pertractantes, diem ex die ducere conabantur, ut forte inter nullas sollicitudines, hoc negotium oblivioni daremus. Sed postquam optata perficere decrevimus, ac proinde, quid ferrent in mandatis procuratores prædicti cognoscere contendimus; ipsi ita demum se voluntati nostræ adstipulatos renuntiaverunt, si earum rerum, quas suas prætendant, usum atque dominium retinerent, et in reliquum tempus vite libertate antea clauderentur. Hinc dijudicari licet, quam periculosum sit hoc nostrum institutum longius remorari. Postquam igitur illos tamdiu expectatos alieno animo esse, neque in communem salutem, uti æquum fuit, per se consulere intelligimus, non procrastinandi ulterius arbitramur; quin, quod hac in re ad officium nostrum pertinet, atque in animo institutum, sedulo persequatur. Itaque de similis potestatis plenitudine revocamus et abolemus omnes et quascumque, tam Apostolicas quam ordinarias collationes, provisiones, commendas perpetuas et temporales, ac alias dispositiones de prioratibus, dignitatibus, administrationibus et officiis, etiam conventualibus et claustralibus, monasterii et congregationis prædictorum, et ab illis dependentem; necnon omnibus et singulis aliis beneficiis, cum cura et sine cura, sæcularibus, ac quorumvis Ordinis regularibus etiam de jure patronatus laicorum, sive etiam nobilium existentem, ac etiam reservationes fructuum et aliarum rerum Ecclesiasticarum, necnon assignationes pensionum super similibus fructibus, et rebus prædictis monachis, sive in perpetuum, sive ad certum et qualecumque tempus, vel etiam ad nutum factas; necnon omnes regressus, accessus et ingressus, ac regrediendi, accedendi et ingrediendi facultates et indulta: Coadjutorum quoque deputaciones ad illos, illas, vel illa, et quacumque causa, quantavis onerosa et considerabili, eisdem, per quoscumque Romanos Pontifices, prædecessores nostros, ad nos, et Sedem Apostolicam, ejusdem legatos; necnon superiores, etiam motu proprio, et ex certa scientia, deque simili potestatis plenitudine, ac alias quomodocumque concessa, restituta et confirmata, ac beneficiorum ipsorum fundationes, inter alia disponentes, quod nullus, nisi

Ordinem prædictum expresse professus, ad dicta beneficia, etiam de jure patronatus existentia, assumi possit; quorum omnium tenores, æque atque ad verbum insererentur, presentibus haberi volumus pro expressis. Cassamus quoque et annullamus Apostolicas et quascumque alias litteras desuper confectas, necnon processus inde habitos, et quæcumque secuta sunt etiam ex eisdem; quin etiam omnes et singulos monachos prædictos, etiam longissimo et quantumcumque tempore possessores, eisdem omnibus presentium auctoritate privamus, privatosque esse; ac prioratus, dignitates, administrationes, officia et beneficia prædicta vacare decernimus et declaramus; ipsosque ab illorum possessione etiam auctoritate privamus, et singularum dispositionem, nobis et dictæ Sedi specialiter et expresse reservamus. Insuper causis prædictis adducti, et præterea cogitantes, monachos, numero adeo exiguo, atque omnino ipsam Congregationem, angustis adeo finibus circumscriptam, ut illa per se, etiam reformata et correpta, paucos admodum fructus producere possit: proinde conducibilius fore existimamus, si alteri, meliori disciplina institute, commodis rationibus adscribatur. Quare, de simili potestatis plenitudine, extinguimus et abolemus in prædicto monasterio, et illius dignitate abbatiali, ac etiam in omnibus prioratibus, membris et locis dictæ Congregationis, et ab ea communiter possessis, pariterque in omnibus beneficiis, cum cura regularibus, ad dispositionem abbatis ipsius monasterii pertinentibus, Ordinem, statum, nomen, et essentiam regularem S. Benedicti, et Congregationis Fontis-Avellanæ. Ipsum vero conventum cum Ecclesia et claustro, ad conventum necessario, ac prioratibus, membris et locis, necnon proprietatibus, jurisdictionibus et juribus omnibus ab ipsa Congregatione extincta communiter possessis; prædicta dignitate abbatiali, illiusque mensa, necnon cappella subtus altare majus dictæ Ecclesiæ, ac parte ædium dicti monasterii, quæ ab intimo septo conventus dividi, et ad usum abbatis accommodari poterunt, ac etiam omnibus bonis, beneficiis, juribus, et jurisdictionibus ejusdem dignitatis penitus separatis, et exceptis, etc., Ordini et Congregationi monachorum Camaldulensium perpetuo unimus, annectimus et incorporamus: ita ut posthac, una et eadem utrorumque Congregatio, et sodalitas monachorum Camaldulensium fiat monasterium Fontis-Avellanæ, necnon prioratus, membra et loca. Itaque monachi omnes extinctæ Congregationis, ac regulam, habitus, ritus et mores monachorum Camaldulensium omnino reformare, illique horum institutis prorsus conformari debeant: mandantes, in virtute S. obedientiæ priori generali Congregationis Camaldulensis, ut, salvis cappella, ac ædium parte, a dicto Julio car-

dinale statuenda, omnibusque proprietatibus, bonis, rebus, iuribus et jurisdictionibus spiritualibus et temporalibus dictæ dignitatis abbatialis, et illius abbatis, ut prædictum est, separatis; corporalem possessionem conventus, monasterii, prioratus, membrorum, locorum, proprietatum, et iurium omnium communiter possessorum, per se, vel alium, seu alios, omni mora et dilatione præcisa, libere capiat et apprehendat, captamque et apprehensam, sine spoliis et attentatorum vitio perpetuo retineat. Monasterium, et loca ad conventum idonea, de monachis suæ Congregationis, juxta illius morem, instituat; alios vero supradictæ Congregationis extinctæ, Ordinem ipsum Camaldulensem ingredi volentes, per alios conventus suos, una cum aliis monachis Camaldulensibus distribuât. Contradictores quoslibet et rebelles, per censuras et pœnas Ecclesiasticas, cæteraque omnia juris et facti remedia opportuna, omni et quacumque appellatione remota, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Ut vero justus monachorum et ministrorum numerus apud dictum monasterium commodius haberi possit, qui quidem nunquam paucior tringinta monachorum sit, partem proprietatum, possessionum propinquantum, et commodiorum mensæ abbatialis prædictæ, ejusque ad valorem annum mille scutorum monetæ, videlicet Juliis decem pro quolibet scuto computatis, ab ipsa mensa, de consensu dicti Julii cardinalis dividimus et separamus, eamque mense conventuali ipsius monasterii, pro victu monachorum, fabrica, et aliis oneribus perpetuo applicamus et appropriamus. Ad hoc, eisdem monachis et personis, etiam in prædictis membris et locis constituendis, ut omnibus et singulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, gratiis et indultis, etiam ratione possessionum et bonorum, Ordini et Congregationi Camaldulensi quomodolibet concessis et concedendis, pariformiter et æque principaliter uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, perpetuo concedimus. Cæterum, ne præsentium effectus extinctæ Congregationi monachorum pertinacia protrahatur, volumus, ut infra mensem, a publicatione præsentium in dicto conventu facienda numerandi, illi omnes, vel Congregationem monachorum Camaldulensium ingrediantur, vel ad aliquam ex aliis religionibus approbatis transeant, et ibi Ordinem, juxta cujusque regulæ instituta omnino profiteantur; sin minus, lapsa mense, in eos, tanquam desertores, ut cæteris etiam exemplo sint, animadvertendum curabimus, prout rei gravitas videbitur postulare. Nos enim omnes, sic ingressos, vel translatos, et professos, ac voluntati nostræ obsecutos, antea vitæ pœnitentes, a reatu apostasiæ, et criminibus omnibus, necnon excommunicationis, suspensionis

et interdicti, aliisque sententiis, censuris et pœnis Ecclesiasticis, quas ipsi extra claustra suorum locorum, et in sæculum vagando, juxta canonicas sanctiones et Ordinis S. Benedicti instituta incurrerunt; etiam habitu sæculari, regulari sæpius dimisso, vel mutato, aut aperto, aut sæculari assumpto, in utroque foro absolvimus; cum eo tamen, quod quisque pœnitentiæ, quam confessor idoneus a se eligendus, pro commissis injunget, adimplere omnino teneantur; ac cum eis, super irregularitate, quam contraxerunt, propterea, ac quia censuris et pœnis hujusmodi sint ligati, missam, et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebrarunt, et alias sese immiscuerunt sæpius in divinis. Utque in susceptis Ordinibus, etiam in altaris ministerio, ministrare, et ad dignitates, officia et administrationes promoveri, illaque recipere, et exercere libere et licite valeant, dispensamus; abolentes omnem inhabilitatis et infamiæ maculam sive notam, contra ipsos quomodocumque insurgentem ex prædictis. Jubemus igitur monachis, et personis monasterii, et extinctæ Congregationis in universum et singulatim, prædictis omnibus, non expectata alia jussione, mentis nostræ declaratione, parere; neminemque prorsus, etiam ex iis, quorum collationes, provisiones et commendæ beneficiorum, et aliæ gratiæ hic revocatae sunt, quocumque tempore, quavis causa, restitutionem in integrum, reductionem ad terminos juris, aut quodvis aliud gratiæ vel justitiæ remedium impetrare, vel etiam ab alio, vel aliis impetrato, aut etiam motu simili concessæ, uti posse. Postremo dignitatem prædictam abbatialem, ut supra separatam et exemptam; necnon Ecclesiam, cappellas et beneficia omnia regularia, ad liberam dispositionem abbatis dicti monasterii pertinentia, ad statum sæcularum perpetuo reducimus; ita ut deinceps abbas dicti monasterii nihil omnino cum monachis, conventu, Ordine et Congregatione commune habeat. Neque rursus ipsi in eum, dictamve abbatiam, ejusque mensam, proprietates, bona, beneficia, jurisdictiones, et jura quidquid prætere possint. Ac eidem abbatiae, cappellam pro Ecclesia, et partem ædium prædictarum pro habitatione, perpetuo assignamus: statuimusque ut ipsa dignitas abbatiae nuncupanda, quotiescumque vacabit, clerico sæculari, tanquam beneficium sæculare, curam animarum non habens, et cum quibuscumque aliis etiam curatis compatibile, a Congregatione prædicta prorsus alienum, per Romanum Pontificem dumtaxat conferri et assignari debeat, eidemque Sedi prædictæ, ut olim monasterium erat, prorsus subjectum remaneat. Et beneficia omnia, cum cura et sine cura ad sæcularitatem redacta, et ad dispositionem dicti abbatis pertinentia, etiam de jurepatronatus, ut præfertur,

existentia, deinceps clericis sæcularibus dumtaxat assignari; et in eis, qui de jurepatronatus sunt, personæ sæculares, ad præsentationem patronorum dictorum institui per ipsum abbatem debeant. Decernentes supradicta omnia et singula perpetuo inviolata atque immutabilia fore, neque per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam S. R. E. cardinales, sublata cuique aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique judicari debere: necnon irritum et inane quidquid secus super prædictis omnibus et singulis, per quoscumque judices etc. debere, ac insuper etc. scienter, vel ignoranter contingerit attentari. Non obstantibus nostris, de non tollendo jure quæsito et de unionibus committendis ad partes vocatis, quorum interest, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac monasterii, Ordinum et congregationum prædictarum, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ac prædictis foundationibus, privilegiis quoque, exemptionibus, et indultis Apostolicis, illis, illorumque superioribus et personis, per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, et dictam Sedem, etiam per modum statuti perpetui, ac initi et stipulati contractus, et alias sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, in genere vel in specie concessis, confirmatis et innovatis; et quibuscumque aliis indulgentiis, et litteris Apostolicis, quibuscumque tenoris existant, per quæ præsentibus non expressa, aut omnino non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri; et de quibus quorumcumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Quæ omnia et singula præsentibus pro sufficienter expressis haberi, contra ipsarum præsentium tenorem volumus, cuique in aliquo suffragari, cæterisque contrariis quibuscumque. Denique volumus, ut publicatione prædicta, uti dictum est, facta, litteræ prædictæ unumquemque perinde arceant, ac si singulatim intimatæ fuissent. Earum quoque exempla etiam impressa, notarii publici manu, et prælati Ecclesiastici, ejusve curiæ sigillo ob-signata, eandem illam prorsus fidem ubique locorum in judicio, vel extra illud faciant, quam ipsæmet præsentibus facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ revocationis, cassationis, annullationis, privationis, declarationis, amotionis, reservationis, existimationis, extinctionis, unionis, annexionis, incorporationis, conjunctionis, mandati, divisionis, separationis, applicationis, appropriationis, concessionis, et absolutionis, dispensationis, abolitionis, jussionis, reductionis, assignationis, statuti, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsum-

perit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ, apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDCXIX, quarto id. Decembris, Pontificatus nostri anno IV ».

Alia plura Diplomata, ad eandem Avellanensem suppressam a Pio Congregationem pertinentia, quia a præfato episcopo Eugubino accepimus, ne ejusdem Congregationis, quæ olim miro virtutum ac sanctitatis splendore Ecclesiam Dei illustravit, memoria prorsus interiret, in hujus Tomi calce danda censuimus.

53. *Binæ in singulis provinciis domus Recollectis Ordinis S. Francisci assignantur.* — Interim Pius, ut impensiore studio eos foveret, qui devotum, præ cæteris, Deo famulatum exhibere in religione optarent; hoc ipso tempore, in singulis provinciis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, duas saltem domos assignari jussit, in quibus ii, qui arctiorem, præ aliis vite institutum colere vellent, sese recipere possent, in illisque tuto ac tranquille manere valerent. Præfata vero monasteria, recollecta nuncupata, nullatenus ab ejusmodi recollectione, ac arcto vivendi modo separari posse jussit. Et fratres in illis degentes, etiam, si vellent (nisi de ministri generalis ipsius Ordinis, vel provincialis, et discretorum præfatorum conventuum pro tempore existentium consilio) ad alia loca non recollecta transferri posse prohibuit, nisi iisdem superioribus visum fuisset aliter expedire. Data autem super hoc Constitutio ¹ die nona Martii hujus anni legitur, ejusque initium est: « Injunctum nobis etc. ».

54. Enim vero, sicut jam prohibuerat ab Ordine Fratrum Minorum Cappuccinorum, aliquem ad Ordinem S. Francisci de Paula transire posse, nec ex isto ad illum se conferre; ita hoc anno indulta omnia, præter juris communis dispositionem obtinenda, recipiendi, vel retinendi alterius Ordinis, etiam laxioris, religiosos, omnibus et singulis subducenda duxit, edita prid. id. Octobr. Constitutione ², in qua præ aliis habentur: « Quæcumque sacrarum religionum statum offendere noscuntur, nostrum nos incitat officium de medio remove. Quam enim, de cohibendis regularibus ad alium Ordinem translatis, Sancta Synodus Tridentina salubri consilio decreverit, ut nemo ejuuscumque Ordinis prælatus vel superior, vigore ejusvis facultatis, illorum quempiam, ad habitum et professionem admittere possit, nisi ut de Ordine, ad quem transfertur, sub sui superioris obedientia in claustrum perpetuo maneat; multi tamen superiores et prælati, obtentu privilegiorum, quamplurimos apostatas, et alios diversorum Ordinum, ad se ob jurgia, contentiones, levitatem, et male facta, ut maxime fugientes,

¹ Extat in Bull. — ² Extat in Bull. Const. 89.

et etiam consilio receptare non desinunt, ut horum opera, in evitandis infirmis gerendisque eorum locorum rebus et negotiis utantur; ex qua re plerique solutiores effecti, et quasi impunitatem assecuti, non personas tantum eorum Ordinum, unde animadversionis metu forte exierant, sed et ipsorum Ordinum ritum moresque maledictis insequuntur.

« Quocirca, cum ejusmodi privilegia veniant abroganda, quando eumque insigniter comperiuntur nocere, vel etiam scandala generare; nos, his aliisque rationabilibus causis adducti, et ut quibuslibet hujusmodi effugia præcludamus; de nobis attributa potestatis plenitudine revocamus et abolemus omnia et quæcumque privilegia, facultates, dispensationes et indulta, præter juris communis dispositionem emanata, recipiendi vel retinendi fratres, monachos, canonicos, et alios etiam laxiorum Ordinum professores, quibuscumque Ordinibus, monasteriis, hospitalibus, militiis etc., cassamus et annullamus; ac volumus ea omnia, vires et effectum, de cætero non habere; ita ut posthac, illorum sic revocatorum prætextu, prælatis et superiores prædicti, aut alii quicumque, nullum prorsus alterius etiam laxioris Ordinis, vel observantiæ regularem, etiam specialem trans-eundi ad ipsos licentiam (juxta hujusmodi privilegia dumtaxat) ferentem, ad habitum et professionem regularem, in suis quisque monasteriis, domibus, locis, vel Ordinibus, etiam ut in claustris perpetuo maneat, admittant, nec omnino quempiam recipiant vel retineant. Eos vero, quos in aliquo ex casibus supradictis (vigore hujusmodi privilegiorum tantum, ac præter juris communis dispositionem) jam habent translatos, ad eorum superiores, et loca ejus Ordinis, unde erant profecti, quamprimum remittant. Decernentes, admissiones, receptiones et retentiones hujusmodi, nulla firmitate subsistere, neminemque prorsus ulli voto, ulive regule, vel observantiæ, etiam juramento, aliave solemnitate promissæ, obligare; necnon irritum et inane quidquid secus, per prædictos, aut quoscumque alios, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, etc. ».

Sic ille : ex cujus verbis abunde colligitur, cur haud raro privilegia ac facultates concessas Ordinibus religiosis, aut Ecclesiis, aut aliis, Pontifices Summi subtrahere coacti fuerint; quod, nempe, præfati, iisdem privilegiis, quæ ad ædificationem imperlita essent, ad destructionem abusi fuerint; quibus idcirco rite ac juste expoliari meruerunt, ne inde deteriores fierent, unde meliores evadere debuissent.

35. *Sodalitates Rosarii privilegiis firmantur, et earundem erectio conceditur Ordini Prædicatorum.* — Privilegium e contra ac facultatem erigendi cappellas, altaria ac Sodalitates Rosarii, Magistri Generalis Ordinis S. Dominici, et

ab eo deputatorum, esse solummodo voluit; ac eidem Sodalitati amplissimas indulgentias clariguitus est, duabus datis Constitutionibus¹, quarum prima subsignata die vigesima octava Junii, altera die decima septima Septembris reperitur. Quibus quidem Diplomatis ac gratiis eam Sodalitatem se decorare voluisse dicit, ut prædecessorum vestigiis inhærens, militantis Ecclesie, divinitus sibi commissæ (iis temporibus, tot hæresibus agitata, tot bellis pravice hominum moribus atrociter vexatæ et afflictæ) lacrymabundus quidem, sed spei plenos oculos in montem illum, unde auxilium omne provenit, levaret; et singulos Christi fideles ad simile faciendum, hortaretur ac moneret.

36. *Securitati officialium S. Inquisitionis Pius consulit.* — Ut vero a montibus æternis auxilium sibi Pius præstolabatur; sic pariter sui muneris esse comperiens, montes alios protegere qui in circuitu Jerusalem essent, eamque custodirent, hoc anno gravissima contra offendentes statum, res et personas officii sanctissimæ Inquisitionis, quod contra hæreticam pravitatem, orthodoxam fidem ac Catholicam Ecclesiam tuerentur, statuit ac decrevit, ut patet ex Bulla sequenti² :

« Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuum rei memoriam.

« Si de protegendis cæteris omnibus Ecclesie ministris, quos in fidem et clientelam nostram a Domino recepimus, cura nobis quotidiana insidet; quanto majore studio eam nos sollicitudinem capessere necesse est, ut qui in sacro Inquisitionis hæreticæ pravitatis officio versantur, sub tutela inviolatæ auctoritatis hujus Sedis, periculorum omnium expertes, quæque munera ad exaltationem fidei Catholicæ exequantur.

« §. 1. Cum itaque ejus generis impiorum vis quotidie magis invalescat, qui omnibus malis artibus prædictum officium subvertere, ministrosque functionibus disturbare moliantur; eo jam nos detrusit necessitas, ut nefariam et scelestam illorum audaciam acerbioris castigationis verbere reprimamus.

« §. 2. Hac igitur generali Constitutione, de fratrum nostrorum consilio sancimus, ut quicumque, sive privatus, sive cuncta civitas, sive populus, sive dominus, comes, marchio, dux, vel potiore titulo illustris, quemvis ex inquisitoribus, advocatis, procuratoribus, notariis, aliisque ministris prædicti officii, vel episcoporum id munus in sua diocesi aut provincia obeuntium; seu accusatorem, denuntiatorem aut testem, in causa fidei quomodocumque productum, vel evocatum occiderit, verberaverit, dejecerit, seu perterrefecerit;

« §. 3. Quive Ecclesias, ædes, aliasve res,

¹ Extat in Bull. Const. 86. — ² Extat in Bull. Const. 82.

sive publicas, sive privatas, officii aut ministerium expugnaverit, invaserit, incenderit, expilaverit; aut libros, litteras, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, aliaque instrumenta sive publica sive privata, ubicumque posita, combusserit, diripuerit, seu interverterit, seu ex incendio, aut direptione, aut alio quocumque modo illa exportaverit, seu qui conflagratione, expugnatione, aut direptione, etiam inermis, seu capiendi, sive comburendi, sive supprimendi causa fuerit, sive res, aut personas servari defendere prohibuerit;

« §. 4. Quive carcerem, aut aliam custodiam, seu publicam, seu privatam effregerit, vinctum extraxerit, seu emiserit, capiendum prohibuerit, captumve eripuerit, receperit, occluserit, seu facultatem effugiendi dederit, seu jusserit id fieri: qui cœtum concursumve fecerit, sive ut aliquid prædictorum fieret, omnes accommodaverit, sive alias auxilium, consilium, aut favorem, publice, vel occulte in quolibet prædictorum, scienter præstiterit; licet nemo occisus, nemo verberatus, nemo extractus, emissus, vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, succensum, direptumve; nullum denique damnum reipsa sit secutum; nihilominus is sit anathemate præsentis canonis auctoritate ligatus; idem quoque læsæ majestatis reus, domino, dignitate, honore, fendo, ac quocumque alio beneficio temporali, et perpetuo, eo ipso privatus, sæcularis judicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas ipsas pœnas exigat, quæ damnatis primo capite dictæ legis, per Constitutiones legitimas irrogantur, bonis rebusque omnibus fisci juribus applicatis, uti etiam est de damnatis hæreticis per sanctiones canonicas constitutum; ejus filii paterna infamia subjecti, omnis et cujuscumque hæreditatis, successionis, donationis et legati, sive propinquorum sive extraneorum omnino sint expertes; eisdem præterea portæ nunquam pateant dignitatum.

« §. 5. Nemo autem expurgationem habere, aut causam illam proponere, vel prætereendere possit, qui tantum nefas in contemptum et odium hujus officii admisit, nisi contrarium per claras probationes docuerit se fecisse. Quod porro de prædictis, eorumque filiis statuimus, illud idem de omnibus clericis, et presbyteris sæcularibus, et quorumvis Ordinum etiam exemptorum regularibus, et quacumque, etiam episcopali et majori dignitate præditis, ac etiam privilegio quomocumque suffultis, decernimus exequendum; ita ut ipsi beneficiis et officiis omnibus Ecclesiasticis, præsentium auctoritate privati, per judicem Ecclesiasticum, hæreticorum more degradentur, demum potestati sæculari traditi, pœnis prædictis, laicorum more, subjiciantur.

« §. 6. Pontificum tamen causis, nobis et successoribus nostris reservatis, ut requæsita.

et nobis renuntiata, contra eos, ad depositionem, et alias pœnas prædictas procedamus, uti criminis atrocitas videbitur postulare.

« §. 7. Quicumque autem, pro talibus veniam petere, aut alias intercedere tentaverint, in easdem illas pœnas, quæ in hæreticorum fautores a sacris Constitutionibus inferuntur, ipso facto se noverint incidisse.

« §. 8. Verum, si quis etiam hujusmodi criminum conscius, vel affinis, sive religionis studio, sive pœnitentia ductus rem adhuc incoeguitam retexerit, supplicio liberetur.

« §. 9. Cæterum eam omnium et quarumcumque absolutionem rationem a prædictis criminibus, necnon habitationem a præditionum, etiam ad famam et honores, ita deinceps habendam optamus, ut successores nostri nullas, nisi saltem semestri post cujusque assumptionem ad hujus dignitatis fastigium excurso, ac precibus apud supremum officium Inquisitionis hic institutum, verificatis, concedant. Decernentes omnes et quascumque hujusmodi absolutiones, habilitationes et restitutiones, quæ precibus sic non verificatis, de cætero fient, nemini prorsus prodesse, sed nec præsentibus, nisi toto ipsarum tenore ad verbum inserto, et gratia ex certa Romani Pontificis scientia facta, et propria manu subsignata, ulla in parte derogari, nec derogatum censi debere; et si illis ex quacumque causa aliter derogari contigerit, derogationes hujusmodi nullius prorsus fore roboris et momenti.

« §. 10. Jubemus igitur, universos et singulos patriarchas, primates, archiepiscopos, episcopos, et cæteros Ecclesiarum prælatos, per universum orbem constitutos, ut per se, vel alium, seu alios, præsentem litteras, aut earum exemplo in suis quisque provinciis, civitatibus, diocæsis et locis solemniter publicare, et quantum in se est, firmiter observari procurent: contraditores quoscumque, per censuras et pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, ipsasque censuras et pœnas, etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

« §. 11. Non obstantibus Constitutionibus etc.

« §. 12. Volumus autem etc.

« §. 13. Cæterum, omnes orbis terrarum principes, quibus gladii sæcularis potestas, ad malorum vindictam est permissa, per eam, quam se tueri promiserunt, fidem, obtestamur, ita suas quisque partes, sive in præstando ministris prædictis auxilio, sive in criminum, post Ecclesiæ sententiam, animadversione, interponere, ut eorum quoque præsidii ministri ipsi tanti officii munus, pro Dei æterni gloria et religionis incremento feliciter exequantur; amplissimum a Domino præmium recepturi, quod fidei dictæ assertoribus in æternæ beatitudinis consortio præparavit.

« §. 14. Nulli ergo hominum etc.

« Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris anno Incarnationis Dominicæ MDCXIX, kalend. Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto ».

« Ego Pius Catholicæ Ecclesiæ episcopus : Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas.

« F. cardinalis Pisanus, episcopus Hostien.

« Jo. cardinalis Moronus, episcopus Portuens.

« Christophorus Madruccius, episcopus Prænestin.

« Otho cardinalis Trusches, episcopus Albanen.

« A. cardinalis Farnesius, episcopus Tusculanus.

« Baptista Cicada, episcopus Sabinensis, card. S. Clemen.

« Ego Philib. card. a Burdisera.

« Ego Antonius cardinalis Granvellanus.

« Ego Franciscus cardinalis Pæccus.

« Ego Hieronymus cardinal. de Corrigio.

« Ego Joan. Franciscus cardin. de Gambarà.

« Ego Nicolaus card. de Sermoneta.

« Ego Indic. de Avalos cardin. de Aragona.

« Ego M. Antonius card. Columna.

« Ego Ptolomeus card. Comensis.

« Ego P. cardinalis de S. Cruce.

« Ego Z. cardinalis Delphinus.

« Ego Au. card. S. Xisti.

« Ego Julius cardinal. Urbinus.

« Ego Fulvius cardinalis Perusinus.

« Ego Jo. Riccius card. Politianus.

« Ego Scipio cardin. Pisanus.

« Ego Jacobus card. Sabellus.

« Ego Aloysius card. Cornelius.

« Ego Alexander card. Cribellus.

« Ego Guido cardinal. Verecillus.

« Ego Gulielmus cardinalis Sirletus.

« Ego Fr. Michael B. card. Alexandrin. camerar.

« Ego Hieronymus cardinalis de Claravalle.

« Ego Ludovicus cardinalis Madruccius.

« Ego Innocentius card. de Monte.

« Ego Hieronymus card. Simoncellus.

« Ego Ferdinandus card. de Medicis.

« Ego Cardinalis Alciatus.

« Jo. Paulus cardinalis ab Ecclesia.

« A. cardinalis Caraffa ».

37. *Cellariam hæreticum comprehendendi jubet, et ob ejuratam hæresim vivum comburere parat.* — Causa vero, ob quam Pontifex, hoc tempore, tam severam Constitutionem edidit, ea fortasse fuit, quod Rethii præmia publice proposuissent iis, qui Fr. Petrum Angelum Casanovam, Ordinis Prædicatorum alumnum, ejusque fautores, vel encassent, vel eos vivos aut mortuos in potestatem sibi tradidissent; eo quod

hic, in ipsorum ditione Franciscum Cellariam, hæreticum concionatorem, jubente Pontifice, cœpisset, ac Romam victum transmisisset. Quapropter Casanovæ, aliorumque, quibus hujusmodi Inquisitionis munia demandata essent, incolumitati prospiciens Pius hæc Constitutionem fecisse censendus est; quæ ad hanc causam, ex eo etiam pertinuisse videtur, quod, paucis post elapsis diebus, ultimo supplicio præfatum Cellariam Pontifex ipse interimendum dederit, ut mox dicitur.

38. At de his quidem audiendus est in Vita Pii Gabutus¹, qui de Cellaria hæc habet: « Catholicæ fidei desertor quidam, nomine Franciscus Cellaria, hæreticus concionator, Morbinio, quod est oppidum Voluternæ Vallis, Mantuam, ubi magno cum illius civitatis periculo, perfidiæ suæ virus effundebat, stalis diebus clanculo proficisci consueverat. Ad hunc Pius Petrum Angelum Casanovam, Dominicanum cœnobitam, in Voluternam Clavennamque Gallie Cisalpinæ valles emisit, rationemque præscripsit, qua ille ad capiendum hæreticum uteretur. Quod quidem ei percommode cecidit; nam illum, ex quodam hæreticorum conventu, Curie celebrato, Morbinium versus redeuntem, atque per os Abduæ trajecturum, ipse Casanova ibi præstolans, octo virorum ope subnixus, suis manibus comprehensum in lintrem, ad id comparatum detrudit, eumque victum inde Placentiam, uti sibi fuerat imperatum, ad Octavianum Farnesium ducem perduxit; qui pro sua in Sedem Apostolicam fide ac pietate, eum Romam devehendum curavit. Damnatum hæreticum, pœnam sequi oportebat, ut igni vivus cremaretur; sceleris tamen consortibus, qui non modo Mantuæ, sed alibi etiam erant, prius enuntiatis. Cui morbo, et item cæteris, quæ inde proficiscebantur, malis, opportuno subinde remedio provisum est. Ille vero tandem, sui pravitatem agnoscens errati, antequam igni traderetur, serane an seria pœnitentia duci visus est, atque ita mortuus flammis fuit absumptus.

« At vero, Pontificis jussu ad hæreticum capiendum concionatorem, administratos Pontificis eo penetravisse, tantum Rhetiorum animis terrorem incussit, ut eorum præcones per Catholicorum oppida deinceps vagari non audent. Extempo Rethii, ad varios principes viros, de sua, quam violatam esse querebantur, vindicanda jurisdictione, legationes decreverunt. Dux autem Alburquercius, Gabriel a Cueva, ditionis Mediolanensis præfectus, ad quem in primis illi confugerant, ut erat vir admodum pius atque Catholicus, id, quod res erat, eis respondit: Pontificem absolutam ac legitimam in omnes terrarum orbis partes potestatem habere, quoties ipse vellet, hæreticos, vel capi, vel meritis

¹ Gabut. Vit. Pii V. lib. 3. Cap. 42.

affici suppliciis. Quamobrem, cum adversa votis responsa retulissent, præmia publica proposuerunt iis, qui Casanovam ejusque fautores, vel eneassent, vel eos vivos aut mortuos in potestatem sibi tradidissent. Ista ille, ex quibus, ut inuimus, ratio deduci valet, ob quam præfatam contra offendentes statum, rem aut personas Officii Inquisitionis, Pius Constitutionem ediderit.

59. Cæterum, præter ea, quæ Gabutius refert, nonnulla etiam addenda censuimus, de eodem Cellaria, ex abdito Archivo summam de prompta. Ex isto enim accepimus, illum, quondam Galeatii filium, Ordinis Minorum S. Francisci, quem de Observantia vocant, olim sacerdotem, postmodum apostatam; ac alias in tribunali Ticinensis Inquisitionis inquisitum, pluribus hæresum capitibus egeratis, die prima Maii anni millesimi quingentesimi quinquagesimi septimi, salutaribus ei impositis pœnitentiis, dimissum fuisse. Paulo post vero, apud tribunal idem delatus, quod hæreticorum libros ac scripta retineret, quod multas hæreses sectaretur ac alii prædicaret; rursus in carcerem conjectus fuit, in qua examinatus, in suis, quas habuerat concionibus, plures Ochini, Bucerii, Corvini aliorumque hæreticorum conciones, se dixisse, palam confessus est. Dum vero sic ejus causa ageretur, fractis ipse carceribus, ac fuga elapsus, in Rhetiorum hæreticorum regionem sese recepit: quapropter tanquam hæreticus, transfuga, impœnitens, fecte conversus, ac relapsus, in jus vocatus, ac tanquam contumax damnatus, die secunda Januarii anni millesimi quingentesimi quinquagesimi octavi, sæculari brachio traditus est.

60. In ea igitur Rhetiorum regione Cellaria sedem suam fixit, ibique improbus apostata etiam uxorem duxit, præco hæresum ac errorum magister factus; quibus inficere, non vicina modo, sed longius etiam constituta loca pro viribus studuit. Verum eo, quem prædiximus, modo comprehensus, ac Romam perductus, non tantum plures errores se credidisse fassus est, sed etiam docuisse, inter quos hi præcipue recensentur:

« In Eucharistiæ sacramento, neque Corpus neque Sanguinem Domini nostri Jesu Christi realiter inesse, sed spiritualiter tantum.

« Matrimonium non esse Sacramentum, sed omnes et singulos, etiam sacerdotes, licite nuptias contrahere posse.

« Peccatorum confessionem soli Deo faciendam esse, non vero sacerdotibus; utpote quæ a Christo instituta non fuerit.

« Duo tantum esse sacramenta Ecclesiæ, nempe Baptisma ac Cœnam, quam ipse Cellaria fecerat, aliisque, tanquam hæreticorum minister, ad hæc delectus tradiderat.

« Nullum esse Purgatorium.

« Sacras sanctorum imagines non esse venerandas.

« Christum nostrum advocatum non esse etc.

« Obedientiæ, paupertatis, ac castitatis vota, non esse observanda.

« Petrum Apostolum, caput Ecclesiæ non fuisse, nec primatum obtinuisse.

« Papam caput Ecclesiæ non esse, nec præ aliis episcopis majorem spiritualem auctoritatem habere, cum ipse nec Christi vicarius, nec supra alios episcopos sit ».

61. Hæc præcipua hæresum quædam capita. Quod autem asserit Gabutius, tandem, nempe, suam pravitatem agnovisse Cellariam, antequam igni traderetur, passim ab aliis etiam scriptoribus confirmatur; nam, licet ex authenticis monumentis, tanquam hæreticum, relapsum, impœnitentem, obstinatum ac pertinacem, ab Ecclesiastico foro et ab Ecclesia sancta ac immaculata depulsum, ac sæculari curiæ puniendum, Cellariam traditum fuisse habeatur, die Veneris ac vigesima Maii hujus anni, nihilominus asserunt (ut audisti) in conspectu ignis, quo comburendum erat constitutum, perterrefactum, ut tormenti severitatem vitaret, errorum pœnitentiam, vel fecisse, vel simulasse, sicque tormentum ipsum evasisse. Romana siquidem Ecclesia, quam ob causas fidei, viventes homines nunquam comburi, ob patrata delicta statuisset, alibi adnotavimus: ubi tamen in perfidia obstinatos pertinacesque deprehendit, eidem illos supplicio tandem adjudicare compellitur; sic tamen invita, ut, vel ob leve resipiscentiæ indicium uti in isto (Cellaria) vel ob aliam quamlibet honestam causam, (qualis esse potuit in eo, quem suo loco commemoravimus, Carnesecca, familiæ ingenuitas), a sententia resiliat, ac salva justitia, temperet; ut mortui, videlicet, tradantur igni, qui viventes eidem tradendi essent, levatque misericorditer tormento, quem juste opprobrio non potest.

62. At, cum ipsum Cellarium clanculo statis diebus Mantuam proficisci consuevisse, ut ibi nefarios suos disseminaret errores, ex eodem Gabutio supra dictum sit; non prætereunda idcirco videntur, quæ Bzovius¹ scripsit his verbis, sub anno MDCXVI: « Guillelmus Gonzaga, dux Mantuæ, quod nonnullos de hæresi accusatos Romam transmittere recusasset, serio iratum sensit Pontificem, qui non dubitaverit illi etiam bellum denuntiari, si Mantuam sineret esse nidum hæreticorum. At procul dubio arma in illum expeditisset, nisi principes Italiæ intercessissent, ut Guillelmo noxam deprecandi ignosceret ». Et quidem ex his, quæ ex Gabutio audisti, quod nempe victum Cellariam, Romam mittendum, Octavio Farnesio, duci Parmæ,

¹ Bzov. Ann. Pii V. ann. 1566.

ex Pii mandato Casanova tradiderit; rite intelligitur, Mantuani ducis, hoc in negotio, se minime fidere posse credidisse Pontificem: cui si addas, quod non Mantuæ, sed in Rhetiorum ditione Cellaria captus fuit; commentitium prorsus deprehendes, quod Cæsar Campana¹ scribit, nempe opem suam in hoc, Mantuanum ducem Pontifici sedulo ministrasse; cum potius protectione sua tueri apostatam dux ipse visus fuerit; quidquid postmodum evenerit, quod noxæ, nimirum, veniam a Pio sit deprecatus.

63. Eundem vero Pontificem, (quod, jam missis ab se Inquisitionis ministris, ad Cellariam capiendum, aliquam inferri vim seu damnum metuisset) forse commotum, toties memoratam Constitutionem, primum animo concepissem, postmodum hoc anno edidisse, haud inverisimiliter censendum est; ni forte credendum sit, post captum etiam Cellariam, ac in Urbem devectum, periculum idem ministris ipsis, ab eodem duce ac aliis metuisse, ut supra diximus: vel tandem, quod cum sceleris Cellariæ consortes, qui non modo Mantuæ, sed alibi etiam erant, quosve Cellaria ipse, ut audisti, priusquam ultimo supplicio traderetur, enuntiavit, per Inquisitionis ministros comprehendi vellet; præfata Constitutione illorum securitati prospiciendum duxerit. Hæresis autem fautorem ex his principem Mantuanum extitisse, ostendere minime audemus, sed, vel privata quadam benevolentia hominem persecutum, ejus protectionem suscepisse arbitramur, vel potius Pontificiis obedire detrectasse mandatis censemus, quod suboffenso animo in eum esset, ob latam contra se in Mantuani episcopatus causa, de qua plura supra recensuimus, a Pontifice ipso sententiam.

64. *Mantuæ ducem apud regem Hispaniæ bonis officiis juvat.* — Quidquid fuerit, certum est tamen, hoc anno, Pium egregiæ suæ benevolentiae erga Mantuanum eundem ducem specimen ostendisse; cum, nimirum, pravis apud Philippum Hispaniarum regem officiis, remorari contententes nonnulli, quæ, jubente Pontifice, ipsius Mantuani ducis precibus, contra eos, qui in civitate Casalis Montisferrati, quam suo loco memoravimus, conjurationem struxerant, ad ipsum Philippum regem sic scripsit: « Charissimum in Christo, filio nostro, Philippo, Hispaniarum regi Catholico.

PIUS PAPA V.

« Charissime etc. In ea conjuratione, quæ adversus dilectum filium nobilem virum, ducem Mantuæ, in civitate Casalis Montisferrati facta est, cum prædictus dux, ad veritatis cogitationem pervenire summo pere cuperet, et aliquo conjecturæ indicio comperisset, fieri posse, ut Ecclesiastici quoque viri et equites ejusdem

conjurationis participes essent: rogavit nos, ut ei judicem constitueremus, qui contra ejusmodi personas procedendi facultatem a nobis haberet; ejus nos postulatis satisfacere volentes, ven. fratrem nostrum, Casalensem episcopum, judicem constituimus, qui, posteaquam diligentissime ei inquisitioni operam dedisset, inter multos alios, Flaminium quoque Paleologum, ejus conjurationis crimine condemnavit. Et quoniam comperit habemus, prædictum episcopum, cui nos eas causas cognoscendi facultatem dedimus, juris atque justitiæ terminos servavisse, propterea quod ejus hominis bonitas et doctrina exploratissima est nobis, nam ex eodem Ordine Prædicatorum est, cujus nos etiam professores sumus, et dum in minoribus constituti essemus, amicus noster multorum annorum fuit; idcirco M. T. paterne hortamur, ne cujusquam eorum verbis aures præbere velit, qui, ob privatas rationes suas, justitiæ impedimentum afferre tentant; cujus justitiæ habenda quidem est semper ratio, sed præcipue in his rebus, quæ ad imperii dititionisque propriæ rationem pertinent; quemadmodum M. T. notum esse potest, quæ in tot regnorum gubernatione idem experientia potuit didicisse. Haque M. T. rogamus, ut nostra causa ei iudicio acquiescere velit, quod a ministro nostro, ea, quam diximus, justitia atque integritate prædito, æquissime factum est, postulataque tua, quæ, eo nomine, apud eundem Mantuæ ducem interposuisti, revoces: nam, præterquam quod justitiæ id rationique consentaneum erit, nobis præterea rem admodum gratam facies. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, Die xxviii Junii m̄dxlix, Pontif. nostr. ann. iv ».

65. Verosimile est, hoc apud Philippum regem Pontificem perfunctum officio, ejusdem Gulielmi, Mantuani ducis precibus, utpote cujus potissimum cordi fuisset, ut debitas sceleris pœnas ineret, qui in se conjurasset. At, sive id fuerit, sive sponte sua id Pius effecerit, Pontificis semper animi sinceritas, ac inconcussa æquitas relucet, qua æque omnibus, quod justum rationique consentaneum fuisset, libentissime ac ultro impertiri consuevit. Episcopus autem Casalis, cui Pius eam provinciam demandaverat, erat Fr. Ambrosius Aldergatus, ab ipsomet, sub die tertia Septembris anni m̄dxvii, ad Casalensem cathedram evectus, ut refert Ughellius¹.

66. *Zoannettus hæreticus propter apostasiam bis carceribus mancipatur, et tandem, hæresi ejurata, in custodiam æternam datur.* — Egregium vero ac insigne suæ pietatis ac fidei specimen cum dedisset Respublica Veneta, dum nimirum Guidam Zoannetum, vel Zannetum, Fanensem, hæretica perfidia notatum, ac Pata-

¹ Campan. Vit. Philip. II. par. 2. lib. 18. pag. 170.

¹ Ughell. Ital. Sac. Tom. 4.

vii latentem, comprehendi, ac Pontifici (ut suo loco diximus) tradi mandasset; et hunc quoque, hoc anno, hæreses, in quas inciderat, egerare, et licet ea, quam meruisset, leniorem pœnitentiam subire Pius voluit. En, quæ ex authenticis monumentis ¹ de ipso habemus.

Guido Zoannetus, cum Londini esset anno MXXXVII et MXXXVIII, pluresque hæreticorum libros coemisset, puta Lutheri, Melanctonis de Augustana Confessione, ejusque Apologiam, Buceri, Brentii, Calvinii, Oecolampadii, Ermanni, Bodi, Joachim Vandiani atque Erasmi; ex eorum lectione errorum peste affectus, cum in Italiam, sub finem ejusdem anni MXXXVIII reversus esset, eosdem secum libros detulit, ac deinde consuetudinem habere cepit cum pluribus hæresum auctoribus, tum Italicis, tum exteris; gloriari solitus, ampliolem præ cunctis, quæ Romæ essent, Bibliothecam, Lutheranis libris instructam, se habere.

67. Anno vero millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, cum Romæ esset, sceleris sui participes, hæreticos quosdam, in loco, qui *Curia Sabella* dicitur, cum comprehensus adisset, perterritus, fuga arrepta, Neapolim sese recepit; unde, sequenti anno, millesimo quingentesimo quadragesimo sexto abscedens, Venetias se contulit, ubi a Donato Rullo, a quo pecunia adjutus fuit, perbenigne exceptus; ibi familiariter usus est cum Lactantio Ragnone, aliisque apostatis ac ministris Genevæ, nefandorum hæreticorum Italiorum. Sub initium autem sequentis ætatis, in Saxoniam se contulit, ut ibi cum ejusdem provinciæ electore, ac duce, Jo. Frederico, et langravio Hessiæ, Protestantibus, ageret, et in ipsorum principum exercitum, (simulato nomine magistri militum, Henrici Octavi Angliæ regis) adscriberetur; cum in eos exercitus expeditionem tunc imperatorem suscipere velle diceretur.

68. Vagus tamen, cum anno sequenti, millesimo quingentesimo quadragesimo sexto, totam pæne Germaniam lustrasset, seque in hæreticorum consuetudinem dedisset; ac insuper aliquoties Lutheri sepulcrum invisisset; rursus Venetias regressus est, unde denuo in Angliam trajecit. Ad illius regni fastigium regina Maria Catholica tunc evecta fuerat; cumque illuc pervenisset cardinalis Polus, Apostolicæ Sedis legatus, ut S. R. E. regnum ipsum reconciliaret; in generali ea reconciliatione, quæ die S. Andreæ Apostoli, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, in generalibus Comitibus, coram rege, ac regina, ac trium totius regni Ordinum facta est, in Anglia Zoannetus fuit.

69. At, cum regina, post hæc, oratores tres Romam mitteret, ut Pontifici obedientiam, suo ac regni nomine præberent: ipse in Italiam re-

versus, nunquam familiaritatem dimisit Carne-secchæ, Endimii Calandræ, Petri Martyris, Occhini, aliorumve præcipuorum hæresum auctorum, quorum ipse librorum lectione plurimum oblectabatur; ideoque, cum res ad S. Romanæ Inquisitionis officium delata esset, ac sedente Pio papa Quarto, Zoannetus, Roma relicta, Venetiis moraretur, ibi, eodem Pontifice præcipiente, in vincula conjicitur, anno MDLXI, die xxii Februarii. Verum, precibus Elizabethæ, tunc Angliæ reginæ, apud Rempublicam, istaque apud Pontificem intercedente, dimissus, cum nihilominus deinceps, easdem, quas prius, hæreticorum amicitias coleret, novis etiam, iisdemque gravissimis supervenientibus aliis iudiciis, apud præfatam Romanam Inquisitionem, mense Julio anni millesimi quingentesimi sexagesimi sexti, Palavii, jubente Pio V, comprehenditur, ut diximus, ac deinde Romam perductus, triginta et octo hæresum capita, a Lutheranorum ac Calvinistarum libris accepta (quibus adhæserat) fassus est; ita ut ab anno millesimo quingentesimo trigesimo septimo, usque ad sexagesimum sextum supra quingentesimum ac millesimum, hæreticus fuerit, ac hæreticos et hæreses fovierit.

70. Ipsum deinde, a Pontifice, ob hæc et alia ab eo admissa scelera, Romæ damnatum fuisse, ac crudeli ignis supplicio affectum; temere et perperam, ut consuevit, scribit Thuanus ¹, qui mendacis errores cumulans, id insuper factum scribit, initio Pontificatus Pii, nempe anno MDLXVI. At falsitatis arguitur a præfatis authenticis monumentis, cum in eis dicatur, tandem scelerum Zoannetus pœnituisse, ac erroribus publice egeratis, die Veneris, ac vigesima Maii præsentis anni millesimi quingentesimi sexagesimi noni, in venerabili Ecclesia S. Mariæ supra Minervam, quibusdam impositis ei salutaribus pœnitentiis, arcto ac perpetuo carceri damnatum fuisse; eodem nempe die ac anno, quo in Franciscum Cellariam animadversum quoque narravimus,

71. *Mediolani Pallearius vivus in ignem conjicitur.* — Debitas quoque nefandorum criminum pœnas dare tandem coactus est Aonius Pallearius, patria Verulanus, Græcæ ac Latinæ linguæ Mediolani professor, de quo nos pluribus anno præcedenti egimus, et præfatus Thuanus ² hæc habet: « Postea (videlicet, post Carneseccham et Zoannettum igni, ut perhibet, traditos) et Aonius Pallearius, cujus eruditionem singularem scripta ipsius testantur, eadem pœna affectus est Romæ, cum convictus esset, dixisse, Inquisitionem esse sicam districtam in litteratos ». Et quidem, licet sic temere de Inquisitione oblocutum fuisse haud denegemus,

¹ Thuan. Histor. lib. 396. sub an. 165. pag. 366. — ² Ibid. ut supra.

⁴ Ex Annal. abdit.

non ideo tamen, hac dumtaxat de causa, severo admodum illo supplicio fuisse damnatum, (ut innuere voluisse cognoscitur impudentissimus scriptor, ut crudelitatis ex more crimen Pio inureret), dicendum esse deprehenditur, tum ex iis, quæ anno superiori in medium protulimus, tum ex iis ipsis ejusdem Pallearii Operibus, quæ nuper Catholicae fidei ac Romanæ Ecclesiæ adversarii ediderunt. Inter illa enim extat, præ aliis, Opusculum, cui titulus: *Actio in Pontifices Romanos, et eorum assecclas* tot reffectum blasphemis, in sancta quæque ac venerabiliora Christianæ religionis monumenta; tamque impie ac una inepte in eo sacræ Scripturæ sensus detorquentur, ut sine stomacho legi nequeat; adeo ut grammaticalis latininitas intelligendæ sensu, prope imperitum, egregium Latinæ linguæ magistrum, ultro fateri necesse sit. Qui primus, hujus editionem adornavit, (et *Senensem* errore eum vocat, cum Verulis natus fuerit, civitate in Ernicis posita), duo esse in eodem Opusculo animadvertit, quæ a theologis Ecclesiarum reformatarum non facile recipi dicit. Unum, quod conjugium pro Sacramento amplexum fuisse visus fuerit. Alterum, quod Christiano homini nullo modo jurare, ne in foro quidem, licere putaverit. At, quamvis in primo, a Romanæ Ecclesiæ sensu minime discesserit, in secundo tamen eo audaciæ ac perversitatis progressus agnoscitur, ut ipsius blasphemias, nec ipsi, qui eum colunt, ejusque una errores diligant, blasphemii homines, ferre possint. Nos singulos ab eo prolatis errores recensere superfluum judicamus, cum cunctis ejusdem Opera legentibus, satis eos superque, patere posse arbitremur. Obiter tamen observare est, quam præclare se habeant martyres hæreticorum; (inter martyres enim, ut mox videbitur, ab illis recensetur); quibus contra et juxta ipsamet falsa eorum dogmata, ab illis prolatis errores, (cujusmodi sunt, quas proposuimus, de Matrimonio et juramento Pallearii sententiæ), martyrii palmam eripere nequiverunt.

72. Cæterum, quod ad ejus mortem, ac mortis tempus attinet, prætereunda minime sunt, que in Præfatione ad præfati Pallearii ¹ Opera, Amstelodami novissime, anno videlicet MXXCVI typis tradita, apud Henricum Westenium, habentur. In ea enim hæc leguntur: « Igitur damnatus a rigidissimo Pontifice, atque ignominioso pariter ac crudeli supplicio, vivus est in ignem conjectus, æternæ veritatis fidelissimus testis. Hæc gesta sunt anno MXXVI, ut rectissime notavit Historicorum princeps, Jacobus Augustinus Thuanus lib. 49. Errant enim qui aliter referunt: id quod præclarissime evincitur, ex tempore creationis Pii V et ex ipsis Immunitatibus urbis Mediolanensis, annos ipsos

septem, ante hoc martyrium datis; neque id tantum: sed et in ipso genere mortis, decepti sunt viri clarissimi. Certe Joachimus Cameraarius, *crudeli supplicio affectum* dicit; additurus haud dubio aliquid singularius, si modo rescivisset. Simlerus autem, *capite mulctatum* scribit, idque an. MXXIX. Is, qui primus *Actionem in Pontifices Romanos* in lucem protulit, crematum fuisse dicit circiter anno MXXVIII. Unde tot hallucinationes in re eadem? Nimirum, tam terribile est Inquisitionis tribunal, ut istic damnati, uno eodemque numero habeantur cum iis, qui nati fuerunt, et simul cum corpore delectur funditus omnis memoria, atque ex imis radicibus extirpetur». Sic ibi.

73. Verum, si Urbe tota spectante, hujusmodi pestes hominum, sæculari brachio traditas, publice ultimo supplicio affici consuevisse animadvertisset, qui ista scripsit, nullatenus sic lemere ac una injuste oblocutus esset, ac suorum scriptorum incuriæ, non Inquisitionis districtæ nimis severitati, hæc ignorasse dedisset. Quæ idcirco, ex nostralibus auctoribus nullus recensuit, vel quod ipsi, in scribendo, tam exactam rationem temporum minime sibi observandam proposuerint; vel quod, ista tanquam levia ac nullius prope momenti, tam prolixè adnotanda non duxerint: ex ipsis abditis Archivis prodeant, quibus tot hallucinatorum hominum depellantur errores, mentesque ab ejusmodi levitatibus obcæcate expurgentur; idque sit ipsa causa Pallearii, cui subscripti reperiuntur, S. cardinalis Pisarum, F. cardinalis Paceo, Jo. Franc. card. de Gambara. In ea siquidem dicitur, die quinta mensis Octobris, præsentis anni MXXIX, curiæ sæculari puniendum præfatum Pallearium datum fuisse. Quapropter arbitramur, eum, qui, primus Pallearii Opusculum in Pontifices Romanos et eorum assecclas edidit, ac in Præfatione, Mediolani fuisse comprehensum, circa annum Domini MDLVIII, scripsit; vel sua, vel typographorum incuria, vel etiam amici referentis errore, id asseruisse, cum decem post annos, nempe anno MDLXVIII, Mediolani captum, et sequenti MXXIX, mortis supplicio affectum, dixisse debuisset.

Cæterum, non modo Thuanus in hoc errasse convincitur, sed in Carnesecca quoque ac Zoanetto, ut supra ostendimus; ita ut necesse minime videatur, ad ejus refellenda mendacia, diutius his immorari, quod pariter de aliis heterodoxis scriptoribus dicendum est. Quo vero mortis genere, filius ille Belial, Pallearius, interemptus, cum appareat obstinato animo, ac pervicacissima mente, nulla vi ac studio ab errorum tenebris ad veritatis lumen revocari potuisse; merito igne interitendus fuit, æterno igni, post momentaneum ac temporalem, perpetuo mancipandus.

74. *Pius hæreticos ubique persequi et com-*

¹ Aonii Pallearii Opera in Præfat. prope finem.

prehendi curat. — In alios præterea inferioris notæ hæreticos animadverti hoc ipso anno, Pium curasse, ea comprobant, quæ ad Honoratum de Sabaudia, Tendæ comitem, scripsisse reperimus his verbis :

« Dilecto filio, nobili viro, Honorato de Sabaudia, Comiti Tendæ.

PIUS PAPA V.

« Dilecte etc. Quia exploratum habemus, te, pro tuo singulari Catholice fidei zelo, omnium hæreticorum hostem esse acerrimum, idcirco fidenter facimus, ut in his, quæ ad detestabilem hæresum pestem avertendam pertinere novimus, tua, quam nobis paratissimam esse intelligimus, cum necesse est, opera utamur. Quapropter nobilitatem tuam rogamus, ut Antonium quemdam Chiantam, secundarum tabularum artificem, qui alias Genuæ et Ventimiliæ hæresum, in quas, suadente diabolo, inciderat, abjuratio facta, in eadem nunc relapsus est, Tendæ commemorantem; similiterque Innocentium Guinum, qui Umeta appellatur, una cum quibusdam aliis, quorum nomina a ven. frat. nostro, episcopo Ventimiliensi accipies, adhibita ea quæ ad ejusmodi res valde necessaria est taciturnitate ac diligentia, comprehendendi jubeat, comprehensosque ad eundem episcopum Ventimiliensem adduci, in ejusque potestatem tradi curet; ut ipse, apud quem, adversus prædictos hæreticos, indicia probationesque reperiantur, id quod æquum justumque fuerit in eorum causis statuere atque exequi possit. Quod, quanquam te, ut par est, sedulo, pro tua in Deum Omnipotentem pietate, facturum esse pro certo habemus; tamen ita rogamus, ut te in eo rem Omnipotentis Deo acceptissimam, nobisque gratissimam, facturum esse scire velimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub anno Piscatoris. Die xxx Decembris MDLXIX, Pontif. nostr. ann. quarto ».

75. Fuisse autem tunc episcopum Vintimiliensem seu Albililiensem, Carolum Grimaldum, ad hanc cathedram a Sagonensi in Corsica, sub anno MDLXV, translatum, scribit Ughellius. Eundemque Carolum, nri Sagonensem episcopum, Tridentino Concilio, sub an. MDLXIII interfuisse, idem tradit.

76. Demum, quoad toties memoratam Constitutionem, contra offendentes Inquisitionis ministros, prætermittendum non est, quod narrat Natalis Comes ¹, Pontificem, nempe, eam, et in regno Neapolitano promulgari præcepisse; sed a sententia revocatum asserit a regiis Hispanis ministris, qui id minime necessarium eidem ostenderunt, cum sine ulla prorsus controversia, quæ ad fidem tuendam oportuna videbantur, ibi exequerentur; et ex opposito, eo edicto,

novi ac periculosi seditio-nis motus rite vereri possent, cum nihil aliud vulgus promulgari censeret, quam Hispanicam Inquisitionem, cuius nec nomen quidem ferre poterat.

77. *Constitutio qua Hebræi a toto dominio Ecclesiastico, Roma excepta, ejiciuntur in partem perfidæ.* — Dum autem hæreticorum fermentum expurgaret in Ecclesia Pontifex, ne totam massam corrumpere, Judæorum perfidiam, qua Christianorum plurimi contaminabantur, evellere etiam studuit; cumque ad eorum comprimendam audaciam, in eos, a se superioribus annis decreta, non valuisse cognovisset; præsentem, e tota Ecclesiastica ditone depulsi, præterquam ex Urbe Roma, ubi ad veram fidem facilius converti possent; et item ex Ancona, maritima civitate, ne videlicet Orientis mercimonia prorsus impediuntur. Constituit, super hoc, ab eo facta, utpote illa, qua rite ac sancte ab ipso sancita, a pravorum maledictis purgantur, digna est quæ idcirco hic inseratur ¹.

« Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

« Hebræorum gens, sola quondam a Domino electa, quæ divinis eloquiis infusa cælestium mysteriorum particeps esset, quantum cæteris omnibus gratia et dignitate excelluit, tantum postea, incredulitatis suæ merito contempta et neglecta, in præceptis meruit deturbari, quod, adveniente temporis plenitudine, perfida et ingrata sum Redemptorem indigna morte peremptum impie reprobarit. Amisso namque sacerdotio, Legis auctoritate adempta, propriis disjecta sedibus, quas, tanquam lac et mel fluentes, clementissimus et benignissimus Deus, jam inde a prima ipsius gentis origine, illi præparaverat, terrarum orbem, tot jam sæculis pererrans, invisâ, probris contumeliisque omnibus objecta, fœdas et infames quasque artes, quibus famem tolerare possit, haud secus quam vilissima mancipia, cogitur attrahere. Sed Christiana pietas, hunc ineluctabilem casum in primis commiserans, illam humanius satis apud se passa est diversari, ut scilicet crebro illius intuitu, Passionis Dominicæ memoria fidelium oculis frequentius obversetur, simulque ea, exemplis, doctrina, monitis, ad conversionem et salutem, quæ reliquiis Israel Prophætæ oraculo futura est, amplius invitetur, a qua, si Christianorum sedibus explosa, ad eas gentes, quæ Christum non norunt, diverteret, magis magisque aliena reddatur. Verumtamen illorum impietas, pessimis omnibus artibus instructa, usque eo processit, ut jam pro communi nostrorum salute expediat, tanti morbi vim celeri remedio prohibere. Nam, ut iam multa usuraria genera omittamus, quibus Hebræi egentium Christianorum substantiam usquequaque

¹ Natal. Com. Hist. lib. 20. pag. 410.

¹ Extat in Bull. Const. 30.

exinaniverunt; perspicuum satis putamus, eos furum et latronum receptores atque participes, qui quasque res ab iis subreptas et interversas, non modo profanas, sed etiam divino cultui servientes, ne internoscantur, aut ad tempus suppresserint. aut alio transferre, aut omnino transformare conantur; plerique etiam, specie tractandæ rei proprio exercitio convenientis, honestarum mulierum domos ambientes, multas turpissimas lenociniis præcipitant: quodque omnium perniciosissimum est, sortilegiis, incantationibus magicisque superstitionibus et maleficiis dediti, quamplurimos incautos atque infirmos, Sathanæ præstigiis inducunt, qui credant eventura pronuntiari, furta, thesauros, res abditas revelari, multaque præterea cognosci posse, quorum nec investigandi quidem facultas ulli omnino mortalium est permissa. Postremo cognitum satis et exploratum habemus, quam indigne Christi nomen hæc perversa progenies ferat, quam infesta omnibus sit, qui hoc nomine consentur, quibus denique dolis illorum vitæ insidiatur. Illis aliisque gravissimis rebus adducti, et augescensium quotidie, ad civitatum nostrarum perniciem, scelerum gravitate permoti; cogitantes præterea, supradictam gentem, præter mediocres ex Oriente commea- tus, nulli Reipublicæ usui esse nostræ; nostris vero populis, qui præsertim a nobis aliquanto remotiores sunt, conducibilis fore illius nomen, flagitia, miseria aliunde ad se relatas audire, quam ullo charitatis stimulo, eam in suo deinceps sinu, ut antehac;

« §. 1. Auctoritate præsentium præcipimus, ut omnes et singuli utriusque sexus Hebræi, in omni ditione nostra temporali, et sub ea consistentium civitatum, terrarum, et locorum, domicellorum, baronum, aliorumque dominorum temporalium, etiam merum et mixtum imperium, ac vitæ necisque potestatem, et quamcumque aliam jurisdictionem atque exemptionem habentium, de ipsis omnibus finibus, intra trium mensium spatium, postquam præsentis litteræ hæ fuerint publicatæ, omnino excedant.

« §. 2. Quibus præteritis, quicumque, sive incolæ, sive peregrini, sive præsentis, sive futuri, in quacumque dictæ ditionis civitate, terra vel loco, etiam domicellorum, baronum, dominorum, et aliorum exemptorum prædictorum, quandocumque inventi fuerint; rebus omnibus spoliatur, et fisci iuribus applicentur, mancipia Romanæ Ecclesiæ fiant, et in perpetuam servitute asserantur, dictaque Ecclesia illud idem jus in eos, quod cæteri domini in servos et mancipia sibi debeat vindicare; Urbe Roma et Ancona dumtaxat exceptis, ubi eos solos Hebræos, qui nunc eas habitant, ad prædictam memoriam amplius excitandam, prosequendasque cum Orientalibus negotiationes, mutuosque

commæatus cum eisdem, permittimus tolerandos; cum eo tamen, ut nostras et prædecessorum nostrorum aliasque canonicas de eis Constitutiones studeant observare; sin minus in pœnas omnes, quæ dictis Constitutionibus continentur, quasque in hoc innovamus, eo ipso incidant. Futurum enim speramus, eos, qui præsertim nostro, et hujus Sedis conspectu proximi sunt, noxæ metu, a maleficiis temperatos, et interdum aliquos, uti antehac, nostro quoque hortatu, satis multis contigit, lumen veritatis, cum gaudio agnitos. Sed neutri ad alteros, nec in alium dictæ ditionis locum, ullo tempore demigrent, nec proficiantur, neque quempiam ex proscriptis ad se recipiant, si servitutis iugum et supplicia voluerint evitare. Jubemus igitur, omnium provinciarum, civitatum et locorum dictæ ditionis, legatos, gubernatores, præsertim, prætores et magistratus, ac etiam locorum ordinarios, necnon domicellos, barones, dominos et exemptos supradictos, ac quoscumque alios, ad quos id pertinet, ut quisque, pro se, nulla alia a nobis expectata jussione aut mentis deliberatione, omnia prædicta quamprimum exequantur, et caveant diligenter ulli posthac Hebræi, ad ipsas provincias, civitates et loca, etiam domicellorum, baronum, et aliorum prædictorum, ex quacumque causa amplius accedant. Quicumque vero, etiam de iis, qui Romæ et Anconæ nunc sunt, excursu trimestri proximo, inventi, in quacumque dictæ ditionis parte, etiam quæ domini temporalis eorundem domicellorum, baronum, dominorum et exemptorum sit; statim Ecclesiæ prædictæ mancipati, in servitute perpetuam coniciantur; quorum etiam cervicibus graviores pœnas impendere significamus, ut cæteri, eorum exemplo discant, quanti fuerit, hanc nostram prohibitionem temere neglexisse.

« §. 3. Non obstantibus etc.

« §. 4. Volumus autem etc.

« §. 5. Nulli ergo etc.

« Datum Romæ, apud S. Petrum, sub anno Piscatoris, anno Incarnationis Dominicæ MDLXIX, quart. kal. Martij, Pontificat. nostr. ann. quarto ».

78. At, quam æquo jure ista in Judæos Pius decrevit, quæ forte severiora quam oportuisset aliquibus videri possunt, ex his quæ Venetiis hoc ipso anno evenere æstimare est. Veneta siquidem Respublica triste nimis hoc tempore futuri belli prænuntium perpeti compulsata fuit¹, cum nimirum, decim. oct. kal. Octobris, in amplissimo illius navali, noctu sulphureus pulvis, igne scellerime concepto incensus, repente sese diffundens, horribili adeo impetu ac fragore erupit, ut universo eo motu contremere, ac fatiscere urbs visa sit; ac insuper annonæ fru-

¹ Mauroc. et ali etc.

mentariæ caritate, sic fuit præ aliis Italiæ regionibus afflictæ, ut plures fame coacti, invisos antea cibos appetierint, alii herbas ægram vitam sustentare adacti fuerint; ac demum alii, quibus nec hæc quidem suppeditari potuere, fame perierint.

Quibus auditis Selymus Turcarum imperator, optimam sibi naclam occasionem censuit, Venetos aggrediendi, ut Cyprum eorum insulam in suam potestatem redigeret, uti jam longe ante animo conceperat, quod jam a reliquis bellorum motibus, quæ contra eum alibi, ut diximus, exorti fuerant, liber evasisset. At quinam fuerint, qui rabidam tyranni in Christianos famem acuerint, audi ex Natali Comite ¹, ubi de incenso navali agit, his verbis: « Editus est rumor in universas nationes, tum longinquas, tum etiam finitimas, universam prope Venetiaram urbem corruisse, conflagrasse majorem partem classis, una cum ipso navali, quod munitissimum et instructissimum habent Veneti supra omnes nationes. Quæ navigia flammarum vim devitarint, illa ita esse conquassata, ut partim nullo pacto refici possint, partim non nisi per summam difficultatem; arsisse omnes bellicos apparatus, infractas omnino, conquassatas, eversas esse fere vires Venetorum, aut certe plurimum debilitatas, quorum pæne universa potentia, et existimatio, in rebus maritimis consistit. Hujus rumoris auctores fuerunt Hebræi, plerique oriundi e finibus Orientis, quos Veneti per opportunitatem mercaturæ in urbe esse patiebantur, cum tamen illa natio infida et impia sit ubique, et tanquam exploratores, pro imperio Turcarum. Agitatum etiam fuerat in senatu, non semel, de illis ejiciendis, non sine magnis contentionibus etc ». Hæc ille, cujus narrationem comprobasse etiam visa sunt, quæ in novissimo Ungarico bello, assuetæ perfidiæ impiissimi ac Christiano nomini infensissimi, Judæi ediderunt exempla; ut nostri temporis scriptores passim monumentis tradiderunt; quo magis Pii sententiam de ipsis tota Ecclesiastica ditione deturbandis commendandam intelligas.

79. *Componuntur dissidia inter Corsicam et Janensem rempublicam.* — Cæterum, Corsica hoc anno, tota in pace composita fuit; nam agentibus Galliarum regis ministris, qui ipsius seditionem usque adhuc foverant, ac post mortem Saupetri, superstiti filio, qui a cæterorum principum nemine auxilium sibi suppeditari minime obtinere poterat, auxilium præbere non valebant (ut Hadrianus ² narrat): factum est, ut eidem, persoluto quorundam bonorum, quæ in insula possidebat, a Genuensi republica justo pretio, liber hic in Galliam trajicere permitteretur; addita tamen conditione, ut Respublica eadem, aliis cunctis seditionis participi-

bus, qui contra illam arma sumpsissent, indulgeret. Quibus religiose executioni mandatis, bellum absolutum est. Episcoporum insulæ, ut infra videbitur, eximio studio, pace potissimum conciliata.

80. Quanta vero Pium lætitia affecerit pax ista, utpote qui temporalem non modo Italiæ totius, sed spirituales etiam animarum jacturam, ex ea seditione rite metuerat: æstimare erit, ex gratulatoria ad Rempublicam Janensem scripta ab eo Epistola ¹, ut sequitur:

« Dilectis filiis, nobili viro et gubernatori-bus Reipublicæ Genuensis.

« Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. Corsicam insulam, quemadmodum per multos ante annos fuit, totam in vestram redactam esse potestatem, Deumque Omnipotentem, pro sua in genus humanum misericordia, finem diuturno luctuosoque bello imposuisse; vehementer in Domino gavisi sumus, litteras vestras septima Aprilis die datas, legentes: eaque de re, sicut par fuit, Redemptori nostro gratias egimus, qui, ut eos populos ob peccata eorum ac nostra juste affligere voluit, sic eisdem jam respiscentibus atque ad veterem imperii vestri obedientiam revertentibus, pacem suam misericorditer negari noluit. Restat nunc, ut, quibus, tanquam parum obedientibus filiis, ad vestram clementiam, sic, quasi ad Patrem confugientibus, Deus pro sua benignitate vos placatos esse atque ignoscere voluit; eos, tanquam boni patres, non solum (quemadmodum fecistis) salvos et incolumes esse velit, sed etiam per idoneos homines, ea, qua decet; paterna charitate, Dei in primis cultu, religionis Catholicæ studio, Christianisque moribus diligentissime imbuendos curetis. Hoc facientes, non modo vobis apud homines gloriam, et apud Omnipotentem Deum præmia mercedis acquiratis; sed eis ipsis populis, multo vobis obsequentioribus, vestrumque amantioribus studiosioribusque utemini. Nam, si timorem Domini per vos edocti, voluntatem illius esse didicerint, ut sublimioribus potestatibus, quæ a Deo omnes sunt, homines subjecti sint, principum suorum imperio fideliter sibi parendum esse statuent, cui qui resistunt, eos ordinationi Dei resistere intelligent. Si vero a peccatis abstinere, sectarique justitiam admoniti, incæperunt (quod, ut faciant, non dubitamus, vos, pro vestra parte, curaturos esse); nulla vobis eorum amplius defectio, nullæ contra vos conjurationes erunt ab eis timendæ. Qui enim justitiam diligunt, hæc et ejusmodi omnia odio habent. Date igitur operam, ut quo ejus insulæ populi, propter belli diuturnitatem, negligentiores ac remissiores in divino cultu, atque a divinorum præceptorum observantia alieniores fuerunt,

¹ Natal. Com. Hist. — ² Hadrian. Histor. lib. 20, p. 1501.

¹ Apud Goub. Epist. lib. 3. Epist. 19.

longi temporis jacturam assiduitate ac magnitudine vestrorum in eos paternorum officiorum compensatis. Quod quidem vestrum studium, pro pastorali sollicitudine proque ejus officii munere, quod nos, licet indignos, Deus Omnipotens suscipere atque administrare voluit, ipsi quoque, quantum fieri poterit, adjuvabimus, venerabilesque fratres nostros, illius insulae episcopos, diligenter ad sui quemque gregis custodiam in tempore hortabimur. Illud praeterea vos, tanquam dilectos nostros in Christo filios, monemus, ut populos istos, tot belli calamitatibus afflictos, tot tantaque mala perpesos, magis benevolentia beneficentiaque vestra alliciendos, quam vi aut armis in officio retinendos esse statuatis. Nam, praeterquamquod haec regendi populos ratio reipsa tutior est atque firmiter: praeterea, (quod caput est) Omnipotentis Dei praecipulis magis congruit, quibus tanto studiosius parere debetis, quanto illo vos ad recuperandam ejus insulae possessionem, divina sua ope adjuvit; ut, non solum erga illos populos beneficii, sed etiam in Deum ipsum grati reperiamini. Quod non dubitamus quidem, vos, pro vestra pietate, sponte vestra esse acturos, sed tamen admonitu nostro idem diligentius, acrius ac studiosius facturos putavimus. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vigesima quarta Aprilis MDLXIX, Pontificatus nostri anno IV ».

81. Nec multo post, juxta haec ad Rempublicam scripta, officii sui Corsicae episcopos commonere studuit, ut in ea vinea, a tot bellis depasta, mores ac Catholicam fidem pro viribus excolendos reassumerent, ut patet ex sequenti ad Adjacensem episcopum Epistola:

« Venerabili fratri, Joanni, episcopo Adjacensi in Corsica ».

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Commissi nobis officii sollicitudo, divinique honoris zelus coegit, nos, hoc tempore, quo data a dilectis nobis filiis, duce et gubernatoribus Reipublicae Genuensis, populis istius insulae pace, Omnipotentis Dei misericordia, diuturno luctuosoque bello finem imposuit, fraternitatem tuam, et ceteros ejusdem insulae episcopos, fratres nostros, singulos ad officium suum Ecclesiae praestandum, sui que gregis custodiam, hortari atque excitare. Id autem, eo etiam studiosius, ibi, ceterisque fratribus, episcopis nostris, faciendum esse judicamus; quo, propter diuturni belli mala, et crevisse populorum istorum peccata, et eorum licentiam magis auctam, non dubitamus; ut, apud quos, peccatis eorum ac nostris id facientibus, lot animarum vulnera morbi que invaluerunt, hi spiritualium medicorum pastorumque propriorum cura, magnopere indigere videan-

tur. Hoc itaque considerans fraternitas tua, officii sibi a Deo commissi memor, omni studio, cura atque industria, ad gregem fidei suae creditum, pascendum invigilet, corruptos depravatosque cleri sui caeterorumque hominum in sua dioecesi mores, tum lenitate, tum severitate, prout res ipsa postulare videbitur, adhibita, corrigere atque emendare conetur. Tridentini Concilii decreta, quantum in se est, in usum adducere curet: peccata publica, si qua forte, ut fit, dissolutis nimia licentia moribus corroborata sunt, extirpare conetur. Illud praeterea, omnibus viribus ac diligentia eniti debes, ut institutorum in tua dioecesi puerorum, atque etiam natu grandiorum, paternam, bonoque pastore dignam, quam maximam curam suscipias. Ad eam rem utilissimum erit, ut per eos, quos oportet, quique idonei sunt, doctrinam Christianam edoceantur; Catechismus vulgari sermone editus, legendus illis proponatur; populus ipse, ad audiendum Dei verbum, praecipue diebus festis, ad aliaque Christianae pietatis opera, hortationibus paternis incitetur. Haec, et, si qua alia tibi, pascendo gregi tuo, utiliora videbuntur, sedulo age, diesque ac noctes meditare; sciens, aeternum illum judicem, cuncta quae egeris, quaeque omiseris, in illo iudicii die, diligentissime ac subtilissime requisiturum; atque unumquemque nostrum, non ex sublimioris gradus praerogativa, sed ex operum meritis approbaturum. Obsecramus ergo te, frater, et per viscera Dei nostri etiam atque etiam obtestamur, ut, quoniam pastor constitutus es dominusque ab his, quos pastores constituit, fructum multiplicati gregis expectat, de creditorum tibi populorum animalibus sollicitus sis; hortationibus, monitis, praedicatione, futuri iudicii terrore praetento, relictis peccatis, ad Deum converti suadeas; ut ad aeterni iudicis tribunal constitutus, suavissimam illam vocem audire merearis: Euge, pastor bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui. Haec pluribus fraternitatem tuam hortati sumus, non voluntati, aut studio erga Ecclesiam sibi creditam diffidentes, sed paterni animi nostri affectum, omniumque Ecclesiarum sollicitudinem, quae in nobis esse debet, testificantem. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die quarta Maii MDLXIX, Pontificatus nostri anno quarto ».

82. Ejusdem exempli habentur in Regesto Vaticano¹ scripta a Pio Epistola ad caeteros Corsicae episcopos, ad Aleriensem nimirum, Nebiensem et Calvensem. At ad Sagonensem² episcopum peculiarem dedit, ulpote, qui egregiam ad componenda Corsicae dissidia operam navasset: unde et praeterita ipsius studia dignis laudibus effert, et ad perficienda, quae pro

¹ Apud Gomb. Epist. lib. 3. Epist. 20.

² Ex Archiv. Vatican. signat. nu. 2911. — ² Ex Archiv. Vatican. ut supra sign. n. 2906.

quoque magis animarum suarum saluari pabulo caruerunt; eo diligentius ac studiosius, animarum salute cœperat, his verbis incitat :

« Ven. fratri, Hieronymo, episcopo Sagonensi.

PIUS PP. V.

« Ven. frater etc. Etsi, pro sua spectatissima nobis bonitate, singularique Christianæ pietatis studio, hoc tempore, quo Omnipotentis Dei misericordia, istius insulæ populis pax, post diuturnum luctuosumque bellum concessa est, omnia erga Ecclesiam tibi creditam, boni fidelisque pastoris officia a te expectamus, cujus maxime opera ac labore, pacem ipsam confectam esse compertum habemus : tamen visum est nobis, cum reliquos fratres tuos, ac nostros, istius insulæ episcopos, singulos, ad officium suum propriæ Ecclesiæ præstandum, hujus occasione pacis, hortaremur; fraternitatem tuam quoque ad idem, magis pro nostri officii ratione servanda, hortari, quam quod eam rem necessariam esse existimaremus. Nota est enim nobis eximia tua in Deum Omnipotentem pietas, salutisque animarum zelus. Scimus quantos, pro conficienda ista tam salutari populis istis pace, labores susceperis, quæ pericula adieris, quomodo nunquam difficillimis illis temporibus Ecclesiæ tuæ curam deserueris : ea de re, sicuti fraternitatem tuam debitis in Domino laudibus prosequimur, ita etiam Redemptori nostro gratias agimus, qui in tanta istius insulæ perturbatione, tam firmum nobis in tua virtute, divinique honoris zelo præsidium solatiumque constituit. Sed quoniam, peccatis eorum ac nostris id facientibus, valde, propter belli diuturna mala, istorum populorum peccata aucta esse, moresque tam sacerdotum quam laicorum dissoluta nimia licentia esse putamus : idcirco fraternitatem tuam officii sui memorem, oportet omni studio ac labore sui curam gregis diligenter invigilare, ut qui animarum in tua diœcesi, mortis vel belli clade, vel aliis de causis invaluerunt, his spiritualis medicina, atque curatio, per te, animarum istarum pastorem, adhibeatur : qua in re nihil æque proderit, ac decretorum sanctæ generalis Synodi Tridentinæ fidelis ac diligens observatio. Hæc igitur, quæ adeo mature ac pie, Deo auctore, constituta sunt, et ubique servari jussa, omni studio enitere, ut in tua diœcesi, non modo ad effectum perducantur, sed etiam, quantum fieri potest, in usum adducantur. Cleri tui, cæterorumque tuæ diœcesis hominum mores corruptos depravatosque, quantum in te est, corrigere : peccata publica, si quæ forte apud eos sunt, extirpare festina : cura, ut doctrinam Christianam, per eos, quos oportet, idoneos sacerdotes, populus addiscat, ut ad audiendam Dei vocem, præsertim diebus festis, frequentibus hortationibus excitetur. Catechis-

maxime fieri poterit, in via Dei instituatur, nihilque earum rerum prætermittatur, quas pascendo animarum gregi, fidei tuæ commisso, utiles atque accomodatos fore putaverit. Non sit clero tuo aut cætero populo passim in qualibet re excedendi licentia, sed tuo regimine, tuaque providentia, in officio bonisque moribus, etiam pœnæ metu, contineatur. Denique assidua populi tui adhortatione, sic proficere stude, ut verbi tui fructum, quem ex eo fueris operatus, in suis horreis divinus ille condat agricola. Quam quidem ad rem, cum fraternitatem tuam, ut facimus, vehementer hortamur atque excitamus, non sane pietati tuæ, aut juvandam animarum studio quidquam diffidimus; sed tum officio nostro fungimur, tum fraternitatis tuæ, his bonis operibus, merita apud Omnipotentem Deum crescere cupimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die iv Maii MDLXIX. Pontificat. nostri anno iv ».

83. Hieronymum hunc Leonium, patria Anconitanum, ab ipso Pio creatum episcopum Sagonensem, sub die decima Januarii MDLXVII, refert Ughellius¹. At, cum Pius compertum haberet, episcoporum conatus infirmos prope futuros, nisi iis fulcendis promovendisque, secularis potestatis auctoritas accessisset; idcirco, quæ ad episcopos scripserat, duci ac Genuensi Reipublicæ² significavit, monens eos, ut eorum studiis adjuvandis incumbere, eaque occasione, quæ ad animarum salutem, ipsi quoque præstare debuissent, sequenti Epistola docuit :

« Dilectis filiis nobilibus viris, duci et gubernatoribus Reipublicæ Genuensis.

PIUS PAPA V.

« Dilecti filii etc. Scripsimus ad venerab. fratres nostros Corsicæ insulæ episcopos, singulosque diligenter hortati sumus, ut quoniam post tam diuturnum luctuosumque bellum, Omnipotentis Dei misericordia, vestraque benignitate, populis illis pax data est; ad officium suum, hoc pacis tempore, Ecclesiæ propriæ præstandum diligenter incumbant : quod quidem facturos eos esse vobis confirmaveramus his litteris, quibus superioribus diebus ad vestras litteras respondimus. Sed, quoniam plerumque episcoporum omnium, in pascendo grege sibi tradito, labor ac diligentia debilis ac manca esse solet, nisi temporales rerum domini, quas imperii vires, ad juvandam spirituale potestatem a Deo acceperunt, ejusdem Omnipotentis Dei servis sacerdotibusque impendant : idcirco vos, his nostris litteris, vehementer hortamur et rogamus, ut fratribus vobiscum nostris, ad ea exequenda, quæ quisque in sua diœcesi stamus ei vulgari sermone editus, legendus proponatur : prædicationibus, lectionibus, quam

¹ Ughell. Ital. Sac. — ² Ex Archiv. Vaticano sign. num. 3906.

tunda corrigendaque esse decreverit, per civitatumstrarum Corsicæ rectores, gubernatores cæterosque officiales, omne vestrum auxilium favoremque, prout opus fuerit, propense ac studiose semper præstetis. Nam, præterquam quod vestra in Deum pietate, et erga nos Sanctamque hanc Sedem reverentia, dignum officium facietis; præterea, pro ejus insulæ possessione, Dei bonitate recuperata, neque ulla vos magis, quam hac ratione, divinæ suæ bonitatis gratiam referre, neque ullis hominibus opem atque auxilium vestrum justius impendere potestis, quam his, quorum unius opera, confecta pace, illius insulæ populi in vestram potestatem redacti sunt; quod vos quoque vestris ad nos litteris, quemadmodum gratos homines decet, confessi estis. Date igitur operam, ut Dei servorumque ejus beneficii memores, uno eodemque facto, et divinam in vos beneficentiam agnovisse, et hominibus bene de nobis meritis, gratiam retulisse videamini. Illud etiam vos, et pro paterna nostra in vos benevolentia, et pro commisso nobis, quamvis indignis, officii munere monemus, ut ad regendas Corsicæ civitates, homines mittatis eos, qui et Deum timeant, et avaritiam oderunt. Præterea, ut scholarum magistros provideatis, homines Catholicos, bonisque moribus præditos, qui Catholicæ fidei professionem faciant, antequam ad docendum admittantur, a quibus illius insulæ pueri, quique grandiores etiam nati sunt, non solum Grammaticam, reliquasque ingenuas artes, sed multo etiam magis pietatem bonosque mores addiscant; ut quemadmodum vere Christianos populorum rectores decet, eorum qui imperio vestro subiecti sunt, non solum bono regimini, sed etiam moribus bonis consulatis: quod putabamus quidem, vos, pro vestra pietate prudentiaque facturos esse; sed tamen ad hoc hortationem nostram, nec inutilem, neque injucundam vobis fore putavimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV Maii MDCXIX, Pontificat. nostri anno quarto ».

84. At, sicut episcoporum Corsicæ studia commendanda adjuvandaque Pontifex sui muneris esse censuit; sic et contra perstringendam segnitiam existimavit archiepiscopi Genuensis¹, quod diebus festis servilia exerceri, ipsaque debita reverentia non coli sinceret. Epistola ad ipsum scripta sic se habuit:

« Ven. fratri, archiepiscopo Genuensi.

PIUS PP. V.

« Ven. frater etc. Ad aures nostras, non sine magno animi nostri dolore, pervenit, negligentia tua fieri, quominus dies festi, quos tam nova quam veteri Lege divini cultus causa institutos esse constat, in ista, cujus archiepiscopus es,

civitate, observentur, negliganturque non solum sanctorum festivitates, quas sancta Mater Ecclesia solennes esse atque observari præcepit; sed etiam dies festi, qui in Dei honorem sunt instituti, a quarum observatione, præterquam quod divini juris sint, nec nos quidem dispensare cum aliquo possumus. Qua in re eo negligentia major est culpa, quo, et istius civitatis homines propensiores ad Dei Omnipotentis cultum esse comperit habemus, et eorum, qui Reipublicæ isti præsumunt, præcipuum Catholicæ religionis studium, neque ignotum, neque obscurum nobis est; ut quod hucusque hac in re peccatum est, id nullius hominum culpæ, sed incuriæ tuæ tribuendum a nobis esse videatur. Itaque fraternitatem tuam in Domino hortamur, ut quod hucusque, in re tantopere ad Dei obsequium pertinente, prætermisum est, corrigere studeat, mandantes tibi, ut dies omnes festos, quorum observationem sancta mandavit Ecclesia, ea, qua decet, divinæ Majestatis reverentia, sanctorum suorum honore, custodiri et observari cures; sic ut in eis, non modo homines ab operibus abstineant, sed a rebus quoque contrahendis acquiescant. Quam quidem ad rem, si modo opus fuerit, dilectorum filiorum, ducis et gubernatorum istius civitatis auxilium tibi minime defuturum, pro certo habemus. Ita igitur, et hac in re, et in cæteris, quæ ad officium tuum pertinent, exequi stude ea, quæ ad Dei Omnipotentis gloriam, et animarum fidei tuæ commissarum salutem exequenda sunt; ut tuam posthac operam et diligentiam, magis quam adhuc potuimus, laudare in Domino debeamus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vii Julii MDCXIX, Pontific. nostri anno quarto ».

85. *Cosmus Medicus creatur Magnus Dux Etruriæ.* — Hoc fide dissidii imposito, quæ in Corsica armis agebantur, controversiam etiam quoque modo finiendam Pontifex existimavit, quæ inter Alphonsum Ferrariæ ac Cosmum Florentiæ duces, ob dignitatis prærogativam, diu agitata fuerat; quæque inter Pontificem ipsum ac imperatorem, discordiæ fomitem ministrare videretur, eam causam, hinc Pontifice, inde Cæsare ad se trahente; cum Ferrariæ Ecclesiæ feudum, ideoque Pius ejus ducem sibi subditum; Florentiam, e contra, imperator, non liberam, sed imperio subditam esse contenderent. Cosmi igitur instigatu, cui in occulto, ultra modum Pontificem favisse, dicit, hanc causam insigni præjudicio et ad manifestam Alphonsi injuriam Pium jugulasse, scribit Thuanus¹, dum emissio Diplomate, sext. kal. Septemb. Pius idem præfatum Cosmum Magnum Etruriæ ducem creavit: quod factum, a Pontifice æquitatem et animi moderationem professio, insolens

¹ Ex Archiv. Vatican. Ibid. ut supra.

¹ Thuan. Histor. lib. 48. pag. 644.

plerisque visum fuisse asserit. Verum, factum ipsum, (quod Gabutius alique narrant) manifeste ostendit, nemine prorsus instigante, Pium ea dignitate Cosmum decorare decrevisse, ac futiles Thuani excogitationes patefacit. « Cum enim, (inquit Gabutius ¹) ad Catholici nominis hostes in Gallia debellandos, Cosmum Medicem, Florentiæ ducem, adjumenti plurimum attulisse (prout inferius) cumque, et Christianæ Reipublicæ tuendæ salutem, et Apostolicæ Sedi, obsequio perpetuo intentum esse animadverteret, ipsum atque successores ejus omnes ad altiorum honoris gradum provehere, Magnique Ducis Etruriæ provinciæ, sibi pro maxima illius parte subjectæ, titulo insignire, pro potestate constituit: cum, ut piam liberalissimi principis, ac domus clarissimæ, in Ecclesiam Dei beneficentiam ac merita, honorifico grati animi officio prosequeretur; tum etiam, ut cæteros Catholicos, ac principes viros, ad ejusmodi in Christianam Rempublicam, sive subsidia, sive beneficia, pro tempore conferenda, illustri remunerationis genere provocaret. Nihil tale Pii temporibus procurante Cosmo, ne ab eo id se impetratum cogitante; sed totum id, ipsius tantum Pontificis curatum arbitrio est. Etenim eodem ipso bello Gallico, conflato jam ac prope confecto, Comitem Sanctæ-Floræ rogabat Galliarum rex, ut Pontificis, Cosmice auxiliariæ copias, quibus ille præerat, ultra constitutum sibi tempus, in alios tres menses in Gallia contineret. Comes ea de re ministrum suum ab Epistolis misit ad Pium, qui sibi gratum quidem esse respondit, milites suos illic ejus subsidii causa commorari, sed de Cosmi cohortibus se non posse ultra præstitum tempus, quidquam decernere, neque oneris illi plus imponendum videri: nam Cosmum cumulate satis officio fecisse suo, cum præsertim ille, suadente se, centum et amplius nummum aureorum millia, in ejusdem belli subsidium, Gallorum regi commodasset. Mox Comitibus nuntio Pius imperavit, ut cum ejusmodi explicatione consilii rediret in Galliam, Florentiamque prætergrediens singillatim de rebus omnibus ducem certiorum faceret. Dux autem eo accepto nuntio; Non erat, inquit, cur Pius hoc de me sibi polliceri vereretur: non solum enim subsidiarios meos cum Pontificis copiis, quandiu voluerit ipse, in Galliis, pro Catholica religione permanere curabo; sed etiam, eo jubente, operam in illo bello meam ei navare, et quidquid ex ditionibus meis subsidiorum cogi poterit, prompte suppeditandum polliceor deferere libentissime. Quod, cum per litteras nuntius Pio significasset, oculos ipse convertit in Christi de Cruce pendentes effigiem; junctisque manibus, supplex Deum oravit. ne permitteret, se tristem obire diem suum, sicuti conti-

gisset, nisi per occasionem sibi in Cosmum, de Sancta Ecclesia Dei optime meritum, grati animi significacionem dare licuisset. Subinde, cum ei veniret in mentem, temporibus superioris Pontificis agitata esse de augendo Cosmi titulo, ea de re, ubi diligentius cognovit, eum, aliis principibus non admonitis, Magnum Ducem creare decrevit etc ».

86. Sic Gabutius, ex quo certe miræ Thuani excogitationes diluuntur; qui etiam contra æquitatem, atque ad manifestam Alphonsi injuriam, causam ejus hac ratione jugulatam fuisse scribere non debuisset, quod delatus a Pontifice Cosmo honor extra causam fuerit: ac incerto ejusdem causæ (si tamen velit honorem eundem ad eam pertinuisse) judicio, manifesta injuria Alphonso facta dici nequiverit; cum prærogativam dignitatis manifeste Alphonso eidem defendendam esse, non manifeste constaret, imo probabilius ad adversarium spectaret; tum demum, quod ejusdem causæ tunc Pontifex iudex non esset, sed, ut anno præterito diximus, totum suum, ipsam cognoscendi, jus, ejusdem Cosmi precibus, in Maximilianum contulisset; unde extra illius judicium fuerit, quod Pius egit: et ea procul dubio potestate, qua æquo principi licet, digna animi gratitudine, beneficia prosequi, ac pro Republica bene acta, congrua sunt remuneratione decoranda.

87. Ut vero æquitati, sic pariter nec animi moderationi, quam Pius profitebatur, factum id contrarium fuisse, dicitur sequenti anno, cum illud gravissime tulisse Maximilianum, narrabitur. In regio autem diademate, quod nova et exquisita forma depingi Pium curasse, Thuanus dicit; novæ procul dubio congruentia dignitati, hæc verba ab se dicta inseribi voluit:

*PIUS V. PONT. MAX. OB EXIMIAM
DILECTIONEM, AC CATHOLICÆ
RELIGIONIS CAUSÆ
PRECIPUUMQUE JUS-
STITIE STUDIUM
DONAVIT.*

88. Amplissimo hinc Diplomate ¹ collatæ dignitatis munus firmare voluit, quod hujusmodi fuit:

« Pius episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

« Romanus Pontifex, in excelso militantis Ecclesiæ throno, disponente Domino, super gentes et regna constitutus, post perlustratas, suæ indefessæ mentis acie, orbis Christiani provincias, circumspecta sua providentia præclaros ac principes viros, qui de Sancta Sede Apostolica et fide Catholica benemeriti videntur, singulari suæ benignitatis clementia, quantum sibi ex alto conceditur, augere, eosque insignibus, ornamentis ac speciosis honorum titulis deco-

¹ Gabut. Vit. Pii li. 3. cap. 16. pag. 118.

¹ Extat in Bull. Const. 88.

rare atque illustrare consuevit: necnon alias disponit, prout temporum, locorum, et personarum qualitate pensata, conspicit in Domino salubriter expedire.

« §. 1. Sane, cum nos, his nostris luctuosissimæ tempestatis diebus, animo nostro, diu multumque gravissimo cum dolore versaremur, quot et quante pestiferarum hæresum sectæ quotidie undique erumperent, diraque et exitiosa perditorum hominum a fide Catholica aberrantium semina passim serperent et usquequaque propagarentur; omnia Italiae loca circumspicientes, Etruria provincia, nobilitatis decore, et antiquitatis nomine a maioribus celebrata, cujus maxima pars, quæ nobis et ipsi Apostolicæ Sedi subjecta non est, ab omnibus fere lateribus ditioni nostræ Ecclesiasticæ contermina atque conjuncta existit, nobis præcipue occurrit, quam divinæ primùm bonitatis gratia, sollicitudineque ac vigilantia nostra, deinde præstantissimi ac religiosissimi ejus principis virtute, consilio, diligentia, præ cæteris intactam et incorruptam, ab hujusmodique perniciosâ labe et contagione, sartam tectam conservatam esse conspicimus.

« §. 2. Huc accedit, quod profecto magnopere nos movet, Sedem Apostolicam, cum ob regionis vicinitatem, tum propter loci opportunitatem, gravissima plerumque obsequia, atque etiam commoda, subministratis ab Etruscis auxiliis, a multis jam ante seculis recepisse: idque complures Romanos Pontifices, prædecessores nostros, et præsertim fel. rec. Innocent. IV, Clementem etiam IV, Gregorium X, Benedictum XI, Martinum V, et Leonem V luculenter testatos fuisse; adeo ut, tam eandem provinciam, quam ejus rectores et magistratus, ob peculiarem eorum erga Romanam Ecclesiam devotionem et observantiam, propenso paternoque affectu, variis gratiis, honoribus ac privilegiis jure colonestandos atque ornandos esse duxerint.

« §. 3. Quibus rebus, debita meditatione mature consideratis, attendentes quoque in primis, quod dilectus filius, nobilis vir, Cosmus Medicis, Reipublicæ Florentinæ dux, majorem in dies suæ eximiæ virtutis splendorem, ferventiorumque Catholicæ religionis cultum, et in administranda justitia præcellens studium, ex eo tempore quo imperare cœpit nusquam prætermisissimum, laudabiliter præ se ferre non cessat; quod, omnibus in occasionibus, nobis ac prædecessoribus nostris, et Apostolicæ Sedi, prompto ac libenti animo obsequi semper studuerit. Quod nos, et eandem Sedem, ab ipso nostri Pontificatus initio, continuato dictæ reverentiæ honore coluerit, mandatis nostris filiali obedientia paruerit, honestis nostris petitionibus obsequen tissime morem gesserit. Quod a nobis requisitus, cœpta nostra, pecunia, pedi-

latu equitatuque alacriter juverit, præsertim pro ferendo auxilio charissimo in Christo filio nostro Carolo Francorum regi Christianissimo, adversus ejus rebelles et hæreticos. Centum etiam aureorum millia, ultra alia, illi mutuando, hortatu nostro id fecerit; quod major, si usus venerit, ad Catholicæ fidei defensionem et incrementum, se præstaturum ultro pollicetur.

« §. 5. Quod, pro inclyta ejus in Deum pietate, superioribus annis, Militiam Sancti Stephani, ad sanctæ fidei exaltationem ac propagationem instituerit, bonis ditaverit et ampliaverit.

« §. 5. Quod universæ prope provinciam Etruscæ, imperscrutabili Dei judicio, ad summæ dignitatis potestatem civium Florentinorum assensu vocatus, felicissime præsit ac domineur. Quod delatum sibi admirabiliter principatum, admirabiliter regat et moderetur, illumque incomparabili prudentia ac sapientia, in pacis ac justitiæ amœnitate, ab ineunte ejus ætate, diligentissime contineat et conservet.

« §. 6. Quod terra marique præpotens existat. Quod piratis, facinorosis, sicariis, quietis et otii turbatoribus, necnon nostris et hujus Sanctæ Sedis rebellibus, et adversariis, hostis acerrimus, scelerumque et delictorum severus vindex sit. Quod numerosa ac frequentem populorum ei subditorum, Deo benedicente, multitudine, copiosis grandibusque redditibus, et amplissimis proventibus gaudeat et fruatur. Quod validus peditum et equitum numerus in omnes usus ei præsto semper esse possit. Quod quamplures florentissimas urbes, tam cathedralium quam earum nonnullas metropolitaram Ecclesiarum dignitate insignes, ac studiorum generalium Universitatibus ornatas; munitissimos portus, validissimas arces, loca tutissima, triremium classem paratam, et instructam, tam ad Tyrreni sui maris, quam etiam ad nostræ oræ maritimæ tutelam habeat. Quod rerum omnium copia, ditioris amplitudine, locorum ubertate, continua vitæ felicitate, demumque gentis celebris admodum et opulentæ viribus firmissime subnixus vigeat. Quod cuncta hæc ipsa bona, per immensam Dei Omnipotentis benignitatem, sibi elargita, ad divinum honorem et gloriam, paratissima semper fore profiteatur.

« §. 7. Quod absoluta potestate, ratione liberi et directi domini Florentini, nemini sit subjectus, ita ut, juxta distinctionem piæ mem. Pelagii, similiter Romani Pontificis, prædecessoris nostri, uti rex, et magnus dux, ac princeps merito existat, et inter cæteros magnos duces ac principes, re ipsa esse, censei et connumerari possit et debeat.

« §. 8. Nos igitur, tot ac tantis rationabilibus dignisque de causis, clarissimis quoque ipsius Cosmi ducis erga nos et Sedem eandem meritorum et officiorum monumentis inducti.

firmaque spe freti, quod is et ejus successores, collati nostri in eos beneficii memores, debitum nobis futurisque Romanis Pontificibus, grato animo, fidei ac devotionis sinceritatem perpetuo exhibere conservareque studebunt. Attendentes etiam, quod sane plurimi facimus, dictum Cosmum ducem, ac dilectum filium nobilem virum, Franciscum, ejus filium primogenitum, arcibus admodum affinitatis, sanguinis et necessitudinis vinculis, cum charissimo in Christo filio nostro Maximiliano in imperatorem electo, et maximis Christiani nominis stirgibus conjunctos esse; eosque a nobilissima stirpe Medicea, multis honoribus et titulis decora, et ex qua tot illustres proceres ac tres Romani Pontifices prodierunt, ortum habere. Propterea eundem Cosmum ducem specialibus favoribus et gratiis paterne benigneque prosequi volentes, ipsamque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, motu proprio, non ad ipsius Cosmi Ducis, seu alterius pro eo nobis super hoc oblata petitionis instantia, sed ex certa scientia, matura deliberatione, et mera liberalitate, nostra ac de supremæ nostræ Apostolicæ potestatis plenitudine, tam dilectorum prædecessorum, quam etiam Alexandri III et innocentii pariter III ac Pauli IV similiter prædecessorum nostrorum, qui Portugallia, et Bulgarorum, et Blancorum, necnon Hiberniæ reges, et ut tunc dux Boemiæ, rex in suis litteris nominari posset, respective crearunt, constituerunt et concesserunt; aliorumque Romanorum Pontificum erga diversos principes, exempla sequentes, vestigiisque inhærentes, ut potissimum cæteri principes, hoc exemplo incitati, ad bene de hac Sancta Sede promerendum incitentur; eundem Cosmum ducem, ejusque successores, pro tempore existentes, duces, perpetuis futuris temporibus, in magnos duces et principes provinciæ Ethuriæ, sibi, pro maxima illius parte subjectæ, et in ipsa provinciæ respective; auctoritate Apostolica, lenore presentium, creamus, constituimus, pronuntiamus, declaramus, magnorumque ducum Ethuriæ provinciæ, ut præfertur, ejus subjectæ, nomine, titulo et denominatione extollimus et amplificamus; necnon eos dictæ Ethuriæ provinciæ eis subjectæ, magnos duces et principes ab omnibus nominari, appellari, inscribi, dici, haberi, censi et tractari debere, volumus, præcipimus ac mandamus; atque Cosmum magnum ducem, ejusque successores præfatos, omnibus et singulis exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, præeminentiis, prærogativis, indultis, privilegiis, aliis-

que quibuslibet gratiis et honoribus, quibus alii vere liberi et directi domini, ac magni duces et principes, etiam ducati, aut alia quavis etiam majori dignitate præfulgentes, ac quacumque libera et absoluta potestate fungentes, in genere vel specie, in quibuscumque locis, pompis, sessionibus, celebratibus, cæremoniis, et actibus publicis, vel privatis, tam de jure, quam de consuetudine, etiam in aula nostra Vaticana, et ubique terrarum, etiamsi aliqui magni et similes duces et principes præsentés fuerint, quoque modo utuntur, potiuntur et gaudent, seu uti, frui, potiri et gaudere in futurum quomodolibet poterunt et soliti sunt; non quidem ad illorum instar, sed pariformiter, et absque illa prorsus differentia, uti, frui, potiri et gaudere posse et debere.

« §. 9. Et insuper, in evidens clarumque propensæ nostræ voluntatis erga dictum Cosmum, magnum ducem, testimonium, certamque dilectionis significationem, cum amplioris quoque gratiæ et favoris prærogativa maxime dignum censentes, ut juxta sententiam Clementis Quarti, prædecessoris nostri prædicti, ex majori decore ornatuum, majoritas appareat dignitatis, ipsum Cosmum, magnum ducem, et ejus successores hujusmodi, regali corona, ut inferius depingi mandavimus, quas super eorum gentilibus insignibus, ad illustrius nobilisque ipsorum decus et ornamentum uti, eamque portare, ferre, et gestare, depingique, et insculpi facere, libere et licite possint et valeant: motu, scientia ac potestatis plenitudine similibus, decoramus, exornamus et insignimus, decoratosque, exornatos et insignitos fore et esse.

« §. 10. Præsentesque litteras, de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, seu quocumque alio defectu, ex quavis, etiam quantumlibet justissima, et urgentissima, rationabilitate causa, nullo unquam tempore, a quopiam notari vel impugnari posse; sed illas validas et efficaces perpetuo fore et esse, suosque plenarios, totales et omnimodos effectus sortiri posse ac debere, in omnia et per omnia, ac si consistorialiter, ac de fratrum nostrorum consilio factæ, et in ipso consistorio nostro secreto lectæ fuissent.

« §. 11. Sicut per quoscumque judices, etiam imperiali, regia, ducali, vel alia quovis excellentia ac dignitate præditos, et alios commissarios, qualibet auctoritate fungentes, etiam causarum sacri palatii nostri auditores, et S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, sentiendi, definiendi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari, definiri et interpretari debere, ac quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit

attentari, irritum et inane decernimus et declaramus.

« §. 12. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus et ordinationibus.

« §. 13. Salva nihilominus in nostris dictæ provincie civitatibus et locis, nostra et Romanæ Ecclesiæ auctoritate, jurisdictione et potestate; necnon imperatoris et regum superioritate, jurisdictione, ac quibusvis iuribus respective in locis mediate vel immediate eis subjectis; et citra aliquod præjudicium civitatum, terrarum et locorum in eadem Ethruriæ provincia, consistentium, quæ non sunt ditiones dicti Cosmi ducis, nec ei quomodolibet subjecta sunt, neque aliquo modo obediunt.

« §. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc etc.

« Datum Romæ, apud S. Petrum, sub anno Piscatoris, anno Incarnationis Dominicæ MDLXIX, sext. kal. Septembris, Pontificat. nostr. ann. quarto ».

Ad magis autem honestandum Cosmum, Diploma id ad eum misit, per Michaëlem Bonnellum, cardinalis Alexandrini fratrem, suumque ex sorore nepotem; quem venientem Cosmus (ut Tarcagnotta ¹ refert) et uti par erat, ingenti honore excepit. Die tandem festo S. Lucie, Francisco cardinali Medicæo præsentante, astantibusque cum Apostolico nuntio principum oratoribus, quadraginta et octo viris, Florentino magistratu ac innumera nobilitatis multitudine, illud Bonnellus Cosmo dedit, ipsumque, Pontificis nomine, magnum Ethruriæ ducem renuntiavit; editis eo die Florentiæ totaque Ethruria ingentibus lætitiæ significationibus. Paulo post deinde Cosmum, ad novæ dignitatis insignia suscipienda, Romam evocatum venisse, anno sequenti dicitur.

89. *Finalenses Corettum marchionem recipere detractant.* — At, dum Pontifex nova principem Cosmum dignitate ornat, imperator frustra committitur, ut Alphonsum Carettum Finalis marchionem, in suum principatum restituat, ac in sua dignitate conservet. Cum enim, jam ab anno MDLXVI, in Augustanis comitiis, Finalensibus ipsemet imperasset, ut depositis armis, quæ contra eumdem Alphonsum sumpserant, huic, sub perduellionis pœna, se subderent, illique nuntio ejus obedire detractassent; non aspersionis auctoritatis, non multo post alios miserat, qui eadem præciperent, et gravissima quæque, nisi parvisset, illis interminarentur. Verum, cum hi, nec minis, nec alia quavis ratione, cum Finalensibus profecissent, tandem Cæsar in eam sententiam descendit, ut tanquam in parum imperatoris potestatis observantes, in Finalenses ipsos vi ac armis agendum existimaret. At ab ea cogitatione, tum graviore

curæ, tum Italicorum principum preces revocant, qui a parvo igne, magnum posse incendium excitari pertimuerunt; cum præcipue Gallici Ugonotti, quamlibet occasionem aucupari cognoscerent, qua Italiam divexare valerent; et e contra Finalensium pertinacia eo pervenisset, ut ad qualibet ac quavis ratione audenda prona esset.

90. *Gallia regem et principes incendit Pius adversus hæreticos, promissis auxiliis.* — In Gallia, in hæreticos ac rebelles manifesta Dei vindicta apparuit; nec sibi defuit Pontifex, quin omnes ipsorum conatus prævertere, omni sedulitate curaret, viresque minuere satageret; utpote qui rerum usu jam pridem (ut toties vidimus) didicisset, frustra lenitate ac benignitate eorum savitiam lenire, ac temeritatem coercere lentatum, ac regis reginæque artes, nil ad emolliendam ipsorum duritiem profecisse, perspicue agnovisset.

91. Quia vero, priusquam hostes viribus accrescerent, illos rite opprimendos existimavit; ideo, ad celeriter obeundum contra eos bellum, quæque ad bellum necessaria videbantur paranda, totis viribus incubuit. Sciensque quanta apud Christianissimum regem Carolus cardinalis Borbonius auctoritate polleret, super hac re sequentis tenoris, sub hujus anni initium, ad eum litteras ² dedit:

« Dilecto filio nostro, Carolo, tituli S. Gregorii presbyt. cardinali, Borbonio vocato, Avinionensi de latere legato.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Facit prudentia tua, spectata in maximarum rerum actione, et auctoritas magna, quam merito apud charissimum in Christo filium nostrum regem Christianissimum obtines, in rebus istius regni gubernandis, ut in hoc nefario bello propulsando, quod hæreticorum impiorum prudentissimi duces, Omnipotenti Deo et Catholicæ fidei et isti Christianissimo regi indixerunt, omnium Catholicorum principum et nostri potissimum paterni oculi in te maxime sint intenti. Quæ res in causa est, ut nos, qui, pro sollicitudine nostra pastoralis, paternæque rerum istius regni cura nullum prætermittere apud te officium, hoc tam necessario tempore cupimus, quod religionis causam tantopere in istis partibus periclitantem adjuvare possit; pro qua etiam, oblata occasione, libenter morti parati sumus; te per litteras vehementer hortandum atque excitandum esse existimemus, omnem ut curam, operam, auctoritatemque tuam conferas ad eam rem, ut quamprimum ea comparentur atque expediantur, quæ ad profligandos Dei regisque infensissimos hostes necessaria sunt, sine quibus, neque administrari celeriter bellum, neque confici potest; ut

¹ Tarcagnot. Hist. part. 43. lib. 13. pag. 216.

² Apud Goub. Epist. lib. 3. Epist. 4.

omnibus hominibus manifeste ostendas, neque voluntatem tibi, neque facultatem defuisse, qua, et fidei Catholice, in istis partibus tantopere laboranti, auxilium ferres, et imminenti istius regni ruinæ occurreres, atque obviam ires. Nam, si rei primo quoque tempore bene gerenda occasio amittatur, spatiumque hostibus detur, ad majores his, quas nunc habent, copias sibi comparandas; valde timemus, ne victoria ipsa, quam neque multo labore, et sine periculo obtinere difficile fortasse non fuisset, e manibus amissa, res eo deducatur ut rex (quod Deus avertat) in vite suæ discrimen, regniq; amitendi periculum veniat. Non enim aliud proficitur, differendis de die in diem apparatusibus, cæterisque rebus tarde expediendis, quæ ad celeritatem victoriæ conferunt, nisi quod, et ararium regium magis magisque in dies exhauritur, ut suppeditandis bellicis sumptibus postea sufficere non possit, et hostium vires quotidie magis augeantur: et quod negotium adhibita celeritate facile atque expeditum foret, id periculosissimum atque impeditissimum tardando efficiatur. Quamobrem, cum te ipsum hortamur atque excitamus, tum Christianissimum regem et reginam, cæterosque omnes, quæ necesse esse existimaveris, ei quorum illi opera in hoc bello utuntur, ipse quoque vehementer, ad eandem rem hortaris atque incendas, abs te vehementer petimus. Cujus quidem tui facti voluntatisque, non minor futura est apud omnes homines laus, quam victoriæ gloria, tam pro quiete securitateque istius regni stabilita, quam pro religione Catholica, in eodem regno, opera tua, constituta ac propagata. Qua quidem re, nihil accidere potest nobis gratius aut optatius, neque tibi gloriosius aut honestius. Magnitudo rei, et rerum istius regni in extremum discrimen adductarum pericula longiorem orationem fortasse desiderant, sed tuum spectatissimum Catholice religionis studium, et divini honoris zelus, nobis non ignotus, non patitur nos pluribus verbis hæc de re tecum agere; et quamvis habeamus pro comperto, te tanta in Deum pietate præditum, tua sponte satis paratum fore ad subveniendum, tam necessario tempore, istius regni periculis, tamen non parum quoque apud te paternam nostram hortationem valituram esse putamus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xvii Januarii MDLXIX, Pontificatus nostri anno quarto ».

92. Nec apud cardinalem Borbonium tantum egit, ut omni sollicitudine, quæ ad bellum gerendum necessaria essent compararentur; sed etiam apud cardinalem Lotharingium, cum quo insuper acriter conquestus est, quod impune in regno Gallie, quo e Belgio profugus se receperat, princeps Auriacus grassari permitteretur; nec insuper (uti opus erat perque utile) hæreticorum bona nondum, uti oportuerat,

fuisse publicata; cum ex hoc plures, ab ipsorum hæreticorum societate ac conjunctione abalienari potuissent ipse censeret: quod etiam faciendum eo magis existimasse ducimus, quod circa id tempus, Condæus ac alii cuncta Ecclesiastica bona, in locis quorum potiebantur, ad colligendam pecuniam, qua stipendia militibus persolverent, vendere veriti non fuerint, ut inferius etiam dicitur. Epistolam autem ad illum scriptam hic dare studio prætermittimus, quod apud Gaubium lib. 3. n. 5, habeatur impressa.

93. Præter has autem datas ad Borbonium et Lotharingium cardinales litteras, Pontificem legatos quoque misisse ad regem et ad cæteros ejus regni Catholicos principes, scribit Gabutius¹; eosque omnes, et convocare, et cohortari, et impellere non destitisse refert; ut nulla interposita mora, priusquam perditorum hominum augetur audacia, fortiter arma capienda decernerent, seque omnes, ad honorem divinum, ad regem suum, ad vitam, domos laresque proprios tuendos ac protegendos accingerent. Quibus ipse, in eam rem, et grandem pecuniam, et magnum equestrium pedestriumque militum numerum, auxilio missurum pollicebatur.

94. Et revera de ratione trajiciendi quamprimum, quem paraverat, exercitum in Galliam sollicitum, sub die sexta Martii hujus anni, ista ad ducem Alburquercium, Mediolanensis ditionis gubernatorem scripsisse reperimus:

« Dilecto filio, nobili viro, duci de Alburquerque.

PIUS PAPA V.

« Dilecte etc. Quamvis dilectus filius, serenissimi regni Catholici apud nos orator, rogatu nostro, his maxime præteritis diebus, nobilitati tuæ scripserit, ut in ista ditione locum nobis concederet, quo auxiliares peditum equitumque copias, quas clarissimo in Christo filio, Carolo Francorum regi, subsidio mittimus, tuto ac commode convenire congregarique possent: tamen, cum res ipsa, et periculi magnitudo celeritate indigeret, et a nobilitate tua nullum adhuc responsum venisset; consilium cepimus, ut id fieret in regione Montisferrati, qui locus ad ditionem dilecti in Christo filii ducis Mantuæ pertinet. Sed tamen, quia omnino milites ipsi nostri, non illi quidem manipulum, neque per acies, sed seorsum per se quisque iter facturi sunt per loca gubernationi regiminique tuo subjecta: idcirco his nostris litteris nobilitatem tuam hortamur et rogamus, ut commentatum præfectis, propria pecunia liceat, in locis istius ditionis, ea quæ exercitui necessaria fuerint, sibi militibusque emere, eaque in re omnem favorem auxiliumque tuum ita impertias, ut re-

¹ Gabut. Vit. Pii.

rum necessariorum comparandarum causa, diutius in ipsis locis morari non sit necesse, sed omni impedimento, moraque sublata facile et celeriter omnia expendantur, quæ ad maturandam exercitus in Galliam præfectionem opportuna fuerint. Qua in re præstanda, militibus ipsis isthæc transennibus, benigne tractandis, eorumque itineri, quibus poteris rebus, adiuvando, nobilitatem tuam hortatione nostra minime egere putamus: nam, et communis omnium Catholicorum principum causa, et rei periculique magnitudo, quemlibet hominem, nedum te, pro tuo in religionem Catholicam regemque tuum studio, excitare debet. Nemo enim est qui non videat, si in tanta Christianorum regnorum fere omnium perturbatione, Franciæ regnum, hoc tempore detrimentum aliquid acciperet; quanto in periculo cæterorum omnium Catholicorum principum satus, illorumque regna futura essent. His de causis addieli, confidimus te, omnem favorem omnesque commoditates præstaturum esse tum Ducii ipsi, tum militibus nostris. Hoc cum facies, non solum viri Catholici officio fungeris, sed etiam charissimo in Christo filio nostro, Hispaniarum regi, domino tuo, gratissimum facies; quod, ut omni studio, etiam nostra causa Sedisque Apostolicæ reverentia, agere velis, vehementer rogamus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vi Martii MDLXIX, Pontific. nost. ann. quarto ».

93. *Magna apud Januacum Francorum Catholicorum victoria: Pontificis summa lætitia et litteræ gratulatoriæ.* — Culpæ tamen, nec regis Galliarum, nec reginæ dandum id, de quo apud cardinalem a Lotharingia quæstus est Pius¹, Auriacum nempe impune versari in Gallia permissum. Nam, ubi Auriacus idem, toto Belgio ab Albano deturbatus, Gallias cogitavit, ut se Condæo aliisque seclariis adjungeret, id Gallis iisdem hæreticis flagitantibus, cum jam in limine esset, Cosseum offendit, cui rex præceperat, ut illum e regni ingressu prohiberet. Auriacus nihilominus Suessionas venerat, ac legato ad regem misso, adventus sui causam exposuerat. Qui prævertens, ut narrat Joannes Meursius² in ipsius Auriaci Vita, per Gasparem Schombergium quæsit: « Quid in Galliam cum ingentibus adeo copiis advenisset, ac vehementer, pro militiæ prisco more, non præmissum fecistalem; quod si, uti rumor ferret, in Germaniam transitum pateret, eum minime negaturum, modo ne pro hoste ageret. » Quibus Auriacus, prid. non. Decembris respondisse scriptor ipse refert: « Consilii sui certum pridem regem fecisse, neque vero tam recordem aut rerum imperitum esse, ut cum rege tam

potente arma experiri velit; quin, si ita videretur, quantascumque diceret copias, pro ipso militaturas, cui honorem et obsequium omne offerret; sed eorum, qui, ob puram religionem, quam amplexi, infestis plurimis, in exitio præsentissimo versarentur, ut periculo subvenirent, necessarium existimasse. Itaque orare, ut pro digna sua Majestate clementia, miseris hominum, quibus summi Dei gloria, vitæ quies, et fidei in regem obsequium in primis chara, promulgata semel edicta violatim permitteret ».

96. Inter hæc autem, plerosque equites et pedites Auriaci, præfato Scombergio agente, si Meursio sit fides, belli tædere cepit; quare, cum a principe ipso, Ludovico fratre, et reliquis ducibus monerentur, ut secum in interiorem Galliam contenderent, ut Ugonotis se jungerent; plerique summam inopiam, morbosque, et alia incommoda causati, missionem flagitarunt, atque ab hoc proposito ipsis minime recedentibus, coactus est idcirco Auriacus eos per Champaniam et Lotharingiam in agrum Argentinensem ducere, ubi, ut præterito anno adnotavimus, divenditis tormentis bellicis, cæterisque armis, et insuper suppellectilibus, et impedimentis omnibus, ex ipsorum pretio stipendia militibus distribuit, exercitumque dimisit. At, cum hæc omnia nondum accidissent, cum Pio delatum esset, Auriacum jam Galliarum regnum ingressum, Suessiones venisse, ipsumque forsitan lateret regis consilium, quo Auriacum ipsum et sua ditone arcere statuerat; ideo mirum non est, ad Lotharingum, quæ proposito minus scripsisse.

Quam rite vero, de hæreticis quamprimum opprimendis, tam anxium se Pontifex ostenderet, priusquam in immensum eorum facinora, nulla vi postmodum coercenda, multiplicarentur, religionemque Catholicam penitus deleterent: ea profecto declarant, quæ ipso hujus anni initio evenerunt; nam licet utrique exercitus, Catholicorum nempe ac hæreticorum, ut anno præterito diximus, in hiberna castra se recepissent, nihilominus prima Januarii, Rupellani in Pietonibus, S. Michaelis fano potiti sunt. Quo fere tempore Santera a regis oppugnata cum validissime restitisset; ideoque hi obsidionem solvere tandem compulsus essent; oppidani facto exultantes, ut hostibus infensi essent, Thebaldi Fanum, haud procul dissitum munierunt ac valido præsidio firmarunt; quo excussionibus commeatum, ac inter navigantes circumpositæ regionis commercium prohiberent.

97. His agitatur, aliisque, quæ per singula recensere longum esset; tum Pii consilii, periculi admonitus rex, quod sibi ab impiissimis hostibus imminere intellexit, prudenter ipsum præcavere satagens, undique sibi auxilia conquisivit. Misso igitur ad ducem Albanum, qui subsidia postularet, quod tunc res Belgicæ tran-

¹ Vita Pii V. lib. 2. cap. 8. pag. 68. — ² Joann. Meurs. Vit. Gulielmi Auriaci lib. 4. pag. 144.

quillæ esse viderentur, ab eo viginti quinque Hispanorum peditum signa ac duo millia equitum obtinuit sub duce Petro Ernesto Mansfeldio. A Republica Veneta centum aureorum millia mutuo petiit ac impetravit; ceterosque præterea Catholicos principes, ut pro cuiusque facultate, armis vel pecunia sibi subvenirent, enixe petiit.

98. Vicissim vero segniores in iis parandis, quæ ad bellum inferendum necessaria essent, hostes minime fuere; exercitus enim, tam in Germania, sub imperio Ulphangi, ducis Biontini, cui se Auriacus quoque adiunxit, quam in Galliis conscripserunt, quibus Catholicorum ausus repellerent. Ili pariter alii Germanorum copiis suffulti sunt; nam Philippus, Badensis marchio, cum mille ac quingentis equitibus, regi auxilio venit, cuius exercitus novis etiam subsidiis firmatus est, cum Claudius Sabaudius, Tendæ comes, cum tribus millibus peditum, et delecto equitatu sese illi adiunxit. Priusquam vero bellum adoriretur, magna ac celebris, ad opem divinam implorandam, ab regio sacello ad ædem usque cathedralem, habita supplicatio est. Post quam egressus dux Andius, totius exercitus præfectus, cum intellexisset, Pilæum hæreticæ partis tribunum, occupatis Bergeraco et Fidei fano, in Xantones movisse, ut se cum Condæo conjungeret; ut id prohiberet, per Pictones et Engolismensem agrum secundum Charentam amnem descendit, quasi Castrum novum oppugnaturus, et illac flumen trajecturus; hoc modo, inter Pilæum et Condæum, medium se interponens, cum alterutro certaturus, priusquam copias simul conjungerent.

99. Condæus, e contra, ad Logniacum progressus, Charentam trajecit, Castrum novum præsidium posuit, ut cum Pilæo et vicecomitibus copias ad Ligerim conjungeret, et Germanicum Biontini et Auriaci auxilium recipere posset; quod tamen, ut impedirent Aumalius, Nemorosius et Adretius, sese in Lotharingiam contulerant. Andius nihilominus rem ad prælium deducere maturat, cumque Logniacum Charentam transire non posset, per Rivierum tribunalum Tornacum occupat. Ad hic, Colinio superveniente, oppressus (ut Thuanus¹ scribit), oppido, quod fueri non poterat, relicto, in arcem se recepit. Verum ad eam statim, tormentis admotis, cum obsidione per aliquot dies sustinisset, tandem tempore elapso quo suppetias sibi adfuturas speraverat, hæreticis denuo arcem fradere compulsus fuit. Charentam nihilominus supra Engolismum trajecit Andius, Castrum novum in sui potestatem redigit, et copias ad Logniacum ducit. Sed cum intelligit Andelosium in urbem venisse, mutata sententia, Castrum novum, unde venerat, revertitur.

100. Andelosio autem ac hæreticis id inerat consilii, ut pontem Castrinovi refecti prohiberent; ideoque missus Admiralio, ut ipsius pontis caput occuparet, eique in mandatis datum, ut si hostis exercitum traduxisset, ipsius pontis defensione ommissa, sese cum suis in pacatum reciperet. Verum præverit Andius omnem Admiralii diligentiam, ut narrant Thuanus, Davila et fere scriptores omnes; inter quos ab Isselt hæc habet: «Andius copias suas omnes fluvium, Amiralio ignorante, traducit, qui cum periculum animadverteret, Condæum, qui Tornaci erat, de hostium diligentia certiore facit, eumque monet, ut se in tutum recipiat. Ipse cum copiis quas habebat equestribus hostes falsa spe pugnae detinuit; ut interea peditatus elabendi spatium haberet. Instant regii, cedit paulatim Admiralio. Cumque equitum peditumque suorum copias, quas Ponialtus ducebat, (quibus, eo quod hostibus essent viciniore, maxime timebat) extra periculum esse videt, sese Tornacum ad suos recipere cogitavit, Noeum et Lovam cum suis aliis, qui terga tuerentur, pene relinquens. Jamque Ugonottorum peditatus in pratium Tornaco proximum pervenerat, tutusque prorsus ab hoste videbatur; cum Mompenseriis, qui primæ aciei Catholicorum præerat, Ugonottos se recipientes et certamen detrectantes conspicalus, sexcentos equites, quorum Martignæus et Monsaleus præcipui duces erant, in turmas Noei et Lovæ immittit, qui tam acri impetu in eas invecti sunt, ut momento temporis perruperint, captis ducibus. Increbuit paulatim pugna, novis utrimque accedentibus copiis, et jam Andius Admiralio imminebat.

«Dum hæc minula prælia ferebantur, majores hostium cunei in conspectum Admiralii sese dederunt, donec se undique hostibus inclusum videns, ad Condæum, qui duobus passuum millibus inde aberat, propere mitit, de periculo, in quo, præter expectationem inciderat, certiore eum faciens, rem eo devenisse, ut sine prælio evadere non liceat, nec satis se virium habere ad hostium impetus sustinendum. Accurrit mox Condæus cum reliquis copiis, recrudescit pugna, accerim ac crudelissimum bellum committitur. Andius, ratus advenisse quam exoptaverat opportunitatem, nihil cunctandum arbitratus, in Condæi latas copiarum impetum facit, et obvios quosque prosternit; cadente tandem equo Condæi, ipse captus est a cathaphractis duobus Guisi. Condæus, e vestigio, mille duceos obtulit pro sui redemptione utrimque; sed supervenientibus aliis, centum millia nummum pollicetur; at detracta galea, tandem agnitus, sclopeti glande caput trajectus, in ipso pugnae loco occubuit, qui in equestribus armis expeditissimus cum esset, equi casu infelix fuit etc.

¹ Thuan. Histor. ut sup.

« Cadente Condæo, reliquæ copiæ, partim trucidatæ, partim captæ, aut fugatæ, nemo enim amplius de pugna, sed de fuga cogitabant omnes. Pugnalum est horas circiter decem, nunquam prælio intermisso; e regis trecenti desiderati sunt, ex Hugonotis duo millia, alii plures, alii pauciores numerant. Noeus, Lova, Subiza, Sanguillærens, et alii multi rebellium ductores capti, Mesangherus, Brandanierus et plures alii occisi: capta sunt Hugonottorum sexaginta vexilla peditum, signa triginta quatuor, muralia tormenta multa, et in his aenea duodeviginti, cum omni bellico apparatu. » Hactenus ille.

101. Turtura¹ vero scribit, nonnullos retulisse, quod, cum Condæus, equo cadente, se ab omnibus derelictum, ac præcipue a Coliniis, et in manus inimici se incidisse, dixisse: « Sero tandem se agnosceere, hæreticæ principis non diligere ». At hujus fides sit penes auctorem. Quod autem alii plures, alii pauciores in hoc prælio occisos numerent; scias Thuanum², e Protestantibus quadringentos, e regis numerum duplo minorem asserere perisse. Davila vero interfectorum considerabiliorem fuisse qualitatem, quam numerum, scribit; et ex Protestantibus quidem, septingentos, sed omnes fere nobiles, ex regis autem paucissimos interemptos refert. Turtura³ ac Bzovius quingentos dicunt; quadringentos Gabutius; nullus autem, præter ab Isselt, ad duo millia occisos fuisse adnotavit. Manifesta autem inter hos vindicta Dei, ut inuimus, super Condæum visa est; quod hoc anno ineunte, profano ausu, ad atendum exercitum, quem contra Ecclesiam ac regem nefarie conscripserat, Ecclesiastica quæcumque bona in provinciis a se occupatis exiissent, summo Dei ac regis majestatis (inquit Davila)⁴ spreto, super hoc Diplomatum insuper expeditis, distrabere præsumpserit; dignis idcirco, qui paulo post, decima tertia nempe Martii hujusmet anni, qua certamen accidit, offensi Numinis penas daret. Affirmat Thuanus,⁵ Audium, victoria tanta exultantem, post grates publicæ actas, etiam de sacello, in loco, in quo Condæus occubuerat, extruendo cogitavisse, auctore Claudio Sanctio, nobili concionatore, qui postea Ebroidensis episcopus fuit; verum a Francisco Camoenojo persuasum, qui romære, quasi ipsius jussu interfectus esset, ea re firmari aiebat, consilium mutasse dicit. Ipsum confirmat Bzovius. At nos hujusmodi ineptias refellendas censemus, nec loco, nec tempori, nec Andii prudentiæ, cujus in hoc bello gerendo summum specimen prætulit; nec demum his, quæ cum ipsius cadavere principis, sapienter indulgens tempori, egisse refert Davila ac alii,

nullatenus cohærere arbitramur; quin existimamus, captivum potius quam occisum Condæum, Audium maluisse; quod ex captivo commodi plurimum sibi ac regi sperare licuisset, ubi ex occiso parum aut prope nihil utilitatis accessit. Gasparem Colignium Admiralium, ejusque fratrem Andelotum in hoc certamine, non modo fugam arripuisse, sed vulneratos quoque fuisse, scribit Gabutius; ¹ at a scriptoribus cæteris id minime confirmari reperimus.

102. Andius autem statim regi victoriam hanc, per certos homines nuntiavit, et capta signa ad eum misit, qui legationes deinde ad cæteros principes mandavit, ac inter alios, ad Pium, de quo ista in illius Vita habet præfatus Gabutius:² « Hac audita victoria, Pius, Deo rerum bene gestarum auctori, quem ipse ob id assidue precabatur, ex intimis sensibus gratias agens, publicas supplicationes, quibus ipse, et clerus populusque Romanus frequens interfuit, statim decrevit; aliaque pia publicæ lætitiæ signa edicavit. Hac enim insigni clade Catholicæ religionis hostibus illata, spes quedam piorum animis erat injecta, fore, ut fracte inimicorum vires, ab impiis conatibus abstinerent, regnumque a bellorum tumultu conquiesceret. Subinde vero equestris militiæ signa duodecim, de hæreticis bello victis recepta, rex Carolus ad Pium transmisit, solemnibus verbis apud eum in publico patrum consensu per oratorem sumum; hanc se Deo victoriam, Pii precibus intercedentibus, acceptam referre, ac profiteri; ob idque vexilla ipsa, veluti grata pietique animi sui pignora, in Basilica S. Petri, primi Christi vicarii, cujus ipse Pius locum teneret, suspendenda misisse; divino fretus auxilio fore, ut ipsius Pontificis precationibus adjunctis, alia longe majora de hostibus spolia signaque, pietatis ergo, ad eum deferenda curaret.

« Quibus verbis Pius respondit: se optimam pii regis mentem summopere commendare; seque ad eum ejusque regnum, quibuscumque posset precibus et armis juvandum, semper fore paratissimum; signaque ipsa se libenter accipere, quæ mox magnis accepta cæremoniis, et in B. Petri ædem decore illata, adhibitis de more precibus, ibi supra novi templi portam, unde ea per annos duos et triginta pependunt, ad fuluram rei memoriam, collocavit. » Hæc Gabutius, quæ Firmanus³ in suo Diario confirmat: nam die vigesima septima Martii, Condæi mortis ac secute Ugonottorum cædis nuntium Romam fuisse delatum scribit. Quarta die vero Aprilis, celebratam, pro gratiarum actione, Missam, in Vaticana Basilica, ac postea ad Ecclesiam S. Spiritus in Saxia, supplicationem institutam refert, in qua Pontifex pedibus fuit: ac demum die

¹ Turtur. *Histor. lib. 4. Histor. pag. 196.* — ² Thuan. *lib. 45. pag. 570.* Davila *lib. 4. pag. 466.* — ³ Turtur. *ut supr. Bzov. Ann. p. 555.* — ⁴ Davila *ut supra.* — ⁵ Thuan. *ut supra.*

¹ Gabut. *Vit. Pii V. lib. 2. caput 7.* — ² *Ibid.* — ³ Firmam. *Diar. Mss. sub hoc anno 1569.*

vigesima tertia Aprilis, Galliarum oratorem, una cum nobili quodam a rege misso (qui Dominus de Montnoris extitit,) duodecim Pontifici vexilla obtulisse narrat : quae postea in S. Petri Basilicam delata ibique affixa fuisse affirmat.

103. At ipse Pius audiendus est in Epistolis, quas tunc ad regem, reginam parentem, Audium ducem, ac alios scripsit, quae, cum praelatum ipsius Catholicæ religionis ac fidei zelum declarant; hic ideo apponere non piguit :

« Charissimo in Christo filio nostro, Carolo Francorum regi Christianissimo ¹.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum optatissimum nuntium recepissemus, dilectum filium, nobilem virum ducem Andegavensem, majestatis tuae fratrem, adversus Dei et Ecclesiae hostes, tuosque rebelles, Deo adjuvante, rem prospere gessisse, ipsumque omnium turbarum seditio-nique caput, et haereticorum exercitus ducem occidisse; sublatis in caelum manibus, statim omnipotenti Deo humili corde gratias egimus, qui hac tibi victoria concessa, tantas misericordiae suae divitias, in nos benignus effudit. Tale tantumque divinae clementiae munus pio et grato animo agnoscere debet majestas tua, eique totum acceptum referre; qui et hostilibus suis tuisque cladem, cum voluit, immisit, et inimicum dexteræ suae forlitudine percussit. Sed quanto benignius tecum nobiscumque egit Deus, tanto enixius et diligentius, hujus occasione victoriae, emittendum est tibi, ut eorum, qui restant hostium reliquias persequaris atque conficias, omnesque tanti tamque corroborati mali radices atque etiam radicum fibras funditus evellas. Nisi enim penitus extirpatae fuerint, futurum est ut rursus pullulent atque unde majestas tua minime putat, quemadmodum antea toties evenisse vidimus, iterum renascantur. Quam quidem ad rem praestandam, utilissimum erit, si occupatis munitioribus Navarrae locis, et in eis firmis Catholicorum ac fidelium tibi praefectorum et militum praesidiis collocatis, providebis, ne qui ab ea parte, novi rursus belli tumultusque motus oriantur; quod ut facias, neque ullam amplius communibus hostibus, adversus Catholicos, sese commovendi facultatem relinquant, ita te, pro nostra paterna tui regniq; istius vera cura hortamur, ut nec majore animi studio, nec ardentiori tuae incoluitatis desiderio, hortari possimus. Hoc autem facies, si nullarum personarum rerumque humanarum respectus te in eam mentem adducere poterit, ut Dei hostibus parcas, qui, neque tibi unquam pepererunt. Non enim aliter Deum placare poteris, quam si Dei injurias, sceleratissimorum hominum debita poena severissime ulciscaris. Proponat sibi ante oculos majestas

tua, Saulis regis exemplum, qui cum a Deo, per Sanneglem Prophetam, jussus esset Amalecitas infideles populos ita percutere, ut eis nullo modo quavis de causa parceret; qui Dei voluntati et voci non obediit, regemque ipsum Amalecitarum incolumentum servavit, ejusque rebus melioribus peperit; paulo post, per eundem, a quo rex unctus fuerat, severe admodum increpitus, et denique regno ipso et vita spoliatus est. Quo quidem exemplo Deum admonere voluit omnes reges, ne, contempta suarum injuriarum ultione, ejus in seipsos iram atque indignationem provocarent. Quod si majestas tua, quem admodum semper fecit, rectis sensibus simplici-que corde, Dei honorem et Catholicæ religionis causam aperte et libere egerit, pro certo habeat, sibi Dei nunquam defulurum auxilium, donec dissipatis ejus inimicis, pristinus in isto regno religionis Catholicæ cultus, ad divini sui nominis gloriam, et animarum salutem, per majestatem tuam revocetur. Quod ut tibi nobisq; misericorditer dignetur concedere, quotidianis ab eo precibus humiliter rogamus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxviii Martii m̄dxix, Pontificatus nostri ann, quarto. »

104. Ad reginam, regis ejusdem Christianissimi matrem :

« Charissimæ in Christo filiae nostræ, Catharinae, Francorum reginae Christianissimæ.

« Charissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam benedictionem. Ut primum optatissimum lætissimumque nuntium accepimus dilectum filium, nobilem virum, ducem Andegavensem, natum tuum, praelio cum Dei et Ecclesiae hostibus commisso, rem prospere gessisse, illico, sublatis in caelum manibus, Omnipotenti Deo gratias humiliter egimus, qui, hac majestati tuae nobisque victoria concessa, eoque homine de medio sublato, qui omnium auctor seditio-nis, nefariiq; belli conciliator et princeps extiterat, tantas misericordiae suae divitias in nos effundere dignatus est. Habet majestas tua a Redemptore nostro singulare beneficium, pro quo, pio et grato animo ei semper gratias agat. Sed quo tecum et cum charissimo nobis in Christo filio rege Christianissimo, nato tuo, benignus egit; eo studiosius, ac diligentius majestas tua operam navare debet, ut, non solum hostium reliquias persequatur et conficiat, sed etiam, ut omnes tantæ tantæ corroboratae pestis radices penitus tollat atque evellat. Nisi enim funditus extirpentur, timendum est, ne quemadmodum reipsa antehac experti sumus, rursus pullulent; atque unde majestas tua minime expectat, iterum renascantur. Occupanda sunt monilia loca provinciae Navarrae, firmissimisque Catholicorum fidelium praefectorum ac militum praesidiis munienda in tutoque collocanda, ne quis ab ea parte no-

¹ Apud Goub. Epist. lib. 3. Epist. 10.

vus seditionum bellorumque motus existere possit. Nullo modo nullisque de causis hostibus Dei parcendum est, sed severe cum illis agendum, qui neque Deo, neque filiis tuis unquam pepercerunt; neque enim aliter Deus placari potest, nisi ipsius injurias justa ultione vindicaveris. Quod si majestas tua, quemadmodum luecusque fecit, recto animi sui sensu simplicique corde honorem Omnipotentis Dei quaesiverit, et Catholicæ Religionis hostes aperte ac libere, ad internecionem usque oppugnaverit; pro certo habeat, nunquam sibi divinum defuturum esse auxilium, majoresque etiam sibi, regique nato suo a Deo victorias paratas fore; donec deletis omnibus, exinde nobilissimo isti regno pristinus Catholicæ religionis cultus, ad sui nominis gloriam tuamque perpetuam laudem, restituatur. Quod ut aliquando nobis concedere dignetur, summis quotidie precibus est orandus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxviii Martii mdcxix, Pontificatus nostri ann. quarto ».

105. Ad ducem Andium sic scripsit :

« Dilecto filio, nobili viro, Henrico, duci Andegavensi.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Cum scriberemus ad charissimum in Christo filium, Carolum, Francorum regem, fratrem tuum, super optatissimo victoriae nuntio, quam Omnipotenti Deo, pro sua misericordia, placuit tibi nobisque concedere, præterire non debuimus, quin nobilitati tuæ, his nostris litteris, de ea victoria gratularemur, cujus maxime opera, eam nobis a Deo donatam esse certo sciremus. Tale tantumque divinæ clementiæ munus, pio et grato animo nobilitas tua agnoscere debet; pro quo nos illico, sublatis in Cælum manibus, Redemptori nostro humiliter gratias egimus, divinam ejus majestatem precati, ut, ad periculum, quod fidei ac religioni Catholicæ, et omnibus Ecclesiasticis in isto regno imminet, depellendum, suum auxilium sibi præstare perseveret. Magnam certe rem adeptus es, eo homine de medio sublato, qui omnium turbarum seditionumque caput et nefarii belli fundamentum exitit. Sic solet Deus agere cum illis, qui, quemadmodum nobilitas tua semper fecit, divino ejus honori fideliter inserviunt, et de ejus religione benemereri student. Augeat Dominus nobilitati tuæ gratiam suam, teque istud nobilissimum regnum, ita virtute tua pacare concedat, ut pristinus in eo Catholicæ religionis cultus, ad divini sui nominis gloriam et animarum salutem, tandem restituatur, tuorumque piorum laborum præmium tibi et in hoc et in altero sæculo concedat. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxviii Martii mdcxix, Pontificatus nostri anno quarto ».

106. Nodum, cum has litteras scripsit, ab Andio de adepta victoria certior Pius factus fuerat : at haud multo post, adfuit ab eodem missus, ob eximium suum erga Pontificem obsequium, Marchio Rangonius, regii Ordinis Eques, qui totius rei seriem ordine Pio ipsi explicavit, detulitque Andii ejusdem gratulatorias litteras : quibus respondens Pontifex, ¹ ea fere, quæ superius ad regem et reginam scripserat, hoc modo confirmat :

« Dilecto filio, nobili viro, Henrico, duci Andegavensi, regis Christianissimi fratri.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. Nobilitatis tuæ litteras, xiv Martii die datas, magna cum animi nostri lætitia accepimus; quibus nos certiores fecit de felicissima victoria, quam Omnipotenti Deo placuit, pro sua misericordia, tibi nobisque concedere. Dilectum autem filium, Marchionem Rangonium, regii Ordinis equitem, a nobilitate tua ad nos tantæ victoriae nuntium missum, ea, qua decuit, humanitate acceptum, libentissime vidimus atque audivimus; ex ejusque accurato prudentique sermone, rerum istarum statum cognovimus. Tibi, pro isto in nos officio, quas debemus gratias agimus, qui tantum ac tale Dei Omnipotentis beneficium, quamprimum nobis notum esse voluisti : pro quo nos, sublatis illico ad Redemptorem nostrum oculis ac manibus, humiliter ei gratias egimus. Nec vero ignoramus, quantum post Deum, virtuti ac fortitudini tuæ debeat, cum ipse Christianissimus rex, frater tuus, tum universa Gallia ac religio Catholica. Nam, et ille hac victoria, regnum in extremum fere discrimen adductum, per te sibi quasi restitutum recepit; et Gallia in maximam spem erecta est, pristinæ suæ tranquillitatis recuperandæ; et Catholici magno imminentium sibi periculorum metu liberati sunt. Quæ, quo plura majoraque tibi supra ætatem tuam data sunt a Deo, eo te magis decet, pio et religioso animo, et hæc et alia munera divinæ suæ bonitati accepto referre. Est enim omnium victoriarum triumphus præstabilius, ipsum victoriarum auctorem Deum agnoscere, eique ² fideli ac sincero animo servire. Nobilitatem tuam, quamquam satis sua sponte ad omnia egregia opera incitata; tamen ad testificandum nostrum paternum erga ipsum animum hortamur, ut forti fidentique in Deum animo victoriam ipsam Dei beneficio præcipientem sequatur; communibus hostibus spatium se colligendi non tribuat; suos in timore Dei Omnipotentis, atque erga eum obsequio continere studiosè conetur. Illud etiam nobilitatem tuam rogamus, ut charissimum in Christo filium, regem Christianissimum, fratrem tuum, tuis fraternis adhortationibus incitare non desinas, ad rebelles suos severissime

¹ Ibid. ut supr. Epist. 13.

puniendos; qui, quoniam publicam istius regni tranquillitatem perturbaverunt, religionem Catholicam, quantum in ipsis fuit, subverterunt, templa incenderunt, sacerdotes Omnipotentis Dei crudelissime interfecerunt, aliaque innumera scelera commiserunt; digni sunt, qui his suppliciis afficiantur, quæ legibus statuta sunt. Quod si quis eorum, tuæ nobilitatis intercessionem, apud regem fratrem tuum, debitas sibi pœnas effugere tentarit; debes, pro tua in Deum pietate, divinique honoris zelo, omnium pro illis rogantium preces repudiare, et aequè omnibus inexorabilem te præbere. Si enim aliter faceres, et Deum offendere, et male tuæ regisque fratris tui salutem, regniq; istius securitati consulere. Hæc autem si feceris, speramus eum, qui Dominus est exercituum, majorem in dies, hostibus suis tuisque eladem allaturum, donec, profligatis eorum viribus, pristina ipsi regno pax et securitas virtute tua restituatur. Quod assiduis precibus Deum precari non desistimus. Tibi autem, dilectissime fili, benedictionem nostram impartimur. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII Aprilis, MDLXIX Pontificatus nostri anno quarto ».

107. Præter dominum de Montmoris a rege, Rangonem ab Andegavensi missos, dux quoque Nivernensis, alterum ad Pium direxit, ut optatum victoriæ nuntium ei deferret. Adeo siquidem apud omnes perspicuum erat ferventissimum religionis ac fidei Catholicæ in Pio studium, quod nihil ei gratius, nihil ad caplandam ejus benevolentiam ac gratiam aptius proferre posse quisque cognosceret, quam, quod vel inimicorum ejus depressioni, vel ejusdem augmento et securitati prospiceret. Quæ ad Nivernensis Epistolæ rescripsit Pontifex, hujusmodi fuit :

« Dilecto filio, nobili viro. Ludovico, duci Nivernæ.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili etc. Litteras nobilitatis tuæ, XXI Martii datas accepimus, quibus de optatissima victoria certiores nos fecisti, quam Deo Omnipotenti placuit charissimo in Christo filio nostro, Francorum regi nobisque pro sua misericordia concedere. Dilectum autem filium nobilem virum dominum Galvenum, regii Ordinis equitem, ejusdem lætissimæ victoriæ nuntium, ea, qua decuit benignitate visuri fuissimus, non sine magna animi nostri lætitia; nisi adversa corporis valetudine, ab incœpto itinere abstinere coactus esset: cujus victoriæ nomine, sublati in Cœlum manibus, illico Redemptori nostro gratias humiliter egimus. Obsequium erga nos sanctamque hanc Sedem, itidemque diligentiam, qua usus es in ea re significanda, qua nulla ex hujusmodi momentaneis rebus gratior nobis atque jucundior accidere poterat, vehementer in Domino laudamus; aliquam no-

bis offerri occasionem cupientes, qua tibi declarare possimus, quantopere hoc tuum officium nobis gratum acceptumque fuerit. Magnum, ut recte ais, firmamentum hostibus suis Deus eripuit, ejus hominis morte, qui omnium turbarum seditionumque fundamentum, et nefarii belli dux, tantum incendium aluit. Quod autem hanc victoriam, quam minimo Catholicorum damno Deus nobis donaverit, dupliciter ejus bonitatis et misericordiæ nos debere intelligimus, Tuæ autem nobilitati, pro hoc officio cæterisque laboribus suis, quos in isto periculosissimo bello, pro Dei Omnipotentis honore, et religionis Catholicæ defensione assidue suscipit, quos multos esse scimus; ea gratiæ nostræ signa impertiri parati sumus, si qua nobis idonea occasio oblata fuerit, ut magni te a nobis fieri et paterne diligi intellecturus sis. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXVII Martii MDLXIX, Pontificatus nostr. anno quarto ».

108. *Comiti de Tavannes pro archiepiscopo Bisuntino Pius gratiam concedere renuit.* — Inter hæc autem mirandum prorsus videtur, nec adeo, ob adeptam desideratissimam victoriam, lætitia Pium fuisse solum, vel ardentissimo studio, quo omnimodam hæreticorum interfectionem totis viribus urgebat, adeo fuisse abreptum, ut Ecclesiasticæ censuræ severitatis aliquid ideo laxare putaverit. Certe inter illos, qui et opere et consilio strenue contra sectarios bellum administrabant, præcipuus erat dominus de Tavannes, Andegavensis ducis generalis locumtenens, cujus egregia virtutes ac merita Pio optime nota erant, ut ex mox ponenda ejusdem Pii Epistola constat. Pro Catholica fide a Tavannes exantlati labores, et quæ ab ipsius animi robore sperari deinceps poterant, id exigere videbatur, ut quæcumque posset, Pium in eum beneficia conferret. Hoc facile, et quidem merito sibi suadens Tavannes, Pontificem enixe pro archiepiscopo Bisuntino, affine suo, quem ante biennium Pium Romam acersisse diximus, deprecatus est, ut tandem archiepiscopum ipsum ad propriam Ecclesiam redire permitteret. Verum a Pio hujusmodi responsum retulit:

« Dilecto filio, nobili viro, D. de Tavannes, dilectissimi filii ducis Andegavensis, Christianissimi regis fratris, locumtenenti generali.

PIUS PAPA V.

« Dilecte fili etc. Litteras nobilitatis tuæ, sexta Maii die datas accepimus, quibus venerabilem fratrem, archiepiscopum Bisuntinum, affinem tuum, nobis, et humiliter, et efficaciter commendasti: quem tamen sciat nobilitas tua, nullius apud nos egere commendatione, qui illum, pro nostro fraterna in eum cæterosque fratres coepiscopos nostros benevolentia, non minore quam tu, aut quisvis alius, amore chari-

lateque prosequimur. Illud quidem verum est, nos predictum archiepiscopum, a nobis ad Urbem accersitum, ad hanc usque diem Romæ refinere, quod tamen nullas ob eas, quas tu suspicaris, causas impulsi, facimus; sed quia ipsum aliquando meliorem reddere, atque ad Ecclesiasticos mores, sacerdotalesque vite disciplinam, a qua hucusque alienior fuerat, revocare hoc modo studemus: ejus quidem rei majorem in dies spem, Deo adjuvante, habemus. Quod igitur, propter fraternam nostram salutis dignitatisque ejus curam facimus, id nobilitas tua æqui bonique facere debet, paternoque nostro judicio acquiescere, sibi que persuadere, illius commoda ac rationes, non minus nobis esse cordi quam tibi. Quod, cum antea sponte nostra faceremus, tua nunc commendatione adducti, studiosius etiam faciemus. Est etiam nobis plane perspecta, singularis tua in Deum pietas et Catholica religionis flagrantissimum studium: neque ignoramus, quantum virtuti tuæ spectatissimæ debeamus, ejus consilio totum hoc adversus communes hostes bellum, magna ex parte administratum esse scimus, qui nunquam, de Omnipotenti Deo, hoc toto istius regni calamitosissimo tempore, benemereri destitisti, et in hoc extremo prælio, cujus victoriam nobis Deus, pro sua misericordia concessit, egregiam prudentissimi ducis fortissimique militis operam navasti. Quibus tuis virtutibus adducti, nullum tam insigne virtutis præmium esse judicamus, quod non tibi, a nobis existimemus: parati ea tibi paternæ nostræ benevolentiae indicia, oblata idonea occasione, impertiri, quæ eximia tua in nos Ecclesiamque Dei, pietate et meritis digna sunt. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. Die III Aprilis MDLXIX, Pontificat. nostr. anno quarto ».

409. *Cardinalem Lotharingium et Galliæ regem movet Pontifex ut victoriæ fructus rebus Ecclesiæ firmandis inservire faciant.* — Pius interim, ne fausta elaboretur adepta recens victoriæ occasio, opportune ac propemodum importune, quemlibet, quem studia sua in id conferre posse censeret, hortari non prætermisit. Quod quidem ab ipso hoc tempore crebro scriptæ litteræ ostendunt; nam ad cardinalem Lotharingum sequentem Epistolam ¹ dedit:

« Dilecto filio nostro Carolo, titul. S. Apollinaris presbytero cardinalis, a Lotharingia vocato, nostro et Apostolicæ Sedis legato.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Si quis est omnium Catholicorum principumque virorum, quos Dei benignitate multos esse in isto regno compertum habemus, cui de tam opportuna victoria gratulandum esse putamus: certe tu unus ille es, cui nos

præcipua quadam animi nostri paterni significatione gratulari velimus; non solum ob eam causam, quod ea præditus es singulari in Deum pietate, et Catholicæ religionis studio ita incensus, ut nemo hoc nomine majorem ex ea re letitiam accepisse videri possit; sed etiam quia, adjuvante Deo, tuis sapientissimis consiliis, prudentissimisque monitis, magna ex parte factum esse intelligimus, ut tam prospero rerum successu in isto regno Respublica Christiana uti potuerit. Quarum nos rerum prospere gestarum causa, sublatis illico oculis ac manibus ad Omnipotentem Deum, omnium bonorum auctorem, ei pro tanto suo in nos beneficio humili corde gratias suppliciter egimus. Tibi tamen, pro sua spectatissima prudentia, minime latere existimamus, nos, aut nihil, aut certe parum hac victoria momenti ad ipsam rerum summam consecuturos esse, nisi tu primum, dilecte fili, et ceteri, qui apud regem gratia atque auctoritate plurimum valent, in eam rem cogitationemque incumbant, hocque ipsum omni diligentia et studio efficere conentur, ut in toto isto regno, una religio Catholica ab omnibus, uno oris cordisque consensu, teneatur atque custodiatur. Quam ad rem efficiendam, nihil æque valere putamus, ac si communibus hostibus spalum ad se colligendum non detur; et illi, qui tantarum seditionum perturbationumque causa fuerunt, severissime his, quæ legibus statuta sunt, suppliciiis ac pœnis afficiantur. Ut enim ab eis regni pacem tranquillitatemque perturbatam, regemque ipsum toties insidiis ac ferro petatum taceamus, Deus ipse certe, cujus sanctissima templa, partim incensa, partim diruta, partim profanata sunt; cujus sacerdotes crudeliter occisi, cujus fides Catholica acriter oppugnata est, aliter placari non potest, nisi justis sceleratissimorum hominum illorum pœnis, qui hæc et alia multo atrociora facinora commiserunt. Itaque circumspeditionem tuam, debito nostræ paternæ salutationis officio impatientes, magnopere hortamur ac rogamus, ut charissimi nobis in Christo filii, Christianissimi regis animum, ad Dei Omnipotentis suoque hostes juste ulciscendos incitare ne desistas, eique, id quod verissimum est, persuadere conetur, majestatem suam, nulla alia ratione Redemptori nostro legibusque ejus satisfacere, atque utilitati istius regni consulere posse, quam si omnibus his, qui pro sceleratissimis hominibus rogare audebunt, se inexorabilem præbeat. Quæ quidem, etsi putabamus circumspeditionem tuam pro suo divini honoris zelo, diligentissime facturam esse, nos tamen, pro nostra pastorali sollicitudine, officio commissi nobis muneris fungi volentes, scientesque, nobis de eo æterno illi pastori rationem reddendam esse, præterire nolimus, quin de his, quæ tantopere ad obsequium Dei pertinent, te

¹ Ibid. ut supra Epistol. 14.

paterne moneremus. In quo tamen compertum habemus, circumspectionem tuam eo sublevanda Dei Omnipotentis causa, religionisque Catholicæ in isto regno constituenda studio facturam esse, ut quemadmodum hucusque fecit, nullus, neque paternis nostris, neque cuiusquam hortationibus ac monitis locus relictus sit. Omnipotens Deus, tibi in hoc sæculo, dilecte fili, pro tot laboribus tuis, quotidie gratiam suam magis augeat; teque, et in futuro ad beatitudinis æternæ præmia pervenire concedat. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII Aprilis MDCCLXIX, Pontif. nostr. ann. quarto ».

110. Sub hac ipsa etiam die, qua relatas ad ducem Andegavensem et cardinalem Lotharingum dedit Epistolas, alias etiam scripsisse ad regem et reginam reperimus: tum, quod tunc ab Apostolico suo nuntio ac aliis certiore atque exploratiorem victoriæ ac rerum ad bellum id pertinentium statum accepisset; tum ob inferius referendas causas. Epistolæ ¹ hujusmodi fuere:

« Charissimo in Christo filio nostro Carolo, Francorum regi Christianissimo.

« Charissime in Christo fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Posteaquam, ex litteris venerabilis fratris episcopi Cajacensis, nostri et Sedis Apostolicæ apud majestatem tuam nuntii, exploratus jam certiores facti sumus, de felicissima victoria, quam Omnipotenti Deo placuit, pro sua benignitate, nobis ac tibi totique Catholico populo concedere; sublatis manibus ad eundem Deum, omnia bonorum auctorem, illi, pro tanto suo in nos beneficio, toto corde gratias suppliciter egimus, qui non solum magnitudine, sed etiam opportunitate tantæ victoriæ, vere se misericordiarum Patrem esse declaravit. Et quidem decebat, majestatem tuam, charissime fili, quemadmodum fecisse eam accepimus, tantum divinæ bonitatis munus, pio ac religioso animo Redemptori nostro totum acceptum referre, eique gratias, quas retulit referre; in quo singularem majestatis tuæ pietatem devotionemque vehementer in Domino commendavimus. Et quoniam Dei perfecta sunt opera, speramus, eum, qui hucusque salutis tuæ custos fuit, causamque suam adversus suos tuosque hostes tueri dignatus est, tibi in posterum quoque misericorditer adfuturum, daturumque vires, quibus, et pristinam regno isti pacem et tranquillitatem restituras; illudque cum eadem polestate, atque ad eundem modum possideas, quo superiores clarissimi reges majores tui possederunt. Hoc tamen pro comperto habeat majestas tua, nullo alio id modo fieri posse, nisi, si totum regnum, unam eandemque Catholicam religionem, uno animo, unaque

mente teneat atque custodiat. Quod, ut, adjuvante Deo, ad effectum adduci possit, necesse est, majestatem tuam in hostes Dei rebellesque suos, justis pœnis justisque suppliciis, quæ legibus statuta sunt, severe animadvertere: non ob eam quidem causam, quod tibi privatim fuerint infensi, tuamque potentiam et salutem oppugnaverint; sed quod publicam regni tranquillitatem perturbaverint, Catholicam religionem, quantum in eis fuit, subverterint, templa sanctissimo Dei cultui dicata incenderint, diruerint, profanaverint, Dei Omnipotentis sacerdotes crudeliter interfecerint, innocentium sanguinem effuderint, divinæque majestatis oculos innumeris in Deum atque homines sceleribus perpetratis, vehementissime ac gravissime offenderint. Nam, si qualibet inductus causa (quod non putamus) ea, de quibus Deus offenditur, insectari ejus ulcisci distuleris, certe ad irascendum ejus potentiam provocabis: qui quo tecum egit benignius, eo debes acrius illius injurias vindicare. Qua in re, nullius preces admittere, nihil ejusquam sanguini et propinquitati concedere; sed omnibus, qui pro sceleratissimis hominibus rogare audent, inexorabilem te præbere oportet. Quam quidem ad rem, pro pastoralis officio, paternoque amore nostro, ita te hortamur, ut quanquam hoc, tua sponte facturam esse consideramus, tamen majestatem tuam, quamvis currentem, paternis nostris vocibus duxerimus incitandam; cui debitum nostræ salutationis officium persolventes, benedictionem nostram amantissime impertimur; eique ab Omnipotenti Deo, et in hoc sæculo securitatem et pacem, et in alio, pro hujus tam impii belli laboribus, premium æternæ remunerationis precamur. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII Aprilis MDCCLXIX, Pontific. nostr. ann. quarto ».

111. Ad reginam ¹:

« Charissimæ in Christo filiæ, Catharinæ, Francorum reginæ Christianissimæ.

« Charissima in Christo filia, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum ex litteris venerabilis fratris episcopi Cajacensis, nuntii nostri et Sedis Apostolicæ apud charissimum in Christo filium, regem Christianissimum, natum tuum, certius atque exploratus jam cognovissemus, felicissimam atque exoptatissimam victoriam, quam Deus, pro sua misericordia, tam opportuno Reipublicæ Christianæ tempore, tibi regique Christianissimo filio tuo concedere dignatus est, sublatis ad eundem Deum, omnium victoriarum auctorem, manibus atque oculis, et in humilitate cordis nostri, pro tanto tanquam singulari beneficio gratias egimus. Et quamquam ex tantæ victoriæ nuntio, magnam, ut par est, lætitiâ accepimus, credat tamen maje-

¹ Ibid. ut supra Epistol. 16.

¹ Ibid. Epist. 12.

stas tua, non minus quam ipsam victoriam placuisse nobis pium illum ac vere religiosum animi affectum, quem Christianissimus rex, natus tuus, declaravit, cum altatis ad se rei prospere gestæ nuntiis, totum se ad gratias Deo agendas laudesque ei dicendas convertit. Vidit enim vere Christianissimus rex, nulla re magis regna ipsa retineri conservari posse, quam summa erga eum pietate, cuius munere reges ipsi regnant. Te autem, charissima filia, bono fidentique in Deum animo esse decet: neque ullo periculis metu terreri, sed magna fiducia omnibus viribus, una cum Christianissimo rege, filio tuo, ad vindicandas Omnipotentis Dei servorumque ejus injurias, justa in rebelles animadversione adhibita incumbere; ut debita illis, pro eorum scelere poena persoluta, et Deus noster placari possit, et ex hoc majestas tua divinam sibi gratiam conciliet, et cæteris, ut ab ejusmodi nefario scelere se abstineant, memorabile atque utile imposterum prodat exemplum. Qua de re eo studiosius diligentique cum majestate tua agendum esse existimavimus, *quod dari operam istic ab aliis audimus*, ut ex eorum hæreticorum qui capti sunt numero, quidam liberentur inultique abeant, quod ne fiat, utque homines sceleratissimi justis afficiantur suppliciis, curare te omni studio atque industria oportet. Nisi enim hoc factum fuerit, parvum omnino momentum hæc victoria habitura est ad istius regni tranquillitatem constituendam: quin potius hæc tam necessaria ad Deum placandum animadversione ommissa, timendum est, ne quemadmodum adversus Saulem regem, pro simili Amatecitarum ultione prætermissa, sic adversus te filiumque tuum, eo gravius ira Dei exardescat, quo benignius ac misericordius vobiscum hucusque egit. Quia in majestatem tuam rogamus, ut nobis fidem habeat, qui, quoniam nullis privatis rationibus, sed solo Dei honore ad hoc movemur, quid faciendum sit, recte judicamus: et quia Christianissimum regem natum tuum teque ipsam paterno amore prosequimur, optimum et fidelissimum, regnoque isti utilissimum, utriusque consilium damus. De nostro autem in te, regemque Christianissimum, filium tuum animo, paternalique regni istius cura, majestatem tuam sic existimare volumus; quidquid viribus atque auctoritate poterimus, id totum utriusque semper paratum fore. Quod si cætera nobis quandoque defuerint, illud certe non deerit, quin quemadmodum hucusque fecimus, fuis ad Deum Omnipotentem precibus, eum, pro utriusque vestrum salute, istiusque regni incolumitate ac tranquillitate, assidue atque instanter rogemus. Tibi autem charissimæ filiæ debitum salutationis nostræ officium persolventes, benedictionem nostram impertimur, atque ab Omnipotenti Deo gratiam ac custodiam pre-

camur. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xiii Aprilis MDLXIX, Pontificatus nostr. ann. quarto ».

112. At, cum hujusmodi litteris, apud regem reginamque illud præcipue egisse agnoscatur Pius, ut hæreticis nulla prorsus ratione parcerent; ut iis, qui pro eis intercedere voluissent, se inexorabiles prorsus præberent; ut eos e medio tollere totis viribus satagerent; ut debita poena severissime in illos animadverterent; scias rite ac prudenter id a Pio factum, nihilque in his quæ scripsit deprehendi posse, quod juste coargui mereatur. Nam Deo, Ecclesiæ, ac regno suo rebelles, qui jure omni divino humanoque conculcato, superbe se extulerant, juxta jura omnia damandi erant; quapropter, cum Pius de sceleratissimis hominibus vindictam sumi expetiti, nil aliud profecto, quam quod jura ac leges omnes vellent, postulavit. Nulla etiam ratione merito parcendum iis censuit, qui toties concessam veniam, in argumentum furoris vertissent; et ubi e scelere evadere debuissent benignitate leniti, effrationes in deteriora et contra scelera prolapsi essent. Nec imposterum sperari poterat, præterita velle ex animo adijcere, qui idcirco veniam postularent, non quod animum mutassent, sed quod vires pervicaci animo non suppelerent. Et hæc, quoad illic justissimam ac sapientissimam in hæreticos sententiam.

113. Quo vero ad reginam et regem, ista illis ferventiori zelo intimasse arbitramur, quod ipsos, ad ea quæ pacis essent proficivores, quam par esset, non semel animadvertisset; et « ne (ut dicit Gregorius), dum opportune agere, quæ possent, nolent; paulo post cum vellent, non valeret ». Quod multoties ipsis accidisse, sæpe supra commemoravimus; qui, si Pontificis consiliiis de hæreticis extirpandis acquievisset, nullatenus illi in ipsos toties nefarie insurrexissent, neque toties eorum artibus rex idem ac regina decepti, sero agnovissent, nimia resolutione lenitatis, ultra quam necesse fuisset, vigorem restrictionis emoluisse, seque, regni vitæque amittendæ periculo tradidisse. Sapientis igitur medici partes agens Pontifex, qui calida sciebat, reginæ ac regis lenitati illi ac segnitiei, fervoris sui opposuit medicamenta: merito formidans, ne ex more, hæc etiam vice, vicinum, et quasi juxta positum, maximum Catholicæ religionis, et totius regni discrimen, desidia torporeque rursus incurrerent. Quod autem in id ulterius incubuisse visus fuerit, in secundis ad præfatos scriptis Epistolis, hoc tribuendum censemus, quod forte ab Apostolico suo nuntio, aliquid in regia aula jam mussitari intellexisset, quod res denuo cum hæreticis componendæ essent. Præter vero Dei gloriam, nil aliud in animo habuisse, perspicue ipsius verba declarant.

114. *Pontifex Carolo regi suadet ut Bear-*

niam et Navarram occupet. — Illud etiam, quod in primis Epistolis utilissimum consilium dedit, de munitioribus Navarrae locis occupandis, eo spectasse arbitramur, quod Catholicae religionis infensiore nullum, ex regio sanguine, Navarrae regina sciret; ideoque demortui Condeis locum, neminem, praeter illam, ac filium, qui singulari ea prerogativa praefulgeret, occupare posse. Quam Pii perspicacem suspicionem, quae sunt subsequenda, mox dicenda, verae praevidentiae innoxiam facile declararunt. Probasse vero regem Pii consilium, illud ostendit, quod Bearnam fere totam inmissis copiis in suam hoc tempore potestatem redegerit; licet paulo post, nonnullorum perfidia, (ut dicitur) ab ea regione Catholicis rursus fuerint eliminati, eamque provinciam denuo seclerarii usurpaverint.

115. *Laudat Pontifex cardinalem Borbonium, quod majorem Catholicæ religionis quam sanguinis rationem habuerit.* — Illud vero, e contra, summa Pium lætitia affecit, quod e regio sanguine procreatus princeps alter, Carolus, nempe cardinalis Borbonius, non modo ex affinis Condeis morte doloris sensum non ediderit, sed excelso vereque Catholico animo, in eo potius, Dei et Ecclesiae perditissimum perduellem extinctum, ac e medio sublatum, gavisus fuerit. Tam eximiam virtutem Pontifex idecirco admiratus, ad ipsum ista scribenda duxit :

« Dilecto filio nostro, Carolo, tit. S. Christophori presbyt. cardinali, Borbonio nuncupato, Avinionon. de latere legato.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. In hac felicissimæ victoriae lætitia, quam Deus nobis, non minus opportune quam misericorditer, pro sua benignitate concessit, ob quam illico divinae bonitati humili corde gratias suppliciter egimus; illud ad augendam animi nostri voluptatem maximum attulit momentum, quod intelleximus, circumspeditionem tuam, ut par est, majorem Catholicæ religionis, quam sanguinis rationem habuisse, plusque in te semper divini zelum honoris atque in Deum charitatem, quam fraternæ conjunctionis necessitudinem valuisse. In quo te Redemptoris nostri vocem illam divinam audivisse ostendisti, qua eos indignos esse pronuntiavit, qui patrem aut matrem aut filios plusquam se diligere: quod tamen de singulari tua virtute nobis novum non accidit, qui tuam eximiam in Deum pietatem, et religionis Catholicæ flagrantissimum studium bene cognitum habemus. Itaque tibi debitum salutationis nostræ paternæ officium persolventes, circumspeditionique tuæ charissimum in Christo filium, regem Christianissimum commendantes, hortamur, ut quemadmodum lucusque fecisti, optimis tuis et prudentissimis consiliis, eum juvare non desistas, illiusque regium animum,

salis ipse sua sponte, ad egregie de Deo merendum incitatum, ad vindicandas Dei injurias, puniendosque communes hostes rebelles suos, amantissimis adhortationibus tuis magis etiam incendas; in quo illud subijcere majestati suæ volumus, ut nullorum periculorum metu se terri patiatur, sed auxilio Dei freta, qui illam toties e maximis periculis præsentis ope liberavit, dignum clarissimorum regum majorum suorum virtute, animum capiat, sceleratissimosque Dei atque Ecclesiae suæ hostes, qui istius regni tranquillitatem perturbarunt, religionem Catholicam, quantum in ipsis fuit, everterunt, qui non templis, non sacerdotibus Dei, non cujusquam ætati, aut Ecclesiastico ordini pepercunt, iis pœnis afficiendo, quæ legibus statuta sunt, severissime ulciscatur. Si enim ea, quibus Dominus tantopere offensus est, nefariorum hominum peccata, punire non distulerit, nunquam ille pios religiososque majestatis suæ conatus, pro sua misericordia deseret, sed in hoc sæculo pacem ac tranquillitatem, in altero gratiam et gloriam dabit, quod, ut faciat, libique etiam, dilecte filii, bonitatis suæ munera benigne concedat, suppliciter rogamus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIV Aprilis MDLXIX, Pontificat. nostr. ann. quarto ».

116. *Carolus regem et ejus matrem denuo stimulat Pontifex.* — Itaud multo post, nempe sub die vicesima tertia ejusdem mensis Aprilis, cum, ut innuimus, signa Pontifex accepisset, hæreticis hostibus erepta, et per Montomorium a Carolo rege ad se missa; eidem regi gratias referens ista ad eum scripsit :

« Charissimo in Christo filio nostro, Carolo, Francorum regi etc.

PIUS PP. V.

« Charissime etc. Ven. frater episcopus Cajacensis, noster et Apostolicæ Sedis apud M. T. nuntius, nonnulla nostro nomine exponet, ad obsequium Dei et Catholicæ religionis causam; super quibus M. T. rogamus, ut eidem fidem habeat, ac si nos secum præsentem loqueremur. Cæteris de rebus, ad ea nos referimus, quæ cæstas tua fusius et subtilius intelliget ex charissima nobis in Christo filia regina matre tua. Tibi vero pro signis militaribus, de communibus hostibus captis, ad nos per dilectum filium dominum de Montemoris missis, quæ nos ad Omnipotentis Dei gloriam, eo quo debemus, grato et paterno accepimus animo, et eas quas decet gratias agimus. Qua in re M. T. a vetere charissimorum regum majorum suorum in Deum pietate, Romanique Ecclesiam devotione non discedens, fecit, id, quod rege Christianissimo et Catholicæ religionis studiosissimo dignum fuit; nihilque fefellit eam opinionem, quam de suo singulari in Deum studio, divini que honoris zelo jam-

diu conceptam habebamus. Reddet Omnipotens Deus tibi, pro tua ista in se Ecclesiamque suam animi devotione ac reverentia æternum illud præmium, quod omnibus piis et justis paratum est. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvi Aprilis MDCXIX, Pontificat. nostr. ann. quarto ».

117. Nil aliud, quod, vel ab episcopo Cajacensi Apostolice nuntio Carolo exponendum erat, vel a regina parente ipsemet Carolus sublilius intelligere debebat, ut ex Vaticano Archivo habemus, nisi gravis prolixaque hortatio, qua monebatur, ut in hæreticos, Dei suique rebelles, quæ legibus statuta erant, pœnis animadverteretur, in eaque re nullus indulgentiæ locus relinqueretur, quo eorum quis debito se supplicio subtrahere sperare posset. Quod quidem rursus in alia repetit, sub eadem die, ad ducem Andegavensem scripta Epistola, in qua et de hostium acceptis signis, et de subsidio ad regem ipsius fratrem misso certiorum reddit. Epistola¹ sic se habet :

« Dilecto filio, nobili viro, Henrico duci Andegavensi, Francorum regis fratri.

« Dilecte fili etc. nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. Signa militaria de communibus hostibus, adjuvante Deo, capta, et a charissimo fratre tuo ad nos missa, eo, quo debuimus, grato paternoque animo accepimus. Cum sciremus virtute tua majori ex parte parta fuisse, præterire non debuimus, quin nobilitati quoque tuæ. ea de re animi nostri lætitiâ paterne significarem. In eis mittendis fecit rex frater tuus id, quod Christianissimo rege dignum fuit, et a vetere clarissimorum regum majorum suorum erga Deum pietate, Sedemque hanc Apostolicam devotione non discessit. Cujus rei nomine nobilitati tuæ etiam gratias agimus, cujus, post Deum Omnipotentem, opera factum est, ut hæc de Catholicæ religionis hostibus spolia caperentur. Te vero, dilectissime in Christo fili, quod et aliis nostris ad te litteris scripsimus, hortamur, ut quantum per te fieri poterit, operam sedulo des, ne Dei hostes, istius regni rebelles, inulti abeant; sed, ut pro gravissimis eorum in Deum regemque fratrem tuum, sceleribus admissis, meritis pœnis his, quæ legibus statuta sunt, afficiantur. In quo illæ tuæ partes erunt, non solum omnibus modis adjuvare, ut justitiæ ac legibus locus sit, nihilque in ea re, indulgentiâ peccetur, sed etiam his, qui tibi pro sceleratissimis hominibus supplicare audebunt, inexorabilem te præbere. Nam, si in tot tanisque Dei Omnipotentis offensis inultis omittendis, aliquid, aut indulgendo, aut connivendo, vel negligendo peccaretur: periculum esset, ne, quemadmodum adversus Sautem, pro simili Amalecitarum iusta animad-

versione ab eo omissa, sic adversus Christianissimum regem fratrem tuum teque ipsum etiam eo gravius ira Dei exardesceret, quo benignius atque elementius ad hanc usque diem cum utrisque vestrum divina sua bonitate egisset: quos ex tot tantisque periculis impiorumque hominum nefariis conjurationibus ereptos, ideo conservavit, ut essent qui suas injurias recte ulcisci possent. Regi autem Christianissimo, fratri tuo, eas, quas potuimus, peditum equitumque copias, auxilio misimus: in eis mittendis nullas nostras privatas rationes propositas habentes, sed tantummodo obsequium Dei, atque istius regni conservationem spectantes. Dolemus certe ex animo, eum esse Ecclesiæ statum, vestrasque ita exiguas esse vires, ut quantas vellemus mittere, non potuerimus; et tamen uostras spes in Domino collocatas habemus, qui potens est, quantumvis exiguas copias, dextera suæ fortitudine potentissimas efficere. Omnipotens Deus nobilitatem tuam, ab omnibus insidiis inimicorum suorum custodiat. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvi Aprilis MDCXIX, Pontificatus nostri anno quarto ».

118. Nec aliud præterea, quam quod Epistolis missis crebro inculcaveram, Pontificem in mandatis dedisse episcopo Carcassoniensi, quem haud multo post ad præfatum regem Carolum legavit, ut eis toties memoratam victoriam gratularetur, merito etiam censendum videtur; nam ex Epistolis ad ipsum Carolum ea occasione scriptis, id haud obscure intelligitur, et hujusmodi fuerunt :

« Charissimo in Christo filio nostro, Carolo, Francorum regi Christianissimo.

PIUS PAPA V.

« Charissime etc. Ven. fratrem Annibalem, Carcassonensem episcopum, ad M. T. mittimus, gratulatum de victoria, quam Omnipotenti Deo placuit, non minus tibi quam nobis totique Christianæ Republicæ, pro sua misericordia concedere. Representare is studebit M. T. hoc officio, super ea re animi nostri communem nobis tecum lætitiâ, eximiumque amorem erga te nostrum; simulque paternam rerum istius regni curam, cujus nobis et optime conscius, præsens præsentis tibi copiosius declarabit. Speramus, eum, qui scrutator est cordium, ante cujus conspectum omnia nuda atque aperta sunt, pro tuo erga Catholicam fidem probabilissimo animo ac voluntate, prosperiores quoque rerum successus M. T. tributurum; pro qua re nos apud divinam suam bonitatem assiduis ex toto corde precibus interpellare, neque antea cessavimus, neque in posterum cessaturi sumus, donec plenissimum de hostibus suis triumphum, plenissimamque victoriam, ad gloriam sui nominis, atque ad istius regni perfec-

¹ Ibid. ut supra Ep. XVII.

tam tranquillitatem M. T. benignius indulgeat. Quia vero idem ven. frater, post gratulationis benedictionisque officium tibi persolutum, nonnulla tibi nostro nomine referet: ejus orationi parem fidem habere poteris, ac si nos ipsi praesentes tecum loqueremur. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vi Maii MDLXIX, Pontif. nostr. ann. quart. ».

119. *Auxiliares copię ad regem missæ a Pontifice.* — At de militaribus copiis, quas Pontifex Galliarum regi auxilio misit, quarumve in affata ad Andegavensium ducem Epistola meminit; sciendum est, a mensis Martii initio, summa sollicitudine eas in Galliam traduci imperasse, ut præter ea, quæ ad Alburquerqueum Mediolanensem gubernatorem scripsisse retulimus, patet ex sequenti ad regem ipsum data Epistola ¹:

« Charissimo in Christo filio nostro, Carolo, Francorum regi Christianissimo.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Pro paterna nostra tui, regnique tui in tanto discrimine positi, cura, postulatis tuis satisfacere volentes, mittimus ad majestatem tuam, in nomine Omnipotentis Dei auxiliares copias peditem atque equitum, quemadmodum a nobis petivit. Mittimus autem eo animo, ut et tuæ et regni incolomitati auxilio sint in isto bello, quod hæretici, Dei et Ecclesiæ Catholicæ hostes, adversus te regnumque tuum infensissimis animis gerunt: ob eamque causam, dilecto filio, nobili viro, Sfortiæ, earum copiarum generali duci, mandavimus, ut majestatis tuæ jussa faciat, et in omnibus iis, quæ sibi abs te imperata fuerint, præsto sit, ac sine ulla recusatione obediat. Is igitur et jussu nostro incitatus, et sponte sua, ob egregiam militarem virtutem, ad bene agendum inflammatus, una cum predictis copiis, eo animo ad te venit, ut in isto bello, pro Dei honore, proque istius regni incolumitate paratus sit, una cum exercitu, omnibus se periculis ac morti exponere. Quem quidem et exercitum majestati tuæ eatenus commendamus, quatenus suis sumptibus commeatuum aliarumque rerum ad victum usumque suum necessarium in tuo regno eam copiam habeat, sine qua, nec ipse ali posset, nec tibi eam quam cupimus operam navare: nam reliquis in rebus volumus, ut majestas tua eo, sine ulla exceptione, utatur ad omnia, quæ sibi in isto bello necessaria atque opportuna visa fuerint; provisuri omnino, ut pro eo tempore quo tibi illo utendum fuerit, nullo modo ei ac militibus nostris stipendium a nobis desit. Quod quidem eo animi studio eaque alacritate fecimus, facturique sumus, quam, religionis Catholicæ causa, et tuum istius que regni periculum, et nostra in te paterna voluntas exposcunt. Omnipotentem autem Deum pre-

camur, qui et Dominus est exercituum, et rex regum, et omnia sua sapientia moderatur et regit, ut majestati tuæ, de communibus hostibus victoriam misericorditer concedens, pacem tranquillitatemque isti regno aliquando afferat; eam, quam et in Domino optamus, et assiduis precibus ab eo suppliciter exposcere non desistimus. Quam quidem victoriam, si, ut speramus, Deus tibi nobisque sua benignitate concesserit, tuæ partes erunt, hæreticos, eorumque duces, utpote Dei hostes, omni severitatis animadversione adhibita, punire, in eoque, ut æquum est, non solum tuas, sed Omnipotentis Dei injurias juste ulcisci; ut quas, pro suis sceleribus pœnas meriti sunt, eas, te justum Dei contra eos judicium exequente, persolvant. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vi Martii MDLXIX, Pontif. nostr. ann. quarto ».

120. At licet Pius, quanto potuerit studio, suarum in Galliam promptæ expeditioni copiarum incubuerit; nihilominus (ea est semper in his parandis difficultas), illam usque fere ad Aprilis finem dilatam, fateri cogunt Epistolæ, quas fidei vocant, tum Sfortiæ, tum etiam traditæ episcopo Firmano, copiarum eandem commissario, qui una cum Pontificio exercitu, se in Galliam contulit; nam hæc sub die vigesima prima Aprilis datæ reperiantur, fueruntque hujusmodi:

« Charissimo in Christo filio nostro, Carolo, Francorum regi etc.

PIUS PAPA V.

« Charissime etc. Ven. frater episcopus Firmanus, commissarius earum copiarum, quas in isto adversus Catholicæ religionis hostes bello M. T. mittimus, has litteras reddet; post salutem tibi nostris verbis nuntiata, quadam ei, nostro nomine referet, ad communem utilitatem magnopere pertinentia. Ejus orationi ut fidem sine ulla hæsitacione habeas, a M. T. petimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. Die XXI Aprilis MDLXIX, Pontif. nostri ann. quart. ».

101. Eadem fere habent litteræ a Sfortia, ad eundem regem exhibendæ; nam in his: « Mandavimus (scribit) dilecto huic filio, nobili viro Sfortiæ Sfortia, quem exercitus nostri generalem ducem M. T. in bello, contra istius regni hæreticos communes hostes, subsidio venire jussimus, qui tibi has nostras litteras reddet, ut tibi quædam nostro nomine referat, quæ ad communem utilitatem, bellique gerendi rationem pertinent. Ejus orationi etc. Datum, ut supra ». In Vaticano Regesto, eodem exemplo scriptum fuisse adnotatur, Catharinæ Francorum reginæ, et cardinalibus Borbonio et Lotharingio.

122. Totus autem Pontificis exercitus, ex quatuor millibus ac quingentis peditibus equi-

¹ Ibid. ut supra Epist. 9.

tibusque mille constabat; quibus Cosmus Florentia dux, equites mille peditesque ducentos propriis stipendiis adiunxit. Quarum quidem copiarum omnium, atque adeo Pontificii totius exercitus imperator declaratus (ut audisti) est, Sfortia, Comes Sanctæ Floræ, vir non minore generis splendore, quam bellicæ virtutis prudentisque consilii laude præstantissimus. Florentinis autem copiis et omni equitatu, Marius, pedibus vero, Paulus, ejusdem comitis fratres, spectatæ fortitudinis duces, præfecti sunt. His accessere (inquit Gabutius), et alii complures equites Itali, nobilitate generis et militari virtute insignes, qui nullis stipendiis, neque prædæ spe affecti; sed religionis vindicandæ studio, ut Pio deservirent Galliæque prodessent, huic bello strenuam operam navaverunt.

123. Nec prætereundam censem eam, quam ad Christianam disciplinam, instituendorumque militum rationem ac formulam, Ecclesiastico vere principe dignam, ducibus Pium præscripsisse, ipse refert Gabutius ¹. Ac prima quidem (inquit) arma fuere pietas atque religio in Deum Opt. Max. quo sine boni fieri nihil potest; deinde vero in præfectos quisque suos obedientia, firmaque inter se concordia. Singulos suis contentos esse stipendiis, nefaria maledicta in Deum execrari, corruptum ludendi morem, aliaque vitia fugere; ut vel hac ratione, per exempla cognoscerent illi populi, ad se missos esse sanctæ Ecclesiæ milites, vere Catholicos, qui eos ab hæreticorum ferocia atque impietate vindicarent; non autem dissolutos homines, qui incolarum bona prædarentur aut domos expilarent. Inde emisisse, subjungit, sacerdotes, qui milites ad sacrosanctæ Confessionis et Eucharistiæ ferventem usum cohortarentur, æternæque morientium salutis consulere. Omni genere commercii privati que sermonis ac disputationis cum hæreticis habendæ illis interdixit, ne item nostri eos exciperent; ne vetitis, aut libris, aut scriptis, quæ depravatæ detestabilisque doctrinæ suspecta esse possent, uterentur.

124. His, quæ ad animum instituendum accommodata esse videbantur, præcepta alia etiam addere haud prætermisit, quibus corporum etiam incolunitati ac curæ prospiceretur. Summa enim in Pontifice emicuit in stipendiis dandis liberalitas ac præclarum in copiarum ducibus remunerandis munificentia. Hinc diligentissima cura in illud præcipue incubuit, ut cibaria et comæatus abunde commodeque suppeterent, quod etiam ea manifestant, quæ ad regem scripsisse paulo ante commemoravimus. Militibus etiam, qui vel ex morbo vel ex vulnere decubissent, sedulam adhiberi curationem satagit; quos etiam eo, unde præfecti erant, quoad ejus

fieri posset, incolumes reducendos, sumptibus suis curaturum esse, pro sua charitate pollicitus fuit, in seque recepturos spondit; adjectique his alias præterea multas, easque haud contemnendas commodorum pollicitationes. Cujus quidem rei, (inquit præfatus Gabutius) multis abhinc sæculis, haud facile par exemplum fortasse reperitur, et regiam existimationem et decus non mediocriter auxit, cum toto regno fama pererebuit, de hoc Pontifice Halicariano auxilio, uti viribus prævalido, ita Christianis moribus egregie instructo. Quæ quidem copiarum, decora specie, atque ordine, cum in aciem prodire, summa cum omnium admiratione, regina, Catholicique omnes eximiis laudibus Pontificem extulerunt.

125. At, de ipso exercitu in Gallias trajiciente, audienda sunt sinceriora forte quæ narrat Sacchinus ¹: « Cum his copiis (inquit) Pius nonnullos de Societate voluit proficisci, qui tum ægros curarent, tum universis divini verbi præconio, sacrosanctisque mysteriis præsto essent. Exercitus primo Ulpianum convenit. Hic primum, dein alibi ita socii instituere eum diligenter, ita se ipse docilem præbuit, ut nec Iudi, nec dicta impia, nec rixæ, nec ferme ulla, quæ solent militarium esse hominum vitia, inter eos invenirentur; maximeque pars, antequam Alpes transirent, tum lavaverunt confessione animas, tum recepto cælesti pane roboraverunt, perque ipsam Galliam, principio eam modestiam præstiterunt, ut præclarum incolis admirandi materiam darent. Verum, sub ingresso in terras bello infestas, cum omnia reperissent vastata, augente etiam æstivo tempore ærummas, et illa discipline pulcherrima forma non leviter obscurata est; cum id quisque ad vitam tolerandam haberet, quod aliunde quomodo corrasisset, (hoc malum præviderat, ac avertere sategerat Pontifex, ut patet ex Epistola ad regem scripta), et quamplurimi ex inopia, et cerasorum, fabarum recentium, et id genus parum salubrium alimenterum immodico usu, graviter ægrotarunt et multi confecti. Quo propius ad regia castra venerunt, eo magis utrumque sensim magis malum levatum, egregie suo munere præfectis fungentibus, qui non modo stipendia in tempore, sed etiam auctiora pependerunt. Ita enim jusserat Pontifex, optime gnarus ac exercitu esuriente, nec morum disciplinam, nec ad pugnandum alacritatem exigi posse ». Sic ille.

126. Juxta vero ea, quæ ad reginam, regem ac alios scripsisse vidimus, ipsi summo suarum copiarum duci Sfortiæ Pius in mandatis dedit, ut si quid, vel de pace, vel de rerum compositione, vel aliud quidquam, Catholicæ religioni damnosum præsentiret, e vestigio, aut converso

¹ In Vit. Pii lib. 2. cap. 9.

¹ Sacchin. Histor. Societ. Jesu.

itinere in Italiam reverteretur, aut ad Catholicum exercitum in Belgio contra hæreticos dimicantem sese conferret et adjungeret.

127. Præter autem et grandem pecuniam, et quem diximus, equestrium pedestriumque militum numerum Galliarum regi auxilium missum, nonnulli ejus etiam opera factum asserunt, quod sub Mansfeldio comite, Catholici regis jussu, a duce Albano, auxiliare, quas recensimus copia, eidem regio subsidio suppeditarentur. Curasse insuper scribunt, ut Cæsar operam daret, ne hæretici e Germania in Galliam trajicerent, licet frustra id egerit, renuente Maximiliano, vel quia prohibere non potuerit. Addunt ad regem Catholicum quoque præscripsisse, de fœdere inter se et illum, et Maximilianum, et Gallorum regem, ad tollendas hæreses ineundo. At id quoque ad effectum perducere nequaquam potuit, vel quia eos principes in hoc suum consilium adducere nequivit, vel quia ab hac cogitatione foras aliud contra Turcas, de quo suo loco inferius, illum abstraxerit.

128. Ad omnes vero Italicos principes, et ad Respublicas, Petrum Donatum Cæsium, Narniensem episcopum, internuntium (ut suo loco diximus) legavit, qui, quam ipse de Gallorum regis periculo gravem sane molestiam sentiret, cædes honorum, ac nefaria hæreticorum scelera, eorum ob oculos poneret; moneretque Galliam, quæ media fere inter Hispaniam, Britanniam, Belgium, Germaniam et Italiam interjacet, concidere haudquaquam posse, quin ruina sua conjunctas partes secum pertraheret. Et innumeris plane argumentis, (quæ longo dictamine Gabulius refert) pro personarum conditione, ad magnum demum pecuniarum numerum in Galliæ regis subsidium Lugduni in commune conferendum induxit. Alios insuper viros, per omnes ditionis Ecclesiasticæ partes, ad cogendam pecuniam dimisit, qui populis suaderent, ut sponte pro sua quisque facultate ejusmodi publicæ necessitati subveniret; cum ipse, pro sua paternali erga domesticos charitate, præter jam recensita, novis vectigalibus eos minime gravandos censeret.

129. *Caroli regis illustria religionis exempla.*

— Ut vero ad ordinem redeamus, illud in primis pietatis insigne in Galliarum rege commendandum existimaverat Pius, ac non minus, quam ipsam victoriam sibi placuisse scripsit, pium nempe ac religiosum animi affectum, quo altatis ad se rei prospere gestæ nuntiis, totum se ad gratias Deo agendas laudesque ei dicendas converterat. Nam, ut tradunt Thuanus ac alii, iisdem nuntiis media nocte acceptis, e lecto statim surrexit, et ad majus urbis Metensis in Mediomatricibus, in quam se contulerat, templum, cum aulico comitatu confestim pergens, Canticum beatorum Ambrosii et Augustini recitari jussit; ac regio deinde mandato suppli-

cationes passim per regium decrevit. Hinc, ut non verbis modo, sed etiam operibus, quibus sibi Deum magis placibilem, juxta Pii monita, reddere poterat, se gratum præberet; Fabio Mirto, episcopo Calatino, moxque, archiepiscopo Nazareno, tunc Apostolico internuntio suadente, in eadem Metensis civitate synagogam, ab Ugnotis extructam, in qua ipsi congregari consueverant, funditus everti jussit, ac publico edicto in urbe ipsa aut ei prope, Protestantes sua exercitia habere prohibuit. Cum autem, de insigni hac victoria, non Pontificem modo, sed cæteros quoque Catholicos principes, missis (ut diximus) legalis, certiores reddidisset; senatus Venetus, dux Albanus per Belgium, aliique Orthodoxi principes, pro tanto beneficio gratias agentes, supplicationes instituerunt.

130. *Suffecto in locum Condæi demortui Henrico Bearnariæ principe, Ilugonotti ab Elizabetha Anglo subsidia obtinent.* — Interea, post cladem acceptam, qui ex hæreticis fuga evaserant, una congressi, Navarraea ad eos confestim advolante, cum ipsa simul in demortui Condæi locum, Henricum Bearnari principem, ejusdem Navarrae filium, et Henricum alterum ipsius Condæi natum sufficiunt; auctoritate tamen ac rerum administratione apud Admiratum Colinium remanente, cum propter ætatem, huic ferendo oneri utrique Henrici viribus ac rerum usu impares essent. His tamen juramento obedientia promittit. Post quæ Navarraeam reginam aureos nummos eudi jussisse, in quibus sui ac filii impressæ imagines videbantur, his appositis: *Par certa, victoria integra, mors honesta*, scribit Davila. At Thuanus, Campiglia, et alii, id in illud tempus rejiciunt, quo Ilugonottorum copiis sese auxiliares Germanicæ addidere. Certiorem tamen collate in se dignitatis per litteras reddidisse ducem Andegavensem, Bearnari principem tradunt; qui in iisdem, non ad regem oppugnandum, sed defendendum, atque ex eorum manibus qui cum obsessum tenebant erudendum, scripsisse se oblatum munus recepisse affirmant. At jussu regis respondit Andegavensis, tanto graviorem principi eam dignitatem accidisse, quanto diligentius de ea reddenda esset ratio, cum contra integerrimam et sanctissimam religionem, suumque regem arma sumpsisset; se ideo eum amice hortari, ut ab eo honore abstineret, cum jam his Deus, per rebellium clades ostendisset, quantopere sibi arma illa essent invisa. Cavendum esse, ne tertio ipsius gravior ultio ingrueret, et sero discere compelleretur, præstare Catholicam religionem, regisque affinis conjunctique amicitiam, quam novam hanc hæreticorum perfidiam, et rebellium atque seditiosorum causam fovere.

131. Navarraea vero regina, postquam apud exercitum et proceres, ac privatim apud filium multa acuendo juvenili ingenio prolocuta esset,

Repellam, ad nova paranda subsidia rediit. Hæc autem sibi potissimum ab Elizabetha Angla suppeditari enavit. Quæ quidem Elizabetha (inquit Camdenus¹), licet rebellionibus domi suæ implicata, tamen Protestantibus in Gallia non defuit; nam ejusdem Protestantibus principes, ad communem causam tuendam hortata, pecuniam Navarrae reginæ, monilibus pignori acceptis, suppeditavit, permisitque Henrico Champernovo (cujus patruelis Gawinus Comitis Mongoverii filiam in uxorem cooperat) in Galliam, turmam centum equitum volonum nobilium ducere, qui vexillo inscripsit: *Finem det mihi Virtus*.

132. Et certe propense semper Ugonottos fovere Elizabetham studnisse, ea confirmant, quæ scribit Remundus², dum præ regis Christianissimi oratore, ampliori honore semper persecutam fuisse Castillionem, excardinalem, hereticorum legatum asserit: inter cætera narrans, quod unquam is ad ipsam Elizabetham venisset, quin osculo exceptus esset, eique, non procul a regia, magnificum assignatum palatium fuerit. Nec modo Elizabetha, pecuniis aliisque sectarios juvit; sed Anglos pseudoepiscopos quoque et Protestantes alios non exiguam pecuniæ summam subsidio eis misisse tradit. Id autem Elizabetham ipsam minime probasse supjungit; at oppositum ex Camdeno apparet, qui ejusdem flagitium diffileri non erubuit.

133. Quæ tamen Remundus³ ipse de Jarnacensi prælio monumentis mandavit, incongrue hic subnectere haud existimavimus: « Sub finem (inquit) anni M^{DC}LXIX, regius legatus, accepto, licet ob contrarios ventos tardiuscule, de prælio Jarnacensi et Condæi cæde, nuntio, Gallo mercatori, in Anglia habitanti, ab se accersito, rem aperuit, qui mox etiam noctu, per Catholicorum domicilia circumcursitans, famam per totam urbem divulgavit. Territi eo nuntio Calvinistæ reginam adeunt, et de rumore illo, per Galliarum regis oratorem divulgato conqueruntur. At ille factum hoc negabat (neque enim jusserat), addens de rumoris veritate nihil tum sibi certo constare. Paucos post dies, quidam aulicus, a rege missus, certum de tam præclara victoria et Ugonottorum regis morte nuntium in Angliam pertulit; quod reginæ dolorem non mediocrem, Castillionæo vero cardinali desperationem pene attulit ». Hæc ille: verum, cum Jarnacense certamen commissum fuerit mense Martio hujus anni; illius nuntium, sub ipsius finem tantum in Angliam pervenisse, haud verisimile videtur, cum præcipue, non Catholici modo, sed sectarii quoque de illo certiore reddere Elizabetham, a qua subsidium deprecabantur, quamprimum curasse censendum sit;

nec ventis adversoque mari tam longa morarile imputari posse agnoscat.

134. *Dux Bipontinus arma jungit cum Ugonottis*. — Validiora tamen subsidia, quam ex Anglia, Ugonottis ex Germania accedere; dum, quem memoravimus, dux Bipontinus, cum circiter septem millibus equitum Germanorum, quibus additæ erant duodecim cohortes Gallici nominis, ac aliquot levis armaturæ alis, in Galliam ingressus est. Ipsi quoque se junxerat Auriacus, cum fratribus. Licet paucis stipatus copiis. Ut cum regni ingressu prohiberet rex, cum exercitu, ad fines, ducem Umalium miserat; at cum hosti repellendo vires ei non suppetere existimaret, deinde aliis cum copiis Nemuresium ducem eo etiam se conferre imperaverat. Hi igitur, equitatu licet hostibus impares essent, peditatu tamen longe superabant. Nihilominus, quamvis ad regni usque limites ipsis hostibus occurrissent, tamen ingressu arce, vel nequiverunt, vel noluerunt, si fides Campilia¹ sit, qui, inter præfatos duces, dissidia, ex quibus plurima mala oborta fuisse refert. Cum rex igitur, Mediomaticibus relictis, Verduum accessisset, accessit ad illum Bipontini legatus, causas cur arma sumpsisset et in Galliam venisset exposuit. Hujus legationis, ac Bipontini Epistolarum summam paucis complectitur ab Isselt², his verbis: « Quia scilicet Deo, et hominibus suæ religionis obstrictus erat, iis opitulari, qui istius religionis causa persecutionem sustinerent, et quo rex, contra conscientiam et propriam voluntatem a vera religione revocare conabatur; regem injustiæ accusabat, ut qui primum pacificatorum edictum revocaverat. Promittebat, si rex ejusque administri agnoscere velint, quid debeant Deo; si omnia edicta iniqua velit antiquare, si religionem reformata suis permittere, bona restituere, de vitæ securitate cavere, principem suum armis positurum et in Germaniam reversurum.

135. Alias nihilominus ab his, quas ab Isselt refert, fuisse Bipontini Epistolas contendit Thuanus, ideoque quæ temere in illis continentur, necnon alia, quæ ab Isselt omittit, aspera, et peracerba, et offensionis in regem regisque fratrem plena, de cæde nimirum Condæi, infarcinata dicit a factiosis quibusdam, qui illas in Gallicam linguam transludere. Imo addit, illâ, prudentissimum principem, et in ponderandis verbis accuratissimum, postea, tanquam supposita, et ab ingenio suo, urbanitate, ac cultu, quo regem prosequatur, prorsus aliena, per suos refutasse. At nos, magis quam Thuanicis miris his excogitationibus, Bipontini factis fidem adhibendam existimamus; cum enim non appareat, unde Thuanus potuerit Bipontini urbanitatem ac cultum in regem ostendere, in

¹ Camden, ann. 1569, pag. 120. — ² Remund. Hist. Hæres. lib. 6, cap. 13, pag. 117. — ³ Ibid. ut supra.

¹ Campil. lib. 2, pag. 157. — ² Ab Isselt, ut supr.

quem, præter jus omne, ad summum contemptum et offensam arma inferebat. Bipontini certe priora verba, deteriora facta comprobaverunt. Sed ad quid hæc? cum quidquid dixerit Bipontinus, rite intelligatur coarguendus? Si enim obsequii plena verba dixit in regem; cum isla obsequio, quod regie majestati vere exhibere debuisset, nullatenus collaeserint, tanquam ementita et falsa improbanda procul dubio agnoscentur. Si vero secus, ac hujusmodi, ut ab Isselt aliique referunt, extiterunt; quis talem ac tantam temeritatem excusare poterit?

136. Huic igitur legato hisque litteris responsum est, ut præfatus ab Isselt aliique referunt: «Plurimum quidem Deo deberi, qui Carolum, et regem, et Christianum regem, et Catholicum regem nasci voluisset; et quod una cum Dei reverentia et debita subditis justitia hæctenus dedisset, tam nefarias hæresum radices evellere, atque eos, qui prætextu religionis, seditiones et tumultus in suum principem, cum maximo totius regni incommodo cogitant, exterminare. Mirari regem, quod ille princeps tam leviter ignobile vulgus armis suis protegat, qui majori cum aliis principibus, adversus rebelles, pro legitimo rege arma sumere debebat. Mirari omnes Gallie proceres, quæ ista sit Bipontini temeritas, ut, tanquam tutor, ipsum regem moneat: imo urgeat ad ea, quæ ad regni Gallicæ administrationem pertinent. Quæ dementia, ut eum urgeat, in quem jus nullum habet? Suos subditos gubernaret, in alienam messem suam falcem mittere desineret. Quod si in ea dementia et imprudentia pergat, futurum ut intelligeret, se periculosam provinciam suscepisse, susceptæque brevi illum pœnilurum».

137. *Bisuntini in fide confirmati tum per Pontificis litteras, tum per detectam hæreticorum perfidiam.* — At, quam opportune, paulo ante ista, salutaribus suis monitis Pontifex hortatus fuerit, tum capitulum et canonicis Bisuntinæ Ecclesiæ, tum ipsius civitatis magistratus, ad retinendam inter se piarum mentium concordiam, ad seipsos et patriam ab hæreticorum commercio et fraude tutam conservandam, æstimare licet, non minus ex ipsis Epistolis, quas hic damus, quam ex eo, quod pestifer hic Bipontini exercitus per Alphasiam, Montem-Pellicardi, et Burgundiam progrediens, in qua Bisuntina ipsa civitas sita est, in interiores Gallias penetraverit. Epistolæ¹ fuere hujusmodi:

«Dilectis filiis, capitulo et canonicis Ecclesiæ Bisuntinæ.

«Magna in Domino lætitia affecti sumus, quod de vestra sincera devotione, et Catholice religionis amore, ea ad nos afferuntur, quæ et vehementer desiderabamus, et hominum vere religiosorum pietate digna sunt. Et quamvis

bonorum, quales vos estis, sincera devotio filiorum, pro sua ipsorum et omnium Christi fidelium Matris Ecclesiæ salute tuenda, nullius hortationis stimulis indigere videatur; tamen, quia, peccatis id facientibus, in eam temporum calamitosam conditionem devenimus, ut etiam his, qui sibi stare in Domino videntur, omnia, et prudenter timenda et diligenter præcavenda sint; et quia præterea, paterna, qua vos omnes prosequimur, benevolentia non palitur, nos de vobis hoc periculosissimo tempore sine sollicitudine esse; ideo, pro commisso nobis ab Omnipotenti Deo, quamvis immeritis, curæ pastoralis officio, dilectionis vestras in Domino hortandas excitandasque esse prævidimus; primum quidem, ad servandam omni conatu inter vos ipsos concordiam, deinde etiam ad consentiendum cum dilectis filiis nostris istius civitatis gubernatoribus: ea scilicet mente, ut conjunctis studiis et consiliis, uno animo facilius eam ab hæreticorum communium hostium insidiis conatibusque tutam atque immunem præstare possimus. Ut enim ad locum adversariis vestris dandum nihil aptius esse potest, quam animorum vestrorum inter se dissidentium discordia: sic ad intercludendos eis omnes aditus, nihil concordia eorumdemque animorum consensione est efficacius: ad quam quidem, cum vos, ut facimus, studiosissime hortamur, ad vestram vos salutem, vestra commoda vestramque dignitatem refinendam hortamur. Nihil enim harum rerum, sine ea, aut haberi a vobis, aut conservari potest. Illud præterea monemus, et quanto majore animi studio possumus, hortamur, ut pro confirmandis bonorum, Catholicorumque virorum vestro exemplo animis, proque his, qui a Catholica fide aberraverunt, ad eam revocandis, vos ipsi in primis piam, sobriam, castamque, mandatisque Dominicis consentientem vitam vivatis; deinde alios etiam ad idem faciendum, præstandumque, et verbis, et operibus exciteis: illud pro certo habentes, ad revocandam veterem, in horum, qui nunc homines sunt, animis, erga sacerdotes ac clericos reverentiam, nulla remedia excogitari posse meliora, quam si illi ipsi sacerdotes, et clerici ita vivere studeant, ut reprehendendis eorum moribus, nullam hæreticis ansam, ad reliquos ab eorum cultu respectuque removendos, relinquunt. Quapropter, dilecti filii, Dominicorum memores salubriter mandatorum, sic vivite, itaque ad custodiendos vos civesque vestros ab hæreticorum insidiis invigilate; ut ante æterni judicis tribunal constituti, bonarum vestrarum actionum fructum, qui ad mercedem vestram pertineat, et in quo lætari possitis, eidem Redemptori nostro exhibere cum gaudio valeatis. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VII Februarii MDLXIX, Pontificatus nostri anno quarto».

¹ Apud Goub. Epist. lib. 3. Epist. 6.

138. Ad gubernatores¹ vero :

« Dilectis filiis, gubernatoribus civitatis Bisuntinae.

« Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. Vehementer in Domino gaudemus, Omnipotentique Deo gratias agimus, quod de vestro Catholicae religionis studio, deque vestris isti civitati, patriae vestrae, salutaribus actionibus, ea quotidie magis intelligimus atque audimus, quae et valde cupimus, et virorum Catholicorum pietate digna sunt : quae cum laetopere Deo grata acceptaque sint, dubitare non debetis, quin eadem nobis quoque gratissima et acceptissima sint. Proinde debitu[m] paternae erga vos charitatis nostrae salutationis officium persolventes, virtutem vestram pietatenque singularem, atque in civitate vestra ab haereticorum insidiis diligenter tuenda vigilantiam, meritis in Domino laudibus prosequimur. Et quamvis, ad explenda omnia piarum actionum officia, ipse vos vester divini honoris zelus satis accendat; tamen, quia, et horum calamitosa temporum conditio id exigere videtur, et civitas ipsa vestra, quo magis vicinorum locorum periculis exposita est, eo cautiores in illis vitandis diligentiam, attentionemque, et curam desiderat; ideo, pro nostra pastorali sollicitudine paternaque in vos benevolentia vehementer hortamur, ut nihil hoc tempore, de vestro perpetuo studio vigilantiaque remittentes, sed, si fieri potest, aliquid etiam addentes, solliciti ac diligenter ad vos ipsos, vestramque civitatem, a pestiferarum haeresum veneno custodiendam, invigiletis; eamque ob causam, cum dilectis filiis capitulo et canonicis istius Ecclesiae consentiatis, ut conjunctis animis et consiliis, uno animo facilius, Deo et Religione Catholicae causae inservire possitis. Qua in re praestanda illud valde proderit, si et advenas ipsos, qui ad incolendam urbem vestram aliunde veniunt, et eos quoque, qui commercii causa ad eandem accedere, et recedere consueverunt, diligentissime cavebitis. Saepe enim unius improbi veneno sermonis, multa in Christi corpore vivencia membra inficiuntur. Vos autem praecipue decet, dilecti filii, primum quidem Omnipotenti Deo hanc operam praestare, deinde vobis, civiumque vestrorum saluti consulere, quos in vicinitate tot tantorumque periculorum positos, ejusdem Dei erga vos benignitas ab haereticorum peste immunes liberosque ad hanc usque diem conservavit : ut quemadmodum illius gubernante gratia factum est, ut nulla vos vestrosque cives hucusque haeresum, exterius superveniens, unda conturbaverit; ita in vobis, illisque diligentius etiam in posterum custodiendis, majorem Redemptoris nostri gratiam promereri possitis. Qui enim omnia, quae potuit, fecit, is charitatis

legem adimplevit. Estote igitur cauti, noctesque ac dies, ad commissum vestrae fidei populum utiliter regendum invigilate; nihil praetermittite earum rerum, quibus, et Catholicae fidei cultus quotidie apud cives vestros augeri, et haereticorum insidiae ac fraudes evitari possint. Ad haec autem, et caetera, quae utilia fore putaveritis, efficienda, si qua vobis in re, sive auctoritas, sive auxilium nostrum usui esse poterit; id a vobis admoniti (quantum cum Domino poterimus) nunquam a vobis desiderari patiemur. Omnipotens autem Deus vos, in hoc, in quo esse voluit loco, civesque vestros, sua defensione custodiat, et ad caelestia dona perducatur. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vii Februarii MDLXIX, Pontificat. nostri anno quarto ».

139. Ex Epistolis hinc, ni fallimur, perspicue elicitur, religionis ac fidei rei nil propemodum prodesse potuisse, si Bisuntinae Ecclesiae, et urbi, quem Roma retinebat, archiepiscopus Bisuntinus restitueretur, Pium existimasse : nam, cum tam eximio studio avite religionis conservationi in ea provincia incumberet, si aliquid utilitatis ejusdem conservationi pastoris praesentiam conferre potuisse agnovisset, illud praetermississe Pontificem, nullatenus censeri potest; et eo magis, quod non modo scriptis, quas proposuimus, Epistolis, sed alia quavis ratione regionis illius eximiam sollicitudinem gerens, fratrem Joannem de Montot, ex suo praedicatorum Ordines in civitate ac diocesi Bisuntina, ac toto Burgundiae comitatu, contra haereticam pravitatem generalem inquisitorem, ab anno superiore instituerat.

140. Verum, eandem animi devotionem, quam rite in clero ac consulibus Bisuntinis laudandam Pius censuerat, in senatu Dolensi minime offendit. Cum enim Pontifex, praefato Joanni de Montot, uti procuratorem fiscalem, fratrem Simonem Dignum, ejusdem Ordinis Praedicatorum professorem, socium adjunxisset; ac utrisque, et aliis, qui in eo Inquisitionis officio deservire debuissent, quosdam beneficiorum simplicium annuos redditus attribuisset : rem aegre tulit senatus idem, sparsoque insuper a perversis hominibus quibusdam falso rumore, praefatum Simonem, ex Hispania accersitum, ut Hispanicae Inquisitionis jugo eam provinciam subjeceret, tumultus inde ideoque excitatus; de quo admonitus Pius, ista ad Albanum ducem scribenda existimavit :

« Dilecto filio, nobili viro, Ferdinando duci Abae.

PIUS PP. V,

« Dilecte etc. Certiores facti fuimus, non sine magno animi nostri dolore, dilectis filiis Joanni de Montot, quem nos, Ordinis Praedicatorum, et theologiae professorem superiore anno

¹ Ut supra Epist. 7.

in civitate et diœcesi Bisuntina, ac toto comitatu Burgundie, hæreticæ pravilitatis Inquisitionem generalem constituimus; et Simoni Digno, ejusdem Ordinis professori, procuratori fiscali, a nobis eodem tempore constituto, ab senatu Dole, non modo, quod æquum fuerat, ad exequendum eorum officium, sed etiam per pessimos quosdam homines falso rumore disseminato, prædictum Joannem, ex Hispania Inquisitionis hæreticæ pravilitatis officium in eas partes detulisse; multa delrimenta. variasque moras insuper afferri, quominus uterque eorum, tuto et commode, ut par est, commissi sibi a nobis officii munere fungi possit. Iulæ cætera autem illud etiam ad nos allatum est, eundem senatum valde adhuc resistere et repugnare beneficiorum quorundam simplicium unioni, quæ nos ad summam usque octo scutorum annui redditus, ejusdem Inquisitionis officio idcirco uniri volumus, ut esset unde illius ministris, ad sustentanda ea quæ officio incumbunt onera, sumptus suppeditarentur. In quo senatus ille dupliciter peccat, tum quod Omnipotenti Deo Catholicæque Ecclesiæ militantium, pro exercendo eorum officio, necessaria subsidia impedire conantur; tum quod se ad eas res, præter æqualem admisceat, quæ ad eum nulla ex parte spectant. Quid enim illi in Ecclesiasticis beneficiis juris est, quorum nos Deus Omnipotens distributores dispensatoresque constituit? Ut enim nos nihil de illius senatus juribus et facultatibus detractum immittuntumque volumus in his rebus quæ ipsius pragmaticis continentur, sic etiam æquum est, nobis, in rebus quæ nostri Ecclesiastici juris sunt, nullam a quoquam, aut molestiam exhiberi, aut impedimentum afferri. Quoniam vero Catholicos principes, tui similes, decet ordinariis et S. Inquisitionis officio, auxilium favoremque suum, ad coercendam tantam animarum pestem, propenso animo præstare: quæ res etiam, ad populos in fide, obsequio devotioneque debita continendos, tranquillaque pace regendos, maxime pertinet: idcirco nobilitatem tuam, quam et Deum timere et justitiam sectari compertum habemus, hortamur in Domino, et ab ea requirimus, ut vel litteris, vel nuntiis tuis eum senatum moneat, ab incæptis desistere, beneficiorum unioni non repugnare, neque amplius prædicto Inquisitori, aut ejus ministris, ad exercendum ejus officium, impedimentum afferre; sed ei potius, quantum horum perturbatissimorum temporum conditio patitur, omnem suam opem, omne auxilium omnemque favorem accommodet. Erit hoc eximia tua in Deum pietate, et singulari erga nos sanctamque hanc Sedem reverentia, personaque tua dignum officium. Sicut enim nobilitati tuæ Deus dedit, ut in hac vita victoriarum splendore fulgeret; sic etiam præcipue decet, his qui Ecclesiæ jura

vel minuere vel impedire volunt, omnibus viribus obistere, ut ex atroque triumpho, apud omnes homines, de tua præstandi pietate, magis magisque enlescat, confirmeturque opinio. Nisi enim per eos qui possunt, S. Inquisitionis Officii ministris, suum officium exercendi facultas detur, hæreticisque ipsis, quod absit, nocendi facultas suppetat; quis non videt, eos, ad tabescenda Christiani corporis membra, hæresum suarum venena, quotidie longius latiusque esse diffusuros? Quod ne accidat, nos quidem, quantum in nobis erit, efficere conabimur; sed huic nostro pio conatui, tuam cæterorumque Christianorum principum operam atque opem necessariam esse videmus: quam, si quando ab eis, velut nunc a te, requirimus, debent illi, debesque tu, pro tuo divini honoris zelo intelligere, non minus nos eam abs te, quam Deus ipse, cujus vices licet immeriti gerimus in terra requirere. Deï enim est illa vox: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit*. Qua de re pluribus verbis ad nobilitatem tuam scripsimus, non quia ejus pietati, juvenæque Catholice religionis studio diffidamus; sed ut quantopere ea res nobis cordi sit, intelligeret. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV Maii MDCXIX, Pontif. nostr. anno quarto ».

141. *Bipontini obitus: Andelotius veneno necatus.* — Non minus quam salutaria hæc Pontificis monita, ipsam hæreticorum perfidiam, Bisuntinos ab eorum erroribus abalienare, ac in orthodoxa fide confirmare, merito debuisse censendum est. Bipontinus enim dux in proxime Burgundiæ provincia altera, Charitatis ad Ligerim oppido, deditione occupato, contra fidem datam, illud militibus suis nefarie tradidit diripiendum. Loco menstrui stipendii, quod promissum, et non representatum, in prædam Germanis concessum fuisse, scribit Thuanus ¹. At principis adeo prudentis ac ponderati (nisi ipse Bipontinum describit) non erat certe, quavis ratione, datam fidem infringere. Trajecto deinde Ligeri flumine, ille nihilominus magnis itineribus ad Navarream et Admiralium contendit, ac Hassovim prope Carsum pervenit. Verum, ubi paucis diebus plurimos hoc in itinere illius milites a Catholicis contigit trucidari, sic ipse, divinæ non effugit animadversionis ullaionem; nam in eo, quem commemoravimus loco, sive ex itineris fatigatione, cum quartana diu laborasset, ut quidam habent; sive ut alii, ex polus excessu, sive demum, ut alii, ex veneno, admiralii opera ei propinato, quod Iofius hæreticorum exercitus solus imperator esse vellet, misere interijt ²; Mansfeldio, ipsius legato, ducis exercitus munus, loco illius subeunte. Hunc fratrem fuisse alterius Mansfeldii, auxi-

¹ Thuan. histor. lib. 45. pagin. 575. — ² In Adnot. Mes. ad Taragnot. hb. 12. pag. 162. 2.

liarium copiarum Albani ducis præfecti, tradit Hadrianus ¹; qui addit, eum, quando sanguinis necessitudine priori conjunctum, tanto in religione, factione et voluntate extitisse contrarium,

142. Andelosius etiam Admiraliæ Coliniæ frater, et sectariorum alter Achilles, lethali febre correptus, fato concessit. Hujus felicitatis et virtutis, (inquit ab Iselt) tanta fuit apud Hugonottos opinio, ut vulgus militum penes eum victoriam fore ominarentur, cujus ille causam defendendam susceperat; nec aliquid difficile aut arduum putarent, quod ejus ductu gereretur. Veneno pariter sublato a Martiga, scribunt Hadrianus ², Campana, Turlura, ac alii. Quidquid fuerit, nefarii sacrilegique hominis vitam, certum est non nisi indecoro ac infuasto fine rite fuisse concludendam: de illo enim hæc habet Brietius ³: « Andelosius obiit, sacerdotum acerrimus hostis, ex quorum auribus torquem ferre conueverat; cui Indus erat sanctorum reliquias flammis addicere, templa inflammare, Ecclesias spoliare, inter primos Caco-dæmonis satellites numerandus ». Miserat eum Admiralius, eum aliquot peditem et equitum lurnis in Pictones, ut copias colligeret, Catholicorumque, et præcipue Landeræi conatus in terrumperet. Is enim, junctis cum Phuygillando et Bourkeo copiis, Montlacutum, Clissennium, et Fifangosum oppida suæ potestatis fecerat: quæ oppida cum sectarii frustra ut recipere tentasset, universam Pictonum possessionem Landeræo (cui etiam paulo ante insidias struxerant) et Catholicis reliquerunt.

143. *Andegavensis proditorie ad necem quæsitæ a Colino: varix leves pugnae.* — Dux Andegavensis interea, per Angolismensem et Lemovicensem agrum, nemine resistente excurrrens, munitas aliquot urbes usurpaverat. Admiralius vero vindictam ac cædem spirans, nil regalis sanguinis dignitatem veritus (si Tarcagnottæ ⁴ fides) etiam miserat, qui proditorie ipsum occiderent; at proditiõe detecta, qui facinus moliebantur comprehensi, debitas sceleri luere pœnas. Nilominus Hugonottorum exercitus cum auxiliariis Germanicis copiis jungitur; cumque paulo post Andegavensi pariter Italiæ cohortes, a Pontifice, ut diximus, missæ, adjuerentur; hæc tamen subsidia regio exercitu subministrata, Admiralius et socii superbe parvipendentes, ac si victoriam certam in potestatem haberent, ut regi insultarent, timoremque incuterent, et causam suam e contra æquiorum ostenderent, novum supplicem libellum, sed ejusdem ac veterum argumenti, per Memorantium ipsi offerre ausi sunt, decimo septimo kalend. Julii. Repetita in eo superiorum bellorum

memoria (inquit Spondanus) rejectaque eorum in Guisios, et cæteros publicæ quietis hostes culpa, arma se pro conscientiarum libertate coactos sumpsisse testabantur, petebantque, ut sibi liceret, per universum regnum libere convenire, bona et dignitates secure possidere, atque eo nomine sibi idoneo cavere. Quæ, si sibi concederentur, se protinus ab armis discessuros pollicebantur. His addunt alii, petiisse insuper, quod, si quid erroneum circa religionem esset, Oecumenicum et legitimum Concilium, in quo de religione ipsa controversiæ libere discuterentur, habere possent.

144. Oblatum temere libellum neglexit rex, nec modo in ea contenta audire vel legere contempsit, sed addidit insuper, nullis omnino eorum precibus se aurem præbere velle, nisi prius, armis depositis, in gratiam suam rediissent. Hinc denuo armis res agi cepit. Dux Andegavensis, auxiliariis licet copiis auctus, ut diximus, se tamen Hugonottis viribus impari intelligens, in locum, natura munitum, prope Lemovicum urbem se recepit; at ex suis plures, prope Vrieri Fanum victi, quadringentos circiter amiserunt, capto Strozza, Santlupo, et aliis minoribus ducibus: e victoribus tres dumtaxat copiarum duces periire, et quinquaginta tantum occisi milites, si Thuano sit fides. Aliis deinde minutis præliis certatum, modo his, modo illis victoribus. Post acceptam præfatam ad Vrieri fanum a Catholicis cladem, inter belli duces, in Andegavensis castris, habita deliberatione, placuit, ut ad militem reficiendum, copie per præsidia ad aliquod tempus distribuarentur, eo consilio, ut nobilitas domum ad vires colligendas, et pecuniam parandam profecta, alacrior in castra reverteretur; condicta omnibus dies quintadecima Augusti, qua cuncti ad signa convenirent, prorogatum tamen ad primam Octobris Thuanus tradit.

145. *Quibus de causis Pontifex nova subsidia ad regem Gallorum mittere detrectaverit.* — Contra perduelles sibi vires non suppetere, cum igitur rex ac regina parens intelligerent, ut stare, ut diximus, palam contra ipsos non posset; præter subministrata subsidia, alia insuper a Pontifice obtinere conixi sunt. Verum Pontifex rem detrectavit, vel quia quod peterent, ad hosti resistendum, novum præsidium pecuniarum esset, vel quod, quia eo abusi multoties fuissent, nullatenus amplius suppeditare decreverat; vel quia, ut verosimilius censendum est, aliud, præter præstitum, tunc vere præbere non posset. Pii Epistolæ ad reginam et regem hujusmodi fuerunt.

« Clarissimo in Christo filio nostro, Carolo Francorum regi Christianissimo :

PIUS PP. V.

« Charissime etc. Venerabilibus fratribus

¹ Hadrian. histor. lib. 20. pagin. 1488. — ² Hadrian. ut supra Campan. lib. 3. pag. 58. Vita Philippi II. Turtur. lib. 3. pag. 199. — ³ Brietius hoc anno. — ⁴ Tarcagnot. lib. 12. pag. 158.

nostris, episcopo Cajacensi, nostro et Apostolicae Sedis apud M. T. nuntio, et episcopo Cenomanensi M. Tue apud nos oratori negotium dedimus, ut ei causas exponat, ob quas, majoribus, quam quibus adhuc fecimus, M. T. auxiliis, in isto, quod adversus hæreticos, suosque rebelles gerit, bello adjuvare, quemadmodum vellemus, non possumus: quos, ut æquo animo accipiat, hisque rebus contenta sit, que in facultate nostra presentis sunt, M. T. vehementer rogamus. Quæ utrique eorum, his de rebus, quas nostro nomine, vel alter ad eam scripserit, vel alter præsens egerit, eandem fidem habere poterit, quam nobis ipsis haberet, ac si cum ea præsentibus loqueremur. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima Augusti MDLXIX, Pontific. nostr. anno quarto ».

Ad reginam :

« Charissimæ in Christo filix, Catharinæ etc.

« Charissima etc. Dolemus vehementer, in eo statu res nostras esse, ut M. T. postulatis, de majoribus auxiliis, ad charissimum nobis in Christo filium, regem Christianissimum, natum tuum, in isto adversus hæreticos bello mittendis, quemadmodum vellemus, satisfacere non possimus. Ejus rei causas diligentius et copiosius M. T. exponent ven. fratres, episcopus Cajacensis, noster et Apostolicae Sedis apud eundem Christianissimum regem nuntius, et episcopus Cenomanensis, ejusdem apud nos filii tui, charissimi regis orator. Quibus utrisque, ut eandem fidem habeat, quam nobis præsentibus secumque loquentibus haberet: utque his rebus contenta sit, que facultatis nostræ presentis sunt, M. T. vehementer rogamus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima Augusti MDLXIX, Pontific. nostr. anno quarto ».

146. Præter hæc, ad implorandas novas has a Pontifice supplicas, a Ludovico Nivernensi duce, Camillum Ferrum, regii Ordinis equitem, Romam missum fuisse, ex ejusdem Pii scriptis in hunc modum ad ipsum duces litteris cognoscimus.

« Dilecto filio, nobili viro, Ludovico duci Nivernensi.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Dilectum filium Camillum Ferrum, regii Ordinis equitem, dedita a te opera ad nos missum libentissime vidimus, ejusque postulata, de majoribus, quam adhuc fecimus, auxiliis Christianissimo regi mittendis, quæ tuo ad nos nomine detulit, ea benignitate cognovimus, ut si facultates animi nostri erga eundem regem propensionis pares essent, cumulativissime satisfactori fuerimus; adeo enim illum in tanti belli discrimine positum dignum esse putamus, cui auxilium nostrum paratum sit, ut non pecunia modo, aut militibus, sed ipso etiam nos-

tro sanguine, si modo possetus ei a nobis subveniri æquum esse censeamus. Quæ quidem nostra erga eum voluntas, quemadmodum antea, sic etiam imposterum semper erit. Sed majestatem suam nobilitatemque tuam, his rebus deest esse contentas, quæ in facultate nostra presentis sunt, quemadmodum copiosius ex eodem Camillo intelliges, ejus quoniam nos sermone referimus, a nobilitate tua petimus, ut in his rebus, quas tibi super hac ipsa re nostro nomine exponet, sine ulla hæsitacione fidem habeat. Quod autem idem Camillus tuo etiam nomine consilium a nobis postulavit, utrum petendi Christianissimo regi auxilii causa, ut reliquos Italiae principes adiret, ei auctores essemus: nostra sententia ejusmodi fuit, ut eam rem prodesse potius quam obesse posse existimarem; quemadmodum ab ipso nobilitas tua intelligere poterit. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III Augusti MDLXIX, Pontificatus nostri anno quarto ».

147. Quia igitur operibus aliis, ad ea quæ cumulativissime præstiterat, Galliarum regem ac regnum juvare Pius non poterat; saltem consiliis ac monitis, quam posset, opportunam opem præbere studuit; ideoque, præter eas, quas alibi retulimus, hoc ferme tempore ejusdem fere exempli ad cardinales Borbonium et Lotharingium ab eo scriptas in Vaticano Regesto¹ sequentes habemus Epistolas, quibus convellere eam potissimum causam radicemque curavit, unde, quæ subsequuta sunt mala, et optime gerende rei occasiones elapsæ, inferius narrabuntur:

« Dilecto filio nostro Carolo cardinali Borbonio.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili etc. Inter alia multarum curarum onera, quibus in hoc Apostolicae servitutis fastigio constituti quotidie premimur, maxime nos sollicitos habet istius, a Christianissimo rege, pro religione Catholica suscepti adversus hæreticos belli cogitatio: quod quidem bellum ita administrari cupimus, ut quamprimum, ex Christianissimi regis nostraque sententia confectum, eo quem optamus exitu concludatur. Ad hoc obtinendum maximo te adjumento esse posse intelligimus; neque ut id facias rogandum esse pro comperlo habemus: nota est enim nobis tua in Deum Omnipotentem pietas, et Catholicae religionis studium, et in Christianissimum ipsum regem fides, quam in tanta temporum varietate, eandem ei semper præstitisti; sed tamen cum ejus belli exitus majore nunc quam adhuc fuit expectatione esse videatur, nostra quoque de eo sollicitudo magis augetur, sic ut nullas officii nostri partes a nobis prælermissas

¹ Ex Regest. Vaticano ut supra.

esse velimus. Quocirca etsi ea te prudentia præditum esse scimus, ut que cavenda sunt optime dispicias; tamen animo ipsi nostro satisfacere volentes, circumspeditionem tuam paterne monemus, et in Domino hortamur, ut si ex his, quibus rex Christianissimus in administratione istius belli adiutoribus et ministris utitur, aliquos esse senseris, qui suas privatas rationes sequentes, de religionis Catholice causa adjuvanda, regisque ac regni incolumitate tuenda, una et mente et voce cum cæteris non consentiant; eis ut a tam pravo incepto desistant persuadere coneris, resistentes autem, et monitis tuis parere recusantes, penis etiam delerendos cures. Una est enim, que omnibus rebus recte administrandis maxime adversetur, ministrorum ipsorum inter se discordia, que ne rebus istius regni perniciem afferre possit, tuæ in primis partes sunt diligenter attendere; cuius consilii, et belli administratio, et regnum istud, maxima ex parte gubernatur. Quod honoris tui quoque causa facere debes; ad te enim istius regni religionisque Catholice conservatæ laus præcipua est perventura. Hoc idem etiam Omnipotenti Deo debes, cuius violatæ religionis agitur causa: hoc ejus Ecclesie, cuius honorabile membrum es; hoc universæ reipublice Christiane, cuius in uno istius belli exitu, prospero vel adverso, salus vel exitium continetur. Quocirca dare te operam oportet, ut maxime et communi salutem, Deique Omnipotentis religionis summopere periclitanti, concordibus omnium regionum ministrorum animis subveniatur. Quod ut facias, nostramque de rerum istarum prospero successu, animo conceptam jampridem spem, ne restitui pafiaris, vehementer rogamus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima Augusti MDLXIX, Pontific. nostr. ann. quart. ».

148. Ad cardinalem vero a Lotharingia¹.

« Dilecto filio nostro, Carolo, lit. Sancti Apollinaris presbytero cardinali, a Lotharingia vocato, nostro et Sedis Apostolice legato.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Quantopere cupiamus, bellum istud, quod charissimus in Christo filius noster rex Christianissimus, pro salute sua et incolumitate regni et pro religione Catholica adversus hæreticos, regni sui rebelles, non minus pie pro Omnipotenti Deo, quam pro se suisque utiliter susceptum gerit, sic administrari, ut aliquando, adjuvante Deo, ex sententia nostra conficiatur; vel ex eo intelligere potuisti, quod, quantum vires nostræ suffecerunt, nihil prætermisimus earum rerum, quibus id facilius celebrisque obtineri possit. Hoc autem tempore, quo ejusdem belli exitus majore videtur esse in expectatione, ita animum nostrum rerum ista-

rum paterna cura sollicitavit, ut nullas officii nostri partes, sine magna culpa videamur posse relinquere. Itaque, et si te, non minus quam nos de rebus istius regni sollicitum, omnia et diligenter circumspicere, et prudenter cavere putabamus; tamen ipsi animo nostro satisfacere volentes, circumspeditionem tuam vehementer in Domino hortandam esse prævidimus: ut si qui forte, quod absit, sint eorum, quibus in isto bello administrando, rex Christianissimus adiutoribus ac ministris utitur, qui privatas quas-cumque ob causas, de religionis Catholice defensione, regisque salute cum ea conjuncta, una et mente et voce cum cæteris, bene de eisdem rebus sentientibus, non consentiant; his tu primum quidem, ne a cæterorum sententia discrepare, aut privatas suas rationes publicæ utilitati anteponeere velint, persuadere coneris; deinde resistentes, et monitis tuis obtemperare recusantes, coerendos puniendosque cures. Nihil enim rebus istis, bene ac utiliter administrandis, magis obesse potest, quam ministrorum ipsorum inter se discordia; que rebus facilibus et expeditis, moram et impedimentum, difficilibus atque impeditis, cuiusmodi istæ sunt, detrimentum ac perniciem afferre solet. In hoc fungendo officio, nullius, quam tuas, poliores esse partes videmus; cuius consilii, et rex ipse Christianissimus potissimum nititur, et istius regni res maxima in parte gubernantur. Debes hoc præterea religionis Catholice causæ, debes Ecclesie, debes nobis, atque huic Sedi Apostolice, cuius honorabile membrum es, debes denique tibi. Nemo est enim omnium, ad quem servati istius regni, religionisque Catholice major, quam ad te, laus perventura sit. Vides præterea pro tua prudentia, istius belli exitu, vel prospero, vel adverso, non solum istius regni, sed etiam totius Reipublice Christiane salutem vel exitum contineri. Proinde dare te operam oportet, ut concordibus omnium Christianissimi regis ministrorum animis, salutem publicam, Deique Omnipotentis honori, tantopere periclitanti subveniatur. Quod te quidem, neque antea unquam prætermisisse, neque imposterum prætermisurum esse, pro comperito habemus. Sed tamen circumspeditionem tuam rogamus, ut, quam de rerum istarum prospero successu spem bonam concepimus, eam, quantum in se est, conservare atque etiam augere non desistat. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die primo Augusti MDLXIX, Pontif. nostr. ann. iv ».

149. *Meldensem episcopum, licet a rege nominatum, confirmare renuit Pontifex ob hæresis suspicionem.* — Verum, præter ampliora subsidia, regi ac reginæ, ut diximus, a Pio negata, aliud insuper fuit, in quo eorum desiderio, eodem ferme tempore, se satisfacere non posse, ex Apostolico munere, palam ipse professus est.

¹ Ut supr. Epist. 19.

Ad Meldensis Ecclesiae regimen dominum de Beaulne rex nominaverat. Regina parens et Andegavensis dux, eximio studio nominationem hanc probaverant et forte curaverant. Omni igitur officiorum genere apud Pium functi sunt, ut Apostolica auctoritate nominationem eandem ratam haberet. At ille, quod de Beaulne apud se de haeresi suspectus delatus fuisset, licet Andegavensis votis, in quacumque re posset, annuere praecipue optaret, nulla tamen ratione adduci potuit, ut eorum postulatis ac testificationibus consentiret et acquiesceret. Ostendunt id Epistolae ad ipsos scriptae, ex Vaticano Regesto excerptae, quas hic damus :

« Charissimae in Christo filiae N. Catharinae Francorum reginae Christianissimae ¹.

PIUS PP. V.

« Charissima etc. Et litteras M. T. prima Julii die ad nos datas, et ea quae super domino de Beaulne nobis purgando, ejusdemque doctrina et moribus nobis probandis diligenter admodum et efficaciter ad nos scripsit, benigne cognovimus. Quamvis autem, pro tuo Catholicae fidei zelo, nobis non incognito, testimonio tuo eam quam aequum sit fidem habeamus; tamen, quia praeterquamquod fieri posse videmus, ut fortasse decipiaris; ita non propterea tibi caeterisque Catholicis principibus, de aliorum fide et moribus testificantibus credere debemus, ut nostram ipsi conscientiam negligamus, praesertim iis in rebus, quae animarum ab Omnipotenti Deo fidei nostrae in primis commissarum, salutem respiciunt. Ex multis autem oneribus, quibus, in hoc Apostolicae servitutis officio constituti, quotidie premimur, nullum gravius esse experimur, et in quo Omnipotenti Deo magis nos ipsos probare debeamus, quam Ecclesiarum bonis fidelibusque pastoribus committendarum cura : quae res, cum semper illa quidem magni in Ecclesia Dei fuit momenti, tum hoc praecipue tempore, quo, peccatis nostris facientibus, tanta haeretica pravitate peste laboramus, ejusmodi est, ut omnia, et diligenter circumspicere et prudenter cavere debeamus. Nam, quod a nobis petis, ut venerabilis frater Cajacensis episcopus, noster et Sedis Apostolicae apud Christianissimum regem natum tuum nuntius, indicia contra praedictum dominum de Beaulne committamus, ut de illis se apud eum purgare possit : id ejusmodi est, ut neque recte, neque sine alterius injuria fieri possit. Quod enim charissimo nobis in Christo filio, rege Catholico, de causa archiepiscopi Toletani, alibi, quam apud nos cognoscenda non concessimus; id M. T. sine illius injuria concedere non possemus. Quocirca M. T. rogamus, ut huic satisfactioni nostrae justissimae acquiescens, ea impe-

trare a nobis velit, quae juste et recte impetrari possunt; caeteris autem in rebus sibi persuadeat, nos desideris suis, quantum cum Domino poterimus, semper esse satisfacturos. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxix Augusti m^olxi^o, Pontif. nostr. ann. quarto».

150. Ad ducem Andegavensem :

« Dilecto filio, nobili viro, duci Andegavensi.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Quod a nobis per litteras tuas, ii Junii die datas tantopere nobilitas tua postulavit, ut dominum scilicet de Beaulne, a charissimo N. in Christo filio, rege Christianissimo, fratre suo, ad Meldensem Ecclesiam nominatum, ad eandem Ecclesiam admittere, eique litteras Apostolicas nostrae confirmationis concedere velimus; id multarum rerum gratia vellemus ejusmodi esse, ut in eo nobilitatis tuae postulatis recte atque honeste satisfacere possemus. Sed nos, quamvis tuo Christianissimaeque reginae matris tuae testimonio, eam, quam aequum est, fidem habeamus, ita tamen tuae ejusdemque matris tuae testificationi credere debemus, ut nostram ipsi conscientiam, in tanta praesertim re, nequaquam negligamus. Nam, praeterquamquod fieri posset, ut et majestas sua et tua nobilitas, in ejusmodi hominis judicio decipiantur: nostrae praeterea, neque gravitatis, neque prudentiae esse videtur, in mandanda alicui, praesertim de haeresi suspecto, Ecclesiae, aliorum potius judicio, quam nostro stare. Nec vero quia, ut scitis, praedicto domino de Beaulne, per velleitudinem suam, neque antea licuerit, neque nunc, ob eandem, liceat ad Apostolica se limina conferre, seque apud nos et Sedem Apostolicam, de his quae sibi obijciuntur canonice purgare: idcirco illius commodi majorem, quam officii et conscientiae nostrae rationem habere debemus. Hominem enim de haeresi suspectum, adversus quem multa sunt legitima indicia, sine canonica satisfactione, ad Ecclesiam regendam admittere, neque prudentiae neque justitiae nostrae esse videtur. Quocirca, a nobilitate tua petimus, ut aequissima excusatione nostra accepta, his rebus contenta sit, quae recte et juste fieri possunt, sibi que persuadere, nos, si qua ulla alia re ipsi gratificari cum Domino poterimus, nostram erga se paternam benevolentiam desiderari nunquam passuros esse. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. Die xxix Augusti m^olxi^o, Pontificat. nostr. ann. quart. ».

151. Ad ipsum quoque dominum de Beaulne, qui pro iisdem rebus, enixis precibus apud Pontificem institerat, idem fere ac reginae et Andegavensi Pius responsum dedit, ut ex sequenti ad illum scripta Epistola apparet :

« Dilecto filio domino de Beaulne.

¹ Ex Regest. Vatic. Ibid. ut supra.

PIUS PAPA V.

« Dilecte etc. Litteras, pridie non. Julii datas accepimus, ex quibus desiderium tuum adeundi S. hujus Sedis Apostolicæ limina, ut nobis te super his, quæ tibi obijciuntur purgares, et agnovimus, et vehementer in Domino commendavimus : excusationes quoque tuas, quominus id facere possis, et ipse postulasti, et per charissimam nobis in Christo filiam reginam, dilectumque filium nobilem virum ducem Andegavensem natum suum, postulandum curasti, ut ea, quæ adversus te nobis indicia sunt cognoscendi, negotium istic, vel nostris, vel Sedis Apostolicæ apud Christianissimum regem nuntio vel cui nobis placuerit, eodem nuntio adstante, committamus : in ea re nullo pacto postulatis tuis satisfacere recte possumus. Quod enim nos, charissimo in Christo filio nostro, regi Catholico, in archiepiscopo Toletani causa, alibi quam apud nos cognoscenda non concessimus; id tibi ejusdem reginæ, ducisque ejus filii rogatu concedere sine manifesta Catholici regis injuria non possemus. Quare re pluribus verbis ad reginam Christianissimam, ejusque filium, ducem Andegavensem scripsimus, a quibus cætera cognoscere poteris. Balnum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris. Die xxix Augusti m̄l̄xix, Pontif. nostr. anno quarto ».

152. Sammartani * in Episcopis Meldensibus scribunt, Joannem de Tillet, die xvi Decembris ann. m̄l̄xv Meldensem cathedram obtinuisse, eamque tenuisse. usque ad annum m̄l̄xx; quo mense Decembri e vivis excessit. Quæ quidem minime coherere posse agnoscuntur iis, quæ lucusque retulimus, cum, nimirum, hoc anno, adhuc in vivis Tillet ageret; imo, nisi sequenti dilabente, mortem oppetierit. Forte Tillet idem, Meldensi episcopatu sese abdicare cupiens, cum rege, regina ac Andegavensi, hoc suo animi consilio communicato, rex idem subrogandum ei de Beaulne cogitavit, ipsiusque nominationem Pio indicavit. Quidquid fuerit, certum est irritas pariter et regis nominationem et reginæ, ac Andegavensis fuisse preces, cum inter Meldenses episcopos de Beaulne minime recensitus habeatur, et præfate de Tillet, Ludovicus de Breze subrogatus fuerit.

153. In hoc autem plura merito notata digna, utrinque animadvertenda occurrunt. Et primum quidem in Pio Apostolico robur, quo non modo nihil Ecclesiasticæ disciplinæ relaxandum censuerit, sed religiosissime omnino illud custoditum voluerit. Et quidem de Beaulne, nondum, ut patet, episcopali dignitate decoratus erat; nihilominus, quia ad eam dignitatem a rege designatus fuerat; idcirco, ac si jam episcopus esset, et ex eo, quod aliquando episcopus

futurus esset, in medium Toletani archiepiscopi allato exemplo, idem ac ille, non nisi coram se subire judicium voluit, ut se criminibus, quæ illi objecta fuerant, purgaret. In rege vero, regina, Andegavensi, ac ipso de Beaulne merito notandum agnoscitur, quod, ut de Beaulne eundem Romano judicio subtraherent, nil omnino proposuerint, excogitatorum eorum privilegiorum, libertatum ac exemptionum, quibus recens Gallicana Ecclesia se gaudere jactat, ut Apostolicæ nimirum auctoritati se subtrahat, et laicali potestati magis ac magis se indigne subijciat; sed eos Romanum iter, ex eo dumtaxat deprecatos esse, quod infirma valetudine præpeditus, illud de Beaulne suscipere prohiberetur; licet (ut diximus) etiam qui episcopi essent, illud effugere se non posse existimarent; qui episcopus tamen tantum designatus fuisset, se minime huic legi subjacere forte contendere posse videretur. Nil horum, inquam, Gallicana aula protulit, vel objecit Sedis Apostolicæ auctoritati, vel pro episcopis, vel pro nominato tantum episcopo contraria privilegia, ea, quæ nunc jactat, se habere non novit; recensque exorta, quo magis Apostolicam dignitatem impetere visa sunt, eo fidem Catholicam pari gradu dejecisse, nemo est qui non videat.

154. *Dumblanensem episcopum Pio regi Gallo commendat.* — Dum Pius vero suspectum de hæresi de Beaulne, absque canonica purgatione rejecit, ne sacerdotio fungatur; pro vere Catholico episcopo, apud eundem Carolum regem intercessor accedit, ut aliquo eum regni sui sacerdotio ornare velit. Erat is episcopus Dumblanensis, qui e Scotia regno profugus, in Gallias sese receperat, ac una secum in idem regnum plures ex commissis sibi ovibus sese recipere curaverat, ne hæreticorum vel furore vel fraudibus ipsæ videlicet deceptæ Catholicam religionem abjicerent. Optimo tamen huic consilio, cum vires minime responderent, idcirco Pius Christianissimum regem, ut ei subvenire vellet, sequenti Epistola deprecatus est :

« Charissimo in Christo filio N. Carolo, Francorum regi.

PIUS PAPA V.

« Charissime etc. Sicut eos, qui in plerisque orbis Christiani regionibus positos, ab unitate Ecclesiæ, hæreticæ pravitate error absceidit, in tenebris versari dolemus, illorumque improbitati, pro pastorali sollicitudine obviam ire conamur; sic illos, qui exilium, honorum amissionem, aut alia quævis mala perpeti potius voluerunt, quam ut a sinu Catholicæ fidei discederent, præcipuo quodam amore diligere, eorumque utilitati ac commodis, quantum est in nobis, consilere debemus. Ex horum numero unus est ven. frat. noster, episcopus Dumblanensis, qui, post introductam ab Ugonottis Sco-

* Samart. in Epis. Mel. pens. Tom. dg. 706.

flic in eo regno hæreticam pravitatem, veritatemque religionis Catholice nefarius decretis rejectam : cum multos, partim propinquos, partim ex sua diœcesi viros bonos ac Catholicos, ne domi, sub impotenti hæreticorum dominatu permanentes, perniciosius eorum legibus parere cogerentur, relicta patria, propriisque domibus in eo esse acceperit, ut jam mare transire sint; eo consilio, ut cum omnibus suis bonis, in regnum M. T. veteris suæ gentis, cum maioribus tuis inclytæ mem. regibus amicitia suadente, confugiant; faciendum sibi esse putavit, ut officii sui memor, ad eos in eadem mente retinendos confirmandosque proficiscerentur, tanquam bonus pastor gregis sui reliquias, tot terrarum spatiis a se disjunctas servare, eisque, quos animo nunquam deseruit, præsentibus præsens prodesset, iterque ad salutem ostendere cupiens. Sed in magna spiritualium honorum affluentia, temporalibus facultatibus destitutus, neque propinquis suis, quos multos habet, neque his, qui suæ pastoralis curæ commissi sunt, opitulari potest. Cui nos, non minus pro illius rationibus adjuvandis, quam pro nostro officio fungendo deesse nolentes, eumque Apostolica commendatione dignissimum judicantes, M. T., quo majore possumus animi nostri studio rogamus, ut hominem sacerdotem, probitate, integritate et sanctimonia insignem, Catholice fidei suæ studiosum, ut domo perferere, patrium domicilium deserere, bona amittere, quam religionem Catholicam mutare maluerit, ad tuam fidem auxiliumque confugientem, beneficio juves, eique in isto regno abbatiam, si qua in isto regno vacare contigerit, sin minus primo tempore vacaturam, conferas, ex cujus reddito septem aut octo millia Francorum quotannis percipiat, quibus suam et illorum miserorum, qui relictis patriis istuc se conferre cupiunt, inopiam sublevare possit. Erit hoc M. T. erga hominem, de religione Catholica optime meritum, regia sua benignitate singularique pietate dignissimum beneficium, quo, et divinam sibi gratiam magis conciliabit, et nobis rem gratissimam faciet, qui hominem, præter cæteras sacerdotes, quibus præditus est, virtutes, illustri quoque apud suos genere natum se diligimus, ut nostram illi apud M. T. non vulgarem certe commendationem prodesset, vehementer, et cupiamus, et speremus; gratissimo animo quidquid in eum beneficij contulerit accepturi. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die in Septembris MDCXIX, Pontific. nostr. anno quarto ».

Sic Epistola : ad res bellicas revertamur.

155. *Variæ Hugonottorum contra Catholicos velitationes.* — Dum igitur, (ut diximus) regis copie, per præsidia distributæ, feriabantur, oblatam occasionem libertatis undequaque excurrenti, summo Catholicorum damno, sectarii

minime præmittendam ducunt; ideoque non pauca oppida, castella, cœnobîa capiunt, diripiunt, diruunt, nihilque non crudelitatis exercere omittunt. Mongomerius vero Aquitaniam et Bearniam ingressus, dum Damvilla et Monlucius, qui regis partes tuebantur, inter se dissident, res Ugonottorum promovit, ac Bearnia, quæ (ut toties diximus) Navaræ reginæ erat, recuperata (eam enim Joannes Lomanus Terrida, ab Andegavensi, Pii forte quas recensimus admonitionibus moto, missus, totam fere in sui potestatem redegerat); ipsum Terridam cum nobilibus plurimis cepit; quem, contra datam fidem, jussu ipsius Navaræ inhumanissime stratum, ac crudelius trucidatum fuisse scribit Spondanus: id tamen negantibus Thuano ac Campilia, quorum primus, non nisi quatuor perduellionis accusatos, occisos tradit, alter vero, ut scelus Joannæ contegeret, priusquam libertati restitueretur, mortuum Terridam dicit.

156. Sed celebris, inter alia, a sectariis tentata fuit Pictaviensis urbis obsidio, quam Admiralus Colinius, summo tandem dedecore solvere compulsus fuit. Cum id ipsius consilium regii rescivissent, ad ejus defensionem, ducem Guisium cum fratre, ac delecto milite mittunt, qui triduo, antequam urbs obsidione cingeretur, illam ingressi sunt. Ex Pontificis pariter copiis Italicis, equites levis armaturæ ducenti et quinquaginta, ac totidem equites minoribus armati tormentis, Paulo Sfortia Angeloque Casio ducibus, Pictavium ingressi, furorem impetumque hostium repressere. Dux autem Andegavensis ut sectarios a Pictavii obsidione averteret, ad Castrum Eraldi castra posuit; quo a Colignio cognito, cum in suam potestatem nullatenus Pictavium redigere posse cognosceret, ac operam perdere intelligeret, honestam discedendi occasionem ratus, versus Andegavensem exercitum movit. Hic vero, ubi se assecutum, quod speraverat, agnovisset, ab obsidione Castri Eraldi recessit, et una cum exercitu ultra fluvium Creusam ad Portum Pilæ se recepit, secutusque est eum Colinius, ut cum eo colligere velle videretur. Hoc enim maxime (ut Ab Isselt¹ aliique observant), ad tutandam existimationem, apud populum conducere hæretici arbitrabantur, si se prælium hostibus obtulisse, illo detrectasse, fama vulgaret. At vilescerat illa, ex infelici infaustoque rerum exitu; nam, misso cum copiis Subiza, ut pagum, quem regii tenebant, occuparet; cum eum munitiorem, quam putarat, invenisset, et a sclopeteriis, qui post dumeta latitabant, maximum detrimentum accepisset, pedem retulit. Andegavensis, ducibus omnibus ac tribunis convocatis, de summa belli consilia captat, decerniturque, rem tandem

¹ Ut supr.

armis esse tentandam. Ad omnia uti consuevisse, præcipue Comitibus Sanctæ Floræ consilio, ex reginæ matris præscripto, Andegavensem, scriptores affirmant; qui etiam scribunt, dimisso conventu, Andegavensem ipsum Chionium se contulisse, ut copias undique ad se confluentes reciperet; inde movisse Lodovum, ut hostibus commeatum averteret, et eos a reditu in Aquitaniam intercluderet. At illius consilium, Admiratum prævertisse asserunt, dum Castellaradum ire simulans, Mirabellum contendit, ibique cum toto suo exercitu cœsedit, donec de belli deinceps gerendi ratione decerneretur.

157. *Omnibus dignitatibus exiit Colinius, cui sufficitur marchio de Villars; unde litteræ gratulatoriæ Pontificis ad Carolum regem.* — Inter hæc autem, juxta ea, quæ supra sæpe Pontificem ad regem dedisse monita vidimus, ut justa nempe in rebelles animadversione incumberet, atque injuriarum Dei se ultorem præberet; idibus Septembris, Parisiis in senatu, Burdino cognitore, seu procuratore generali, regis ejusdem postulatione, in præfatum Gasparum Colinium Admiratum, ut perduellem ac læsæ majestatis reum, ac rebellium cæterorum antesignanum, sententia dicitur, qua detractis honoribus ac dignitatibus, necnon nobilitatis prerogativis, bona quoque illius universa fisco addicuntur, et ad mortem ipse damnatur, præmiumque quinquaginta millium aureorum proponitur ei, qui vivum tradidisset. Quod deinde, quart. kalend. Octob. cuiusque, sive indigenæ, sive extero pollicetur, qui eum occidisset. Eadem pariter decreta fuere in Joannem Ferrerium Carulum, viceominum, et Gabrielem comitem Mongomerium; quorum cum ea Collinii effigies, ignominiose in plaustro tractate, et publice patibulo affixæ sunt. Senatus consultum, in Colinium factum, per totum regnum promulgatum, ut exteris quoque nationes non lateret, non solum patria profudit, sed in Latinam etiam, Italicam, Hispanicam, Anglicam, et Germanicam linguam translatum, editum fuit. Admiratii vero munus, quod Colignius gerebat, in Marchionem de Villars rex Christianissimus contulit. Hoc autem factum, quantum ipse Pontifici placuerit, ex ejusdem Epistolis æstimare liceat :

158. « Charissimo in Christo filio nostro, Carolo, Francorum regi Christianissimo. »

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. In hoc gravi periculosoque bello, quod majestas tua, adversus nefarios Catholicæ religionis hostes, regni que tui rebelles, non minus pie ab initio suscepit, quam constanter postea gessit, tandemque gerit, nulli et egregia eximitæ suæ in Deum Omnipotentem pietatis, et fidei Catholicæ studii signa ostendit; pro quibus, et antea Redemptori

nostro gratias semper egimus, et nunc quoque agere non desistimus; sed tamen inter tot præclara suæ bonitatis devotionisque indicia, illud recte minimum non obtinet locum, quod excreandum illum et detestabilem hominem, si modo homo appellandus est, qui se pro istius regni Admirante gerit, diabolice fraudis ministrum, hæreticorum omnium ducem et signiferum, dissensionis intestiniquæ belli concitatorum, justissima consilii Parisiensis sententia, publice condemnandum, honoribus omnibus spoliandum, debitique ei jam diu ignominia insignibus notandum afficiendum curavit: in ejusque locum, virum maxime Catholicum, multisque, ut audivimus, virtutibus insignem sufficit. Quo quidem facto, non solum (quod omnium rerum caput est) divinam gloriam, quemadmodum decuit, omnibus rebus prætulisti, acerrimumque Catholicæ religionis hostem insectando, Deum ipsum toto Christiano orbe confessus es; sed etiam cæteris Catholicis principibus, ad idem contra sui quoque regni hæreticos, exemplo tuo audendum auctor fuisti, bonis et veræ religionis studiosis animum addidisti; improbis et hæreticis dolorem simul et timorem incussisti: omnibus denique hominibus ostendisti aperte, te, ut par est, in Dei causam descendisse. Quare, quoniam, et Redemptoris nostri gloriam primum quarimus, et majestatem tuam ex animo diligimus, ejusque laudibus vehementer favemus, nobis adeo grata accidit, ut hujus rei testes has ad te nostras litteras dandas esse existimaverimus, quibus tam egregium factum, debitum in Domino laudibus prosequentes, majestatem tuam, quamvis sua sponte ad omnia præclara opera satis incitatum; ad testificandum tamen nostram erga illam paternam benevolentiam, hortamur, ut quo animo contra nefarios hæreticos Catholicam religionem in suo regno defendendam suscepit; eodem adversus eosdem pium justissimumque bellum gerere perseveret: cujus quidem belli ab Omnipotentis Dei misericordia celerem gloriosamque majestati tuæ victoriam precamur. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xii Octobris MDCCLXIX, Pontific. nostr. ann. quart. »

159. Ejusdem pariter argumenti, ad reginam parentem hæc scripsit :

« Charissima in Christo filia: nostræ, Catharina, Francorum reginæ Christianissime, »

« Charissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam benedictionem. Non facile verbis consequi possumus, quanta animi lætitia affecti sumus ex eo, quod charissimus in Christo filius noster rex Christianissimus, natus tuus, hominem unum omnium fallacissimum, excreandæque memoriæ Gasparem de Colligni, qui se pro istius regni Admirante gerit (quo potissimum consiliario scelerumque omnium architecto,

¹ Aoud. Goub. Epist. lib. 3. Epist. 41.

tota ista pestilentissimi belli flamma est excitata, justissima Parisiensis senatus sententia condemnandum, honoribus omnibus privandum, debilisque jam diu turpitudini suae ignominiae notis, una cum tota familia, alliciendum curavit; in ejusque locum virum maxime Catholicum, nec minus pietate quam fortitudine insignem, suffecit. In ea re majestas sua justitiae satisfacit; reliquos ejusdem sceleris socios, improbissimos homines, nefariosque haereticos, ab improbitate sua hoc exemplo deleruit; bonis Catholicisque viris animos addidit; ceteris autem principibus, quid in similibus rebus agendum sit, ostendit. Quia vero, et hoc, et caetera omnia, quae ab eo, non minus pie quam constanter quotidie geruntur, tuo polissimum consilio administrari compertum habemus; ideo faciendum nobis esse existimavimus, ut quantopere ea res nobis grata acciderit, his debita opera ad te scriptis litteris significaremus. Cave autem putes (charissima in Christo filia) quidquam Deo gratius acceptiusque fieri posse, quam cum illius hostes aperte pio Catholicae religionis studio oppugnantur: *Tunc enim Omnipotentem Deum coram hominibus confitemur, tunc illius gloriam quaerimus; cum posthabitis omnibus humanarum rerum rationibus, aperte in ejus causam descendimus.* Quod, quoniam, adjuvante Deo, majestas tua, et in hac ipsa re, et Christianissimam reginam decet, sibi faciendum esse judicavit: sperare debet Omnipotentem Deum hanc suam erga se pietatem, egregia tam diuturni belli victoria aliquando remuneraturum. Quod, nos divina fidei misericordia sic speramus, ut pro ea tamen impetranda, assiduas ad Redemptorem nostrum preces fundere non desistamus. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVII Octobris MDLXIX, Pontific. nostr. ann. quart. ».

160. Adeo autem jus in Collinium exercitum probavit Pontifex, ut non modo de eo commendandos praefatis litteris regem ac reginam censuerit; sed delatum quoque honorem, quo impius ille Collinius deturbatus fuerat, Marchioni de Villars gratulandum duxerit, sequenti ad ipsum data Epistola ¹:

« Dilecto filio, nobili vero Marchioni de Villars, regni Franciae Admiranti.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum non sine magna animi nostri laetitia accepissemus, charissimum in Christo filium nostrum regem Christianissimum, pro sua singulari erga Deum Omnipotentem pietate, Catholicaeque religionis zelo, Gaspare de Colligni (qui se pro istius regni Admirante gerit) perditionis filio, justissima Parisiensis senatus sententia condemnato, honoribusque omnibus spoliato, te in ejus locum totius regni

Admirantem suffecisse; duplici ex ea re in Domino gaudio affecti sumus: tum quod Catholicae religionis acerrimum hostem, perturbatorem publicae tranquillitatis, qui omnia sua consilia haereticis cum haereticis semper sibi consocianda esse putavit; proditionis haeresosque criminis, atque omni dedecore infamem, justa perpetuae ignominiae animadversione notatum, omnique honore privatum gaudemus; tum quod te, virum Catholicae fidei studiosissimum, nec minus, ut audivimus, pietate, quam fortitudine nobilitateque insignem in ejus locum suffectum esse laetamur. Cujus quidem laetitia nostrae testes, has ad te litteras dandas esse existimavimus, quibus et te de isto amplissimo honoris gradu, non magis nobilitati tuae gratulamur, quam nobis gaudemus: et te, pro nostra paternae benevolentiae hortamur, ut officii tui memor, quoscumque labores, quaecumque pro Catholica religione pericula subieris; eorum tibi mercedem maximam in Caelis repositam esse intelligas, semperque ita existimes, qui pro tuendo sanctissimae fidei cultu mortem occumbunt, eos non de vita ad mortem, sed de morte ad vitam transire. Saepet illa Salvatoris nostri vox in auribus tuis, qua, et eos qui animam suam amant, illam perdituros; et qui perdidertint, illam inventuros esse nos admonuit. Quae omnia, quanquam pro tuo eximio Catholicae religionis studio, tibi nota esse, teque ad omnia egregia opera paratum pro comperto habeamus; tamen ad laetificandum tibi paternam erga te voluntatem nostram, nobilitati tuae scribenda esse judicavimus. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XVII Octobris MDLXIX, Pontificatus nostri anno quarto ».

161. *Præclara de haereticis reportata victoria apud Monconturium.* — Quae autem in superinsalutatis litteris, in hisque mox appositis scripsit Pontifex ¹: « Deum nempe aliter placari non posse, quam si Dei injuriae sceleratissimorum debita poena severissime ulciscerentur, quodve si rex ac regina, Catholicae religionis hostes aperte ac libere ad interfectionem usque oppugnassent; pro certo haberent, divinum sibi nunquam futurum auxilium; et tandem, quod ab ea quae in Collinium fecerant, sperare deberent, Omnipotentem Deum egregia tam diuturni belli victoria aliquando eos remuneraturum »: abunde impleri visa sunt, a sententia damnationis in Collinium, aliosque haereticorum proceres prolata, nondum elapso mense; nam cum haec idibus Septembris, ut diximus, dicta fuerit in Parisiensi senatu, pridie kalend. Octobris: primum ad Vicum S. Clari in Pictonibus, deinde quarto post die, videlicet quint. non. Octobris, ad Monconturium, horribili strage a regio exer-

¹ Epist. lib. 3. Epist. 41.

¹ Ut supra Epist. 10, ad regem. Epist. 11, ad reginam.

citu Collinius ejusque sectariorum exercitus debellatur: et regis copiam, sub Andegavensi, cunctis sæculis memorandam victoriam reportarunt. At de his est audiendus ab Isselt¹, qui rem his verbis prosequitur:

162. «Admiralium ad Mirabellum consedissee, Andiumque Londunum venisse, et omnem cum hoste pugnandi occasionem quæsisisse, diximus antea. Andius igitur, cum intelligeret, Admiralium pugnam simulare, sed revera de fuga cogitare, magna cum celeritate in eum movit, ita ut non cum insequi, sed prævenire velle videretur. In itinere exploratores nuntiant, hostes non longe abesse, et Monconturium versus iter intendere. Quare Andius celeriter exercitum promovebat, ducesque, animos et corpora suorum, ad præliandum præparari jussit. Admiralius, et si fugere decrevisset, exterorum tamen precibus expugnatus, prælii aleam subire voluit. In Sanctarenam igitur planitiem cum devenisset, suos in acies distinxit; sed mutato post consilio, mediam aciem, quæ tormenta ducebat, itineri Monconturium versus se accingere jubet, quo Noenum et Lovam cum septem aliis equitum præmiserat: ipse tardo gressu subsequitur. Moyumque motum hostium observare et terga tueri jussit. Sed cum Andiani in Moyum incidissent, Monpensierius, qui primum agmen ductabat, admonet, pulcherrimam occasionem oblatam non negligeret. Moyus tanta se hostium multitudine cinctum videns, irruentium in se hostium impetum paululum sustinuit: sed inferiorem se sentiens, amissis circiter centum, in præcipitem fugam sese dedit. At, cum videret, nihil præsidii in celeritate sibi collocatum, hostibus ora obvertit, et denuo cum eis manum conseruit. Verum, cum promptissimi quique suorum, et in iis Dodencursius interficeretur, iterum fugit, donec ad Admiralium, et reliqua agmina pervenerit. Hugonottorum duces Moii fugam conspicientes, hostesque fugientibus acriter instare, et ipsi cum toto exercitu fugerunt. quidam ad Monconturium, alii ad Partenæum: tantus enim inter eos erat pavor, ut nullis precibus e fuga retrahi potuerint. Fluvius erat in propinquo, quo cum insequentes regii pervenissent, vident hostes multos in ulteriori ripa sub signis stare, qui transitum prohiberent. Attractis mox tormentis majoribus, in eorum turmas acriter fulminarunt, tam dextere, ut ne unam pilam in irritum emittentes, maximam cladem Hugonottis attulerint; qui etiam non parum detrimenti a regis scopelariis, in equites et pedites continue, ut eorum ordines perturbarent, dispendentibus, acceperunt. Nox prælium dirimit. Postridie, qui erat in dies Octobris, Admiralius, videns suos recenti clade percussos, et rem in maximum discrimen pene adductam,

copiarum ducibus convocatis, sententias exquiri. Hic, cum major pars superseedendum prælio censet, Germanorum tamen precibus victus Admiralius, rem committere decrevit, ad quod etiam extrema eum adegit necessitas, cum nullam evadendi viam cerneret.

« Instruuntur igitur utrinque acies ad Monconturium, disploduntur initio tormenta, atque ita exercitus duo, ab hora septima matutina usque ad tertiam pomeridianam, sub signis immobiles steterunt, solis tormentis rem agentes. Improbatur hanc moram, uti perniciosam Tavaneus, cui acierum regiarum dispositio erat demandata, quod hostilia tormenta grave damnum inferrent, et dies in vesperem inclinans, plena uti prohiberet victoria, hostibus noctis beneficio elabentibus. Andius itaque signum pugne dedit: retracta sunt tormenta in latera, acies versus hostes progrediuntur. Martygnæus, cum aliquot Italorum et Gallorum alis initium pugne fecit. Ii cum hostili pediatu scopetis pelerentur, in Moy turmas equitum delfexerunt, quas nullo negotio fuderunt. Pedites Galli a tam tristi spectaculo attoniti, desertis Germanis, quorum latera stipabant, in fugam se præcipientes dederunt. Restaurant pugnam Antricusius, et Revellus in Italos proveci: sed mox Antricusius pugnant cum suis occiditur: dispersi sunt reliqui, et a cataphractis proculcati. Admiralius videns pene conclamatum esse, Navarræum et Condæum periculo se subducere jussit. Quæ res Hugonottorum animos labefactavit, Catholicorum vero erexit: illis enim pugnandi ardor remittitur, his incenditur, dum vident supremos duces de prælii eventu desperare. Germani deinde regii, Germanos Hugonottos adorti, ducibus utrinque Mansfeldiis, omnem ferri rabiem in cognata viscera, ob religionis diversitatem converterunt. Credi vix potest, quanta pertinacia, virtute et ardore pugnatum hic sit. Sed victores regii, hostes ut pecora mactarent: succurrit suis laborantibus Admiralius, et Acieræus; at frustra. Cum igitur rem inclinatam viderent, equos, qui tormenta et apparatus illorum trahebant, conscenderunt, et qui potuerunt, fugerunt. Admiralius, a circumfusis hostibus pene oppressus, et in maxilla vulneratus, ope Mansfeldii periculo eripitur. Collectis denuo suis, Hugonottæ tertiam impressionem faciunt, et in Andii turmas irruentes, multos trucidarunt. Sed superveniens Cossa, eos represit, victoriamque hostium interrupit. Qui, cum se ad exiguum numerum redactos viderent, de victoria desperantes, receptui cecinerunt. Tum Helvetii in Germanorum peditem phalangem gradum intulere, quam statim perrupentes, pene totam conciderunt. Cæteri dispersi, quidam Partenæum, alii Engolismum, alii Rupellam profugerunt. Amiserunt eo in prælio Hugonottæ quinque mille pedites, præcipue Ger-

¹ Ab Isselt hist. pagin. 290.

manos, et quadringentos equites, præter captos et vulneratos, quorum non exiguus fuit numerus. Lixarum item calomnieque turbam omnem, tormenta præterea omnia, omniaque Germanorum impedimenta in victorum potestatem venerunt. E Catholicis sexcenti circiter equites, pedites admodum pauci desiderati sunt. Hæc est memorabilis istius ad Monconturnium prælii victoriae, quam Hugonotæ, ad suos fautores in Anglia, Scotia, Dania, Germania, Helvetia, et aliis locis confestim scribentes, quammaxime potuerunt (ut in ea re sunt exercitatissimi) extenuarunt, ne agimos ipsi remitterent, et causam ipsorum deinceps fovere ac defendere detrectarent: quæ ratio est, ut licet tot casus ipsi fateantur, quot nos paulo ante referabamus; nunquam tamen exactus eorum haberi potuerit numerus ». Ista ab Isselt.

163. At artem, qua Hugonotæ usi sunt, ut Catholicorum victoriam suorumque internecionem conlegerent, parum aut nihil eis profuisse ea declarant, quæ apud Camdenum offenduntur; nam Elizabetham domi suæ quoque implicatam, illos ac eorum res jam prope deploratas habuisse refert. Extenuatum quoque ab ipsis interfectorum numerum, scriptores prodire; nam, cum Andegavensis, mortuorum cadavera, a vicinis parochiis tumulanda, colligi præcepisset; hæc decem et septem millia et quingenta, præter equites cathaphractarios sexcentos, deprehensus fuisse, Adrianus scribit; cujus sententiæ præ aliis adhæret Brietius, qui duos de viginti millia sectarios occisos fuisse tradit. Ex nostris vero fere quingenti desiderati ac centum equites; licet fortissime pugando, Andegavensis et Guisius, hic vulneratus in pede, illi equus suffossus fuerit. Germanos pedites ad unum ab Helvetiis occisos, idem Brietius narrat; quamvis depositis armis, in terram supplices procidissent, et genuflexo, junctisque manibus, alii misericordiam clamarent, alii vero, ad illorum comprimendum furorum alla voce exularent, voce Gallica, *Bon Papiste moi, bon Papiste*: at illi, tum amulatione, quæ inter eos intercedebat, nihil his precibus aut supplicationibus flexi, quotquot occurrerunt trucidarunt: ita ut, ex quatuor millibus, vix ducenti superstites fuerint, qui Gallorum humanitate ægre servati, ut Thuanus tradit, cum duce illorum, in Germaniam, regis jussu incolumes missi sunt.

164. Quæ vero ab Isselt vix commemorat, de Pontificis Italici copiis, earumque in hoc Monconturnensi certamine egregia virtute, eadem longiori diclamine Gabutius ¹ prosequitur his verbis: « Ex quo (inquit) quidem felici certamine, magna Italico nomini facta gloria accessio est; siquidem pedites Itali, in primo agmine dispositi, fortiter impressione facta, tan-

to impetu in Teutonorum aciem irrupere, ut eos, quamvis numero superiores, brevi tempore frerint ac trucidarint: equites vero cum ipso comite Sanctæ-Floræ, qui erant in dextro cornu, regis aliis militumque magistris adjuti, adfulgentem victoriæ spem amplexi, incitatis animis hostiles conatus irritos efficiebant ». Pergit deinde ac dicit, ejusdem victoriæ tantum Pontifici tribuendum esse plerosque existimasse, ut omnes totam ei secundum Deum acceptam auxulerint; cum præsertim Pontificiæ copiæ auxiliariique milites obsidionis vim Pietavii fortiter sustinuisset, gravique prælio hostes debellasset, ex iis quingentis, paulo ante quam cuncti funderentur, occisis; cum etiam in ipso conflictu, in eos eruptione facta, iidem primi confluisissent, ab hostiumque insectatione postremi destitissent.

Nec defuere divinitus ostensa signa, quibus rite Pio insignis hæc victoria tribuenda cognosceretur: nam, eodem Gabutio teste, narraverunt proinde multi cardinali Alexandrino, et in primis dux quidam militari nomine clarus, dum vexilla Pontificia explicarentur, vidisse se hominum speciem, in sublimi aere lucidissimis armis refulgentium, contra hæreticorum acies, in quibus erat ipse, districtis gladiis sanguinolentis; ac propterea sese ad Catholicam fidem convertisse, Deoque voto concepto se adstrinxisse, si periculum illud evaderet, Pii se signa perpetuo sectaturum. Quod quidem prodigium cum similibus passim reperiri valeat firmatum exemplis, idcirco nonnisi incaute vel temere in dubium vocari posset. Nam in libro Regum ¹, aperiente Domino oculos ministri Elisæi Prophætæ, vidit montem plenum equorum et curruum ignitorum, in circuitu Elisæi. Sic pariter in altero sacri voluminis libro, ubi de Juda Machabæo ² agitur: « Apparuerunt (legitur) adversariis viri quinque in equis, frenis aureis decori, ducatum Judeis præstantes. Ex quibus duo Machabæum medium habentes, armis suis circumseptum incolumem conservabant; in adversarios autem tela et fulmina jaciebant; ex quo, et cecitate confusi, et repleti perturbatione cadebant ». Neque in Ecclesiastica Historia, Christianis ducibus id raro contigisse animadvertes; nam sic angelos pugnasse pro Theodosio contra Eugenium, dum militum ejus tela in ipsosmet jacentes retorserunt, testatur Theodoretus ³; sic pro S. Wenceslao, ut habet ejus Vita ⁴, duellante cum Radislao duce Curimense pugnavit angelus, ducemque percudit, ut prostratus veniam vitamque peteret. Sic pro Constantino Magno certant angeli, qui, ut ait Panegyry. ⁵: « Flagrabant verendum nescio quid

¹ Reg. lib. 4. cap. 6. v. 17. — ² Machabæor. cap. 10. v. 29, 30.

— ³ Theodor. libr. 5. cap. 24. — ⁴ Vit. S. Wencesl. apud Surinm.

⁵ Panegyry. 6.

¹ In VII. Pii lib. 2. cap. 9.

umbone corusci, et caelestium armorum lux terribitibus ardebat. Tales enim venerant, ut tui crederentur: hæc ipsorum sermocinatio, hoc inter audientes ferebant: Constantinum petimus, Constantino imus auxilio». Et sic demum Gallicano contra Scythas adfuere; quod Gallicanus¹ ipse Constantino his testatus est verbis: «Cum Scythica gens me in Thraciarum Philippopoli conclusisset, stragesque nostrorum plurimas edidisset; formidante me cum illis confluere, quod exigua esset mihi militum manus, illorum autem innumera multitudo, insistebam sacrificiis et varias Marti victimas offerrebam; et quid multis moror? Crevit tandem obsidio, et omnes tribuni et milites mei, se hostibus dedidere. Cum autem euperem ego fugæ aditum reperire, Paulus et Joannes, quorum alter propositus, alter primicerius est dominæ meae, pietatis vestræ filiae, Constantiæ Augustæ, dixerunt mihi: Nuncupa votum Deo Cæli, si te liberaverit, fore te Christianum: sicque eris victor amplius quam fuisti. Fateor, sacratissime imperator, simul atque votum hoc ore meo prolatum est, apparuit mihi juvenis statura excelsus, ferens in humero crucem et dicens: Summe gladium tuum et sequere me. Cumque ego sequerem illum, apparuerunt mihi hinc inde milites armati, confirmantes me, atque dicentes: Nos tibi præstamus officium: tu ingredere castra, et dextra lævaque tenens gladium evaginatam, respice, donec ad ipsum regem pervenias etc». Sic sibi: qui autem de his plura exempla desiderat, Serrarium consulat.

165. Nos vero, insignioris prodigii loco, in hac victoria habendum esse censemus, justitiæ simul, ac vere principis animi egregium facinus aliud, quod Gabutiis ipse, aliique Pii Vilæ scriptores, scripto mandarunt. Ex eo prælio Catholici captivum duxerunt insignem Uticensem principem Hugonottam, hostilis pedatus præfectum, qui pro sui redemptione decies mille nummos aureos obtulit. Id Pontifex ubi cognovit, de Comite Sanctæ-Floræ conquestus est, quod jussa ejus non fecisset, dudum imperantis, necandos protinus esse hæreticos omnes, quoscumque ille capere potuisset. Cum vero, interposita jam in id Gallorum regis auctoritate, res amplius non esset integra: captivum quidem dimitti, sed redemptionis causa quidquam recipi vetuit, ut, vel inde posset intelligi, unam gloriam Dei, cum religionis animarumque salute conjunctam, præterea nihil Pium in illo bello spectavisse, ut observat Gabutiis; vel ne prædæ potius quam sectariæ pestis extinguendæ causa, militare sui viderentur, ut ipse Thuanus² fateri compulsus est.

166. *Summa Urbis et orbis Catholici lætitia.*

— Rex autem, ubi ab Andegavensi tantæ victoriæ certior factus fuerat, ad fœderatos principes statim legatos instituerat, ut una secum tantæ beneficii omnium bonorum largitori, gratias agerent; quod inter alios, non solum præstitit Pontifex, sed, ut idem ab omnibus efficeretur, publicas ac solemnes per triduum ad tres Urbis Ecclesias supplicationes indixit, quibus ipse pedes, et clerus populisque Romanus interfuit, ac piis gaudiis voluit Urbem totam compleri. At de his audiendus in suo Diario Firmanus¹:

«Decima quarta Octobris, quidam ex Gallia venerunt, qui nuntium detulerunt victoriæ a Galliarum rege de Hugonottis relatæ; ideoque statim edita sunt signa lætitiæ campanarum pulsatione, et in qualibet Collegiata decantari hymnum *Te Deum laudamus*, præceptum est. Ejusdem vero diei hora xxii, Pontifex, ad Deo gratias agendas, in Vaticanam Basilicam, ad orationem descendit.

«Die xxii Octobris fuit publica supplicatio, ab Ecclesia S. Mariæ supra Minervam ad S. Mariam Majorem, cui interfuit Pontifex, ac missarum solemniam in eadem Liberiana Basilica celebrata fuere.

«Die xxiii Octobris facta est secunda supplicatio, ab Ecclesia S. Mariæ de Ara Cæli, ad S. Joannem Lateranum, ubi missa peracta est.

«Die xxiv Octobris fuit tertia supplicatio, a Basilica Vaticana Principis Apostolorum ad Ecclesiam S. Ludovici Nationis Gallicanæ, in qua etiam Missa celebrata.»

Id vero, in hac communi totius Urbis lætitia, posteris esse debet exemplo; quod, cum Urbani magistratus, ad significationem grati animi, quo populus Romanus Galliarum salutem, Catholicorumque bonum gratulabatur, in ludos et munera, magnos sumptus facere cogitaret; id Pius fieri non probavit, sed ejusmodi potius pecuniam, in usus pauperum censuit erogandam, licet totius Urbis lætitia gaudio illius animi non modicam accessionem fecerit, ut ex mox dicendis patebit.

167. Gratulatus est deinde regi de hæreticis præclarum triumphum, et vicissim de ipso sibi gratulantibus, ad Carolum cardinalem Borbonium, et Cosmum Florentiæ et Senarum ducem, hic rite apponendas litteras dedit. Ad regem igitur²:

«Charissimo in Christo filio nostro, Carolo, Francorum regi Christianissimo.

«Charissimo in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Certiores facti primum ex litteris venerabilis fratris nostri, episcopi Carcassensis, deinde episcopi quoque Cajacensis, nostri et Sedis Apostolicæ apud majestatem tuam nuntii, de optatissima victoria, quam ineffabili Omnipotentis Dei miseri-

¹ Apud Surinm tom. 3, sub die 26 Julii. — ² Ex Diar. Firman. 1569.

¹ Thuan. lib. 6. p. 607. — ² Epist. lib. 3. Epist. 45.

cordia, tibi, tam necessario Reipublicæ Christianæ tempore, concessit : sublatis ad Cælum manibus, Redemptori nostro gratias egimus, qui, quos juste castigare peccantes, tot tantorumque malorum peste voluit, eos misericorditer proculdubio, tanquam bonus pastor, parcendo, occidere noluit; ut quo nos tam diuturni belli calamitas justius afflisset, eo misericordius divinæ suæ bonitatis indulgentia, victoria nobis donata recrearet. Auxit autem magnopere voluptatem nostram hujus Urbis publica lætitia; quæ ad primum et adhuc dubium tantæ victoriæ nuntium, sic, ut domestica quadam clade, intestinoque bello erepta, gaudio exultavit et exultat. Restat nunc, ut majestas tua, tam secundis rebus, nihil de pristina sua diligentia, studio, perseverantiaque remittat; nec communibus hostibus spatium det, ad confirmandos animos, viresque iterum colligendas; sed victoria utatur, et luctuosissimo bello aliquando tandem finem imponat. Quam quidem ad rem, majestatem tuam sic hortamur, ut majori studio, majorisque animi contentione hortari non defuturos esse, qui vel amicitie, vel propinquitatis, vel etiam pietatis nomine, majestatem tuam, pro multis tuorum Deique Omnipotentis hostium depræcentur; illud, pro paterna rerum tuarum cura, et pro officio nostro monemus, ne illorum te precibus flecti sinas, quominus de illis justa supplicia sumas quæ legibus statuta sunt; ne, si privatis quibusvis rationibus adductus, plus carni aut sanguini, quam justæ ultioni tribueris, Saulis exemplo, adversus te ira Dei eo gravius exardescat, quo majora tibi suæ bonitatis beneficia indulserit. Quid enim hoc aliud esset, quam Dei beneficium, victoriam scilicet ipsam, irritam facere; cujus quidem victoriæ fructus in eo positus est, ut per justam animadversionem, nefariis hæreticis, communibus hostibus de medio sublatis, pristina isti regno pax tranquillitasque restituatur. Nec vero vano pietatis nomine objecto, te eo usque decipi sinas, ut condonandis divinis injuriis falsam tibi misericordiæ laudem quæras : nihil est enim ea pietate misericordique crudelius, quæ in impios et ultima supplicia meritis confertur. Quod si majestas tua veterem ipsi regno gloriam, potentiam dignitatemque restituere vult; illud in primis studere debet, ut ab omnibus populis ditioni suæ subjectis, una fidei Catholice professio teneatur, ea, quæ a primo fere Christianæ religionis exordio, ad hæc usque tempora integra permansit. Quamdiu enim in his quæ fidei Catholice sunt, in duas partes claudicatum fuerit; tam diu dissensionibus intestinisque discordiis, et majestas tua afflictabitur, et regnum non conquiescet. Hujus autem rei tam salutaris obtinendæ causa, et de his, qui contra Deum Omnipotentem, et majestatem tuam scelerata arma sumpserunt, supplicium su-

mere, et hæreticæ pravitatis inquisitores, per singulas civitates constituere, et reliqua omnia facere debet, quibus tam afflictæ hujus regni res, adjuvante Deo, tandem aliquando recreari, et in pristinum restitui possint. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xx Octobris MDLXIX, Pontificatus nostri anno quarto ».

168. Ad ipsius vero regis gratulatorias Epistolas in hunc modum respondit ¹ :

« Charissimo in Christo filio nostro, Carolo, Fraucorum regi Christianissimo.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Recte judicavit majestas tua, in suis litteris, septimo die Octobris datis, quibus de optatissima victoria, non magis sibi quam toti populo Christiano, magna Omnipotentis Dei beneficio concessa, nobis gratulatur; gratulandi causas sibi, non solum nobiscum, sed etiam cum republica tota Christiana esse communes. In eo officio pristinam majestatis tuæ erga nos Sanctamque hanc Sedem Apostolicam observantiam, nobis antea quoque spectatissimam, recognovimus, eique de tam illustri suæ erga nos voluntatis significatione gratias agimus, quas debemus; quodque eam ipsam victoriam, totam divinæ bonitati refert acceptam, in ea re eximiam suam erga Redemptorem nostrum pietatem, vehementer in Domino commendamus. Quæ vero venerabilis frater episcopus Cenonauensis, majestatis tuæ apud nos orator, ad eandem victoriam pertinentia suo nomine exposuit, quæque de re ista gesta narravit, ea nobis, perinde ac debuerunt, gratissima fuerunt etc. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vi Novembris MDLXIX, Pontificatus nostri anno quarto ».

169. Ad Cosmum Medicæum, Florentiæ ac Senarum ducem, in hunc modum rescripsit ² :

« Dilecto filio, nobili viro, Cosmo, duci Florentiæ et Senarum.

« Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Quod victoriam clarissimo in Christo filio nostro, regi Fraucorum Christianissimo, magna Omnipotentis Dei misericordia, de communibus hostibus concessam, nobilitas tua nobis, imo verius, toti Reipublicæ Christianæ, proximis suis litteris gratulatur; in ea re principis officio functa est, non minus erga nos officiosi, quam pii; de quo, quas debemus, nobilitati tuæ gratias agimus, quæ tali gratulatione, non modo suam erga nos Sanctamque hanc Sedem Apostolicam, observantiam amanter declaravit; sed quibus potissimum de rebus, principi Catholico, divinæque gloriæ cupido lætandum sit, prudenter judicavit, nobis certe ad illud gaudium, quod de tanta victoria accepimus, non parva accessio facta est, ex ea lætitia,

¹ Ut supra Epistol. 48. — ² Ibid. ut supra Epistol. 16.

quam te accepisse, ex tuis ad nos litteris significas, nullis illam quidem, iustissimisque de causis susceptam; non parum tamen ex eo, quod, propter auxilia regi Christianissimo missa, non parva ejus ad te latitiæ pars merito pervenit. Quod vero tantum divinæ misericordiæ munus, nostri potissimum orationibus acceptum refert; quæ sint officii nostri partes, pro eo loco, quo nos, licet indignos, Deus esse voluit, præclarè intelligere videris: cui quidem officio, ut pro virium nostrarum imbecillitate satisfaciamus, nullos unquam labores, nulla pericula devitare parati sumus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX Octobris MDLXIX, Pontificatus nostri anno quarto.

170. Ad cardinalis demum Borbonii gratulatorias, ita respondit:

« Dilecto filio nostro, Carolo, cardinali Borbonio, legato Apostolico ¹.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Gratissimæ nobis fuerunt litteræ tuæ, quinto Octobris die ad nos datæ, quibus de optatissima victoria, tam necessario Republicæ Christianæ tempore, de communibus hostibus, Omnipotenti Deo, non magis nobis, quam toti populo Christiano concessa, gratularis. Quod quidem tuum erga nos officium, non solum eo nomine acceptissimum nobis fuit, quod tuæ erga nos Sanctamque hanc Sedem Apostolicam observantiæ nobis exploratissimæ testimonium attulit, non necessarium, sed jucundum; verum etiam, quia compertum habemus, te, ut tam egregia, de Omnipotentis Dei hostibus, Christianissimique regis rebellibus, victoria obtineri posset, consilio et auctoritate, pro parte tua, non mediocriter semper adjuvisse. Quorum quidem tuorum, pro Catholicæ fidei defensione susceptorum laborum, atque etiam pro eo, quod omnibus tuis privatis necessitudinibus, quemadmodum æquum fuit, religionis causam anteposuisti; ea circumspectionem tuam æterna manent præmia, quæ ab Redemptore nostro, omnibus his parata sunt, qui pro ejus gloria, nullum discrimen, nullas contentiones, ac ne mortem quidem sibi defugiendam esse existimaverunt. Victoriæ vero ipsam, quod nostris potissimum orationibus acceptam refert, quanquam in assidua pro populo Christiano deprecatione nostra præcipuas esse debere partes non ignoramus; non tantum precibus nostris tribuimus, ut illis ab Omnipotenti Deo, afflictis et prope desperatis istius regni rebus misericordiam nos impetrasse putemus: in qua impetranda, aliorum quoque Dei servorum deprecationes, maxime apud eundem Deum valuisse certo habemus. Illud restat, quod Christianissimum regem studiosissime facturum esse in tuis litteris scribis, ut scilicet, belli

reliquias persequatur, suasque et Dei injurias, quemadmodum æquum est, ulciscatur; id, ut fiat, circumspectio tua pro sua parte contendat. Qua de re, quia, et alias circumspectioni tuæ, et proximis litteris ad regem reginamque Christianissimam diligenter scripsimus, plura in præsentia non scribemus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III Novembris MDLXIX, Pontificatus nostri anno quarto ».

171. *Nil experientia edocti Catholicæ, rursus negligunt hostes persequi.* — Summo autem damno, Andegavensem ac regem in Pontificis sententiam minime descendisse, Catholicæ experti sunt. Scriperat enim ¹, ut audisti: « Ne tam secundis rebus, nihil de pristina sua diligentia, studio perseverantiaque rex remitteret, nec communibus hostibus spatium daret ad confirmandos animos viresque iterum colligendas, sed victoria uteretur et luctuosissimo bello aliquando tandem finem imponeret ». At Andegavensis ipsiusque victor exercitus, ut scriptores tradunt, non est usus victoria; nam qui ad internecionem profugos hæreticos persequi debebat, ac facillime dispersos opprimere poterat, in Sanctonibus moratus est, ut in suam potestatem civitates ac loca, quæ Hugonotæ occupaverant, redigeret, ratus, nullum sibi post tam insignem cladem resistere ausurum; at exitus comprobavit, huic consilio præponendam fuisse Pii sententiam.

Dilliteri non possumus Nirtum, Mediolanum, Lusionanum, et alia loca, victori cecidisse, ac per vim et metum in regis potestatem redacta. At missus Bironius, ut in ipsius regis fidem Angeliacum reciperet, qui loco præerat, Pillæus valido præsidio eam defendendam suscipiens, et victoriæ cursum interrupit, et Catholicæ exercitus obsident, in quo ipsemet Carolus adesse voluit, diu conatus elusit. Ex ipso exercitu nonnulli (ut apud Campiliam, ad decem millia, vel ut Thuanus, ad sex millia) periisse scribunt; ex hæreticis vero ducenti tantum desiderati: ita ut evento constiterit, inquit Thuanus ² ipse, eodem errore, ommissa insequendi hostis occasione, castrisque ac Angeliacum positis, a regis peccatum esse, quo a Colinio in Pictavi obsidione, paulo ante peccatum fuerat; eoque majore, quod recenti exemplo sapere, et errorem, quem ipsi in veterano duce tantopere nuper improbaverunt, emendare debuissent.

172. Urbem nihilominus reddere Pillæus compulsus, cum ducentis equitibus ad Admiralium perrexit, qui una cum Navarræ et Condæo, in Aquitaniam et Septimaniam, remotiores provincias, ad tutiora loca, quæ in his occupabant transire, post acceptam cladem statuentes, per varios circuitus Montalbanum demum pervenerunt. His quoque Mongomerius et Bearnia

¹ Ut supra Epist. 47.

² Ut supra Epist. 48. — ² Thuan. lib. 46. pagin. 606.

victor rediens, aliique præterea rebelles sese addiderunt; ita ut (inquit Brietius) statim re-fecto sectariorum exercitu, Colinius paratas obijcere potuerit victoribus copias æque metuendas, ac si non victus, sed victor abscessisset.

173. Istius autem exercitus transmissioni peropportunum admodum accidit, quod ab ipsis sectariis in Septimania, miro astu Neumasius paulo ante interceptus fuisset. Horrenda vero extitere, quæ in occupata urbe rabidi sectarii scelera admisisse referuntur; nam sacrilegi reformatores, ac sceleratiorum homicide, a Cathedralis Ecclesiæ canonicis, aliisque Ecclesiasticis viris, diabolico spiritu ducti, in primis reformationem suscipientes, eos in puleum capili, vel jugulatos, vel semineces, vel etiam vivos acervatim conjecerunt. Neque crudele mortis genus episcopus ipse Bernardus Delbenius, vir probatæ virtutis, patria Florentinus, effugisset; nisi summo charitatis exemplo, vicarius ejus generalis, pro illo animam suam dedisset, ac ipsius vices suscipiens, oblatam conditionis mortem pro illo generosissime optetisset; dignus sane qui nomine nosceretur, eum tam eximie virtutis et illustris martyrii titulo prædicatur, Catholicorum quoque præcipui alii, a barbarorum hominum feritate haud dissimilia sunt passi; nam ipsi quoque, ad puteum alium extra urbem a furentibus ducti, in eumque præcipitati, felicem pro Catholica fide vitæ cursum compleverunt, licet incauto ac inconsiderato vulgi dicerio, puteo eidem *malæ mortis* nomen inditum fuerit; uti jam ab antiquis infausta nomina locis, in quibus martyres passi sunt vel sepulti, imposita fuisse, non raro reperimus; et præ aliis ostendit fovea ea, in quam septem martyrum, Sanctorum Gelulii Zotici, et Symphorosæ filiorum corpora projecta sunt; quam, ab idolorum sacerdotibus, per contemptum, ad septem Biothanatos fuisse dictam; in libro de inventione corporis, recens a nobis Tibure facta, nempe xix Octobris mæccxiv ejusdem S. Gelulii Zotici demonstravimus.

174. Post occupatum Angeliacum, et omnia quoque Rupellæ circumvicinas insulas ac loca, in suam potestatem regii redegerunt, ita ut urbi illi conmeatus omnes fere intercepti essent. Cum vero interea Hugonottæ nil aliud, quam militem conscribere ac viribus augeri contenderent; Catholicorum copię in hiberna mittuntur. Auxiliaries autem, tum Germanicæ, ut scribit Tarcagnotta ¹, tum Italianæ, una cum Comite Sanctæ-Floræ, earum duce, pariter dimissæ, Italian versus iter capessere: exercitum deponente rege, eo ferme tempore, quo contra hostem majores comparare vires debuisset. Ipse vero per Pictones descendens, postremo, non hoc anno,

ut vult ab Isselt, sed sequentis initio se Andegavum contulit.

195. Cæterum unde, et hac vice, et toties processerit, regem pluribus victoriis ineluctum, oblata sæpe occasione, et rebelles penitus compescendi, et pestiferam hæresum radicem prorsus convellendi usum non fuisse; ipsorum nempe Catholicorum discordiam, ac inter se varia administratorum belli ingenia, quibus, non tam religioni ac regni, quam propriis utilitatibus prospicerent; præ omnibus Pontificem cognovisse, ea declarant, quæ hoc anno ad cardinales Borbonium et Lotharingum, sub die prima Augusti scripsisse retulimus, quod forte intellexisset, vel hac de causa Bipontino duci minime ingressum in regnum prohibitum, vel Bearnia, ut diximus, Catholicos fuisse delurbatos.

176. *Avenionensis ditio ab hæresi præservata propter Pontificis prudentiam.* — Sed præ omnibus, quæ ostendunt, eorum quæ prædiximus in Galliæ regno malorum, diversa extitisse inter se Catholicorum studia, ac mutue dissensiones, quæ in hæreticos, ut oportebat, impetum facere prohiberent, nec de victoriis ab ipsis relatis fructum capere sinerent, ac demum hæresim funditus tandem convellere, uti potuissent, impedirent; ea demonstrare liquido videntur, quæ in Avenionensi ditione evenere. In hac enim, (quam temere aggressos fuisse, ac non minus quam cæteras Galliarum regni partes perturbare ac evertere seclarios connixos fuisse vidimus) cum absque ulla cunctatione, una Pii monita atque præcepta executioni demandata fuerint; nil hæreticorum fraudes, nil hæresis virus prævalere poluit; et licet illius pestis colluvies, e vicina regione in hanc effluere sæpe tentaverit; tamen serio et opportune repulsa diabolicos conatus omnes ferme irritos reddidit justissima Pii severitas; qua hujusmodi morbis, non lenia ac mollia, sed dura ac properata opportune adhibenda esse remedia, prudentissime semper cognovit; de quibus ista Gabulius ¹: «Noluit Pius, ut perduelles, vel Avenionem pristinum in statum redirent, vel bonis fruereutur suis; nam hujusmodi homines, (dicebat) Catholicorum instar vitam ducere, in speciem, non recusare, ut vel hac arte possent, et domum quisque suam repetere, et prava studia magis operire simul et exequi. Subjectis vero suis interdixit consuetudine cum iis, qui erant Arausicensis principatus, Pontificie ditiosis oppidis circumsepti; ne, scilicet hærescos labe tædarentur. A quo quidem principatu, cum desertores, et novis molliendis defectionibus, et quorumdam hæreticorum in urbe Avenione delitescantium usu relinendo foverentur, Pii copiis adversus ea loca dimissis, per vim tria capta sunt oppida,

¹ Tarcagnot. lib. 13. pag. 191.

¹ Gabut. Vit. lib. 2. cap. 3.

eaque mox legato subjecta. Nec ita multo post, conjuratione quadam patefacta, nonnulli ejus participes, Avenione in vincula coniecti, ac subinde capitis damnati sunt; exules autem, quorum alii in Gallia Narbonensi, permittente rege, continebant sese, conjunctisque suis furenter appropinquabant, omnes, jussu regis, ab illarum provinciarum præfectis fosi fugatique sunt, uti efflagitaverat Pius; qui etiam cavet, ne in posterum, ad xv millia passuum, vel in Avenionensem, vel in Venaisinam ditionem illi possent accedere; ne sectarii dogmata sua profiterentur. in his provinciæ locis, in quibus legatus et archiepiscopus Avenionensis suprema judicia exercerent ». Sic ille; at quoad honorem proscriptionem, atque locorum ad hæreticos pertinentium occupationem, (quæ licet an Auriacensem principatum spectarent, tamen a Pontificiæ ditionis oppidis circumsepta, ad ipsam pertinere noscebantur, ideoque feuda ejusdem esse comperitum erat); ponendum est, quod sub hujus anni initium, ad cardinalem Armeniacum, pro Apostolica Sede Avenionensem ditionem moderantem, sequenti Epistola significavit :

« Dilecto filio nostro, Georgio, tituli S. Nicolai in Carcere Tulliano presbytero cardinali de Armeniaco vocato, pro nobis et Sede Apostolica, in civitate nostra Avenionensi commoranti.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Magna cum animi nostri lætitia intelleximus, hæreticorum honorum istius nostræ ditionis Avenionensis comitalusque Venaisini descriptionem a te factam ordinatamque esse : non minorem quoque voluptatem accepturi ex eo, si eorum honorum distributionem utiliter, atque, ut decet, et ut speramus, factam esse intellexerimus. Qua in re illud in primis circumspeditionem suam curare volumus, ut ex his, bona, templa, et publica ædificia, ab iisdem hæreticis incensa aut diruta, rursus ædificentur: deinde, ne bona hæc propinquis ipsorum aut affinis, quantumvis bonis et Catholicis, donentur, aut alia quavis ratione perveniant. Talem enim severitatem, ad reliquos ab hæretica pravitate hoc exemplo deterrendos, utilissimam esse judicamus. Illud præterea officio tuo convenit, ut diligentissime cures, ne hæc hæreticorum publicata bona dissipentur, aut inutiliter expendantur; sed ad omnes casus necessitatesque istius ditionis conserventur, quas pro temporum locorumque istorum conditione vides multas accidere posse, ut ad suppediandos necessarios istic sumptus, non semper pecuniam hinc mittere cogamus. Quod vero ad eorum hæreticorum feuda pertinet, volumus ut ea legationi isti applicentur atque uniantur, ea ratione quæ his nostris sub plumbo litteris, super rebus

feudalibus non alienandis, editis, præscripta est, quarum exemplum ad te mittimus, easque diligenter atque inviolabiliter, ut par est, servari mandamus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xvii Januarii mdcxix, Pontifical. nostr. ann. quarto ».

177. Nec modo Pontifex nullum privatum sui commodum respiciens, sed solam justitiam, religionem ac Dei gloriam præ oculis habens, in hac Galliarum sua parte, sic insurgentes errorum tribulos evellere voluit, destruere ac dispare: sed insuper primævam in ea pietatem, quæ cæteris ejusdem regni locis exemplo esse posset, rursus ædificare ac plantare omni prorsus securitate contendit; ut facile ex sequentibus ad cardinalem Borbonium ab eo scriptis Epistolis intelligere erit: sic enim se habent:

« Dilecto filio nostro Carolo, tituli S. Christogoni presbytero cardinali, Borbonio vocato, civitatis nostræ Avenionensis de latere legato¹.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Facit singularis tua in Deum Omnipotentem pietas, eximiusque et perspectissimus nobis in te divini honoris zelus, ut nostras cogitationes nostraque consilia tecum libenter communicemus, præcipue ea, quæ ad obsequium Dei, ad religionis Catholicæ pristinam integritatem revocandam ac conservandam, atque ad ipsius S. Ecclesiæ, cujus honorabile membrum es, dignitatem constituendam ac refinendam magnopere pertinent. Quas quidem ad res, ut optamus, consequendas, nihil jam inde a principio nostri Pontificatus accomodatius efficaciusque esse judicavimus, quam si a nobis primum, deinde etiam ab his, qui in hujus sollicitudinis partem a Deo vocati sunt, quique alia quavis ratione hoc nostrum studium adjuvare possunt, diligentissime opera daretur, ut ubique fere corrupti populorum Christianorum mores emendarentur; ac si qui apud eos abusus irrepsissent, si quæ vitia, ut fit, dissolutis hominum antiquis moribus confirmata essent; hæc omnia, quantum fieri posset, tollerentur ac corrigerentur. Quia vero omnem morum correctionem, quæ a nobis primum, atque ab eis locis, quæ ad Ecclesiasticam ditionem proxime pertinent, non incœpisset, suspectam ac mancam fore videbamus; propterea, quantum in tanto perturbati orbis Christiani rerum negotiorumque coneursu nobis hucusque licuit, sedulo studuimus, ut quæ divinæ majestatis oculos offendere videbantur, in hac Urbe primum tollerentur: quam, quia nos, licet indigni, in ea præsidemus, videbamus cæteris civitatibus, religionis sanctitatisque speciem atque exemplum dare oportere; deinde etiam aliis in locis, atque oppidis, quæ nostra Ecclesiastica ditione

¹ Epist. lib. 3. Epist. 3.

¹ 11 supra, Epist. 18.

continentur. Inter ea Avenionensis civitas, comitalusque noster Venaisinus, quæque oppida in ea provincia tuæ legationis jure commissa sunt, quamvis magno locorum spatio a nobis disjuncta, nobiscum tamen et cum Sede Apostolica, eodem quo cæteræ ditionis nostræ civitates jure conjuncta, duabus de causis præcipue nobis ante oculos obversantur. Primum, quod ea urbs undique multis hæresum pestiferarum periculis cincta, eo magis paternam nostram, tuamque curam, pastoralique auxilium implorare videtur, quo ab imminentium luporum insidiis propius abest. Deinde, quod, si in ea incorruptæ religionis pietas constituitur, antiquorum morum integritas restituitur, veterisque disciplinæ sanctitas revocetur; perspicimus, finitimis eam populis vicinisque nationibus, quasi exemplar quoddam, in quod intueantur ad imitandum propositum fore; quodque B. Hieronymus de Jerosolyma urbe scribit, eam idcirco a Deo in medio gentium positam fuisse, ut omnes in circuitu nationes, ejus exemplum sequerentur; hoc idem Avenionensi civitati, adjuvante Deo, nisi per nos steterit, accidere posse. Itaque jam inde a nostri Pontificatus initio vehementer optavimus, ut quod animo jam et mente conceperamus, de corrigendis atque emendandis ejus civitatis moribus, id nobis aliquando Dei beneficio, reipsa consequi liceret. Quod quia, seu temporum injuria, sive aliis de causis, ad hoc usque tempus fieri non potuit, visum nobis est, non esse amplius differendum: ne cui regno, terrenis temporalibusque armis præsidium ferre conamur, ejus partem ad nostram ditionem pertinentem, spiritualibus remediis destitutam esse patiamur. Ad hoc opus, Omnipotenti Deo tam acceptum, eorumque populorum animabus tam salutare, efficiendum, intelligimus, circumspeditionem tuam, pro sua pietate et flagrantissimo juvandæ religionis studio, nullis nostris hortationibus indigere; ut enim cætera, quæ sibi, Dei gratia, abunde suppetunt, omittantur, legationis officium, quod a nobis Sedeque Apostolica in ea obtines civitate, idoneum esse videtur incitamentum, quo, si ullis modo stimulis indigeret virtus tua, ad hoc ipsum quod cupimus adjuvandum incitari posses. Itaque, sicuti circumspeditionem tuam, ad id, ad quod sponte sua satis incitata est, hortari noluimus; ita ei hunc animi nostri sensum significare, deque hoc nostro consilio certiores facere volumus. Cui etiam, totum hoc emendationis correctionisque morum negotium, tanquam nostrum et Sedis Apostolicæ de latere legato non commissemus, nisi tuam operam in rebus istius regni gubernandis, multo nobis ac Reipublicæ Christianæ utiliores esse perspiceremus: quantopere enim præsentia, prudentia fidesque tua istic, tum ipsi regi, tum nobis Sedique Apostolicæ, utilis necessariaque sit,

non ignoramus. Itaque circumspeditionem tuam rogamus, ut eos, quos oportet, legationis tuæ ministros, litteris moneas, ut iis, quibus hæc a nobis cura commissa fuerit, omni studio, sinceræque erga Sanctam hanc Sedem devotionis affectu adsint; eosque omnibus viribus, favore, auctoritate et potestate juvent. Quod quidem tuum, ipsorumque officium, præter quam (quod caput est) Omnipotenti Deo acceptissimum erit, præterea nobis gratissimum, populis vero ipsis utilissimum est futurum. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvii Aprilis MDLXIX, Pontific. nostr. ann. quarto ».

178. Ejusdem vero exempli, aliam quoque dedisse Epistolam ad Georgium cardin. Armeniacum Avenione commorantem; ipse testatur Pontifex, in altera paulo post ad episcopum Vasonensem scripta, in qua illam, et ad Borbonium hæc, quam retulimus, commemorat. In ea autem ad Vasonensem, ad mores pie reformandos, Ecclesiasticamque disciplinam rite ordinandam, illum pariter hæc ratione adhortatur:

« Venerabili fratri Jacobo episcopo Vasonensi, patriarchæ Alexandrino ¹.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. De correctione atque emendatione morum civitatis Avenionensis, comitalusque nostri Venaisini, cæterorumque oppidorum ac locorum legationis istius ditioni subjectorum, sollicito animo cogitantes, utile esse duximus, primum dilectis in Christo filiis, Carolo cardinali Borbonio, civitatis nostræ Avenionensis de latere legato, et Georgio cardinali Armeniaco ejus collegæ, pro nobis ac Sede Apostolica in eadem civitate commoranti, consilium nostrum consiliiue simul rationem significare: quod litteris nostris ad utrumque eorum accurate admodum scriptis proxime fecimus; sed quia ad id, quod cogitamus permagni interest, ut eorum, quibus hæc salutaris animarum disciplina adhibenda est, animi eodem tempore præparentur; et ad eam rem venerabilium fratrum nostrorum istius legationis episcoporum operam valde nobis utilem atque accommodatam fore videbamus; idcirco singulos eorum hortandos excitandosque esse existimavimus, ut, si unquam antea, nunc maxime, ad officium suum Ecclesiæ propriæ præstandum incumbant. Quocirca fraternitatem tuam necesse est memorem esse pastoralis curæ, sibi a Deo commissæ, ejusque quod de universalis Ecclesiæ dictum est: *Panem otiosa non comedit*: hinc sollicito animo in eam curam cogitationemque incumbere, ut cujus fructus Ecclesiæ percipit ac percipit, et studeat operam ac vigilantiam suam sedulo impendere. Et quoniam tot tantorumque hæresum pestis in ista provincia, sicut in aliis eadem labe infectis, non aliam ob causam ma-

¹ Epist. lib. 3. Epist. 21.

gis invaluit, quam ob corruptos ac depravatos clericorum laicorumque mores; idcirco, quid in sermone, quid in actione episcopum deceat, diligenter attendens, vitamque tuam bene sancteque vivendi normam cæteris ad imitandum proponens, clericos in primis, qui sunt in tua diœcesi, officii sui diligenter admone, eosque ad pie, sobrie castęque vivendum hortare. Si qui vero ex illis sunt, qui disciplinam detrectantes, monitis tuis obtemperare recusent, eos, adhibita etiam animadversionis canonice severitate, coerce; laicos et reliquum populum fidei tuę creditum, frequentibus hortationibus per te, perque idoneos verbi predicatorum excitare stude, ut ad audiendum Dei verbum, præsertim festis diebus, frequens conveniat. Catechismum ei per religiosos sacerdotes declarandum propone; Decreta S. generalis Tridentinę Synodi, ut fideliter diligenterque serventur, omni studio conare. Hęc, et si quę alia sunt horum similia, meditare atque exequere. Diem tuę vocationis considera; quas rationes de episcopatus onere Redemptori nostro redditurus es, subtiliter perpende. De grege tibi credito, sollicito animo semper esto, ne quid hæreticorum fraude tibi de eo subtrahatur, vigila, et si subtractum fuerit, ad gregem Dominicum, pastorali voce revocare contende. Denique in commissã tibi plebis cura, nihil quod animarum salutem utile fore putaveris, prætermitte: ut qui Pastor Pastorum est, vigilasse te in gregis sui custodia, divino suo iudicio comprobare dignetur. Datum Romę, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xvii Maii m̄l̄xix, Pontif. nostr. ann. quarto».

179. Ex hac autem Epistola haud obscure colligitur, Tridentini Concilii decreta in Avenionensi ditione jam fuisse recepta Pium existimasse. Verum cum paulo post intellexisset, ea nondum in mores inducta (quod forte id prohibuissent præteritis annis excitata, ut diximus, in ea regione ab hæreticis turbæ); statim ad cardinalem Borbonium Avenionensem legatum, sequentem scripsit Epistolam, qua idem Concilium omnimode ab omnibus custodiri, ut faceret, imperavit:

« Dilecto filio Carolo, cardinali Borbonio nuncupato, civitatis nostrę Avenionensis nostro et Sedis Apostolicę de latere legato ¹.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam etc. Allatum est ad nos, in legatione ista nostra Avenionensi, quę tuę fidei vigilantique regenda a nobis commissa est, sacrum generale Tridentinum Concilium, neque antea observatum esse, et hoc tempore minime observari. Qua de re, tum pro commisso nobis Apostolicę servitutis officio, tum pro nostro erga te amore, existimationisque tuę paternam cura solliciti, non potuimus non magnopere commoveri. Quamvis

autem nobis eximium tuum divini honoris zelum recordantibus, prorsus incredibile videatur, te, in re Omnipotenti Deo tam accepta, tamque animarum salutem necessaria, nullo modo negligentem fuisse; tamen nostro ipsi pastoralis sollicitudinis muneri deesse nolentes, circumspectionem tuam, quo majori possumus animi studio, in Domino hortamur, ut si ad hanc usque diem Tridentini Concilii decreta in ista legatione non observentur, des operam ut ea in posterum fidelissime ac diligentissime, quemadmodum æquum est, et officii tui ratio postulat, observentur. Non modo tibi, cui legationis istius gubernandę munus præcipue incumbit, sed etiam nobis, qui jam inde a Pontificatus nostri principio, omnes Christianos Catholicosque principes, omnes item venerabiles fratres nostros episcopos, accuratissime per litteras ad id cohortati sumus, turpe esset, si in locis ditioni nostrę Ecclesiasticę immediate subjectis, Concilium non observaretur: quod tantis laboribus, tanto Catholicorum omnium principum consensu, celebratum est; quodque nos, ab omnibus observari custodiri que jussimus. Proinde circumspectio tua, si quid in hac re hucusque aut negligentia cessatum, aut indulgentia peccatum est, corrigere festinet: ac si qui monitis tuis parere neglexerint, in eos, sine ulla personarum exceptione, animadvertas. Denique, quę Concilium ipsum decrevit, ea sic ad effectum perducere, atque etiam in usum adducere studeas, ut tuam in hac re, sicut in cæteris, quę ad officium tuum pertinent, operam ac diligentiam, quemadmodum hucusque fecimus, laudare debemus. Datum Romę, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxv Junii m̄l̄xix, Pontificat. nostr. ann. quarto».

180. *In Jesuitas coorta Avenione seditio.* — Inimicus autem homo, dum in agro Avenionensi Pius tanta sedulitate bonum Dei semen seminaverat, superseminare zizania tamen hoc anno contendit, ut præter alios narrat Sacchinus ¹. Solemnem emissurus professionem Antonius Possevinus, collegii Avenionensis Societatis Jesu præfectus, Romam venerat; cui abeunt, tum cardinalis Armeniacus, tum præcipui Avenionenses cives in mandatis dederant, ut enixe ea occasione Pontificem suo eorum nomine deprecaretur, ut singulari sollicitudine se suaque respicere vellet. Quibus a Possevino fide optima ac summo studio apud Pium actis, professioneque edita, prima æstate Avenionem versus iter denuo instituit, eodem ferme tempore, quo, quas retulimus, ad cardinalem Borbonium legatum, sub die xxvii Aprilis, et ad episcopum Vasonensem, sub die decima octava Maii, datę Pontificis litterę deferuntur, in quibus, ut auctisti, de cleri disciplina restituenda et regendis

¹ Epist. lib. 3. Epist. 23.

¹ Sacchin. Hist. Soc.

moribus agebatur. Addit Sacchinus, nescio quid etiam, in ipsis de questionibus violatæ religionis significatum. At compertum est, nec verbum quidem ea de re in illis a Pio injectum; nam licet cunctas, quas tunc Pontifex dedit Epistolas, minime hic inseruisse existimemus; cum tamen eas dederimus, quas ad præcipuos misit, apud quos certe, de his potissimum agere debuisset, nec in illis res hujusmodi memoretur; imo, cum disserte in inferius ponendis Epistolis asserat Pius, de his, nec verbum quidem, neque cum Possevino, neque cum alio quovis habuisse; idcirco censemus, ad excitandas, quas mox dicemus, turbas, hoc perperam perditos quosdam homines excogitasse primum, deinde vulgasse. Et forte, cum ex Epistola ad cardinalem Armeniacum, quam supra posuimus, ejusmodi rei aliquid educi posse videretur, cum in ea, nimirum, de proseribendis sive proscriptis hæreticorum bonis ageretur; quam nempe die decima septima Januarii hujus anni scriptam diximus; et eodem ferme tempore Possevini Romanam protectionem Sacchinus referat; evidens est, ex his simul junctis, conflatum in Possevino, ob violatæ religionis quæstiones, calumniam esse. Suspicionem hanc forte etiam auxere, quæ Avenionem redeunti, ad ipsius civitatis consules deferendas Epistolas, Possevino Pontifex tradidit: cum enim in illis, pluribus et de Catholica religione retinenda (ut consuevit), et de hæresi profliganda egerit, perperam ista aliqui interpretati, Inquisitionis officio se subdere, blande Pontificem velle existimarent. Pii ad consules præfatos Epistola hujusmodi fuerunt:

« Dilectis filiis, consulibus civitatis nostræ Avenionensis.

PIUS PP. V.

« Dilecti filii etc. Cum redeat ad vos dilectus hic filius, Antonius Possevinus, Jesuita, ut in vestra civitate apud eos, qui isthic sunt, fratres suos, Dei Omnipotentis obsequio, et animarum lucro, quemadmodum servum Dei decet, operam det; præterire nolumus, quin per eum vobis, tanquam dilectis nostris in Christo filiis, nostræ salutationis eloquium persolventes, hoc paternæ nostræ erga vos voluntati, consentaneo officio fungeremur. Et quanquam studiosos ac devotos, quales vos estis Ecclesiæ filios, ad permanendum constanter, ut hucusque fecistis, in fide Catholica, supervacaneum esse videatur; tamen, quia, et secundum Apostolum: *Dies mali sunt*, et hanc nostram de vobis paternam animi sollicitudinem arbitramur, neque ingrati, neque injucundam vobis esse debere, idcirco vos, quanto majore possumus animi studio, ad omnia pericula prudenter præcavenda, vosque ipsos ab omnibus undique imminentibus hæreticorum insidiis diligenter custodiendos hortamur

atque excitamus. Decet enim præcipue vos, dilecti filii, apud quos hujus S. Sedis domicilium aliquando fuit, quique nobiscum, et cum Sede Apostolica, eodem, quo cæteræ nostræ dittonis civitates jure conjunctissimi estis, ita vivere. Catholicæque fidei sanctitatem atque integritatem, semper a vobis retentam, sic conservare; ut vicinarum nationum homines, qui in errorum tenebris adhuc versantur, incorruptæ vestræ fidei, bonorumque operum lucem videntes, ad sanctæ gremium Ecclesiæ, ejusdemque obedientiam revertantur. Cogitate, quanto vobis, adversus vicinas hæreses major pugna propinqua est, tanto majorem quoque æternæ beatitudinis mercedem paratam esse; nec ad celestia magnaque præmia, sine magnis laboribus, perveniri posse, neque quemdam coronatum iri nisi qui legitime certaverit. Hoc autem, vestrum esse certamen existimate, adversus hæreticorum latratus constanter laborare. accepto ab Omnipotenti Deo talento, meminisse vobis quoque ab eo præceptum fuisse, ut donec ipse laborum omnium pro se susceptorum æternus remunerator veniret, diligentissime negotiaremini. Quod quidem non ignoramus, vos hucusque diligentissime fecisse, eaque de re Omnipotenti Deo gratias egimus, vosque ipsos, ut par est, debitis in Domino laudibus prosequimur: sed tamen, et ad ea quæ restant, paternis nostris vocibus, quamvis currentes, hortamur, simulque nostræ erga vos dulcedinem charitatis ostendimus. Sicut autem a vobis ea omnia expectamus, quæ Catholicis fortibusque viris digna sunt: sic nos nullum paterni erga vos amoris nostri declarandi locum unquam, Deo adjuvante prætermittemus, vestrisque rebus eo studio semper præsto erimus, quo debemus. Qua de re minus ad vos scribitus, quod prædicto Antonio Possevino, qui de vestra pietate, fide, constantia, de vestra usque ad sanguinem Catholicæ fidei defensione multa retulit; quæ nobis, ut par est, gratissima fuerunt, mandavimusque, ut paternam nostram erga vos voluntatem et vestræ salutis desiderium copiosius coram vobis exponat. Cujus orationi volumus vos fidem sine ulla hæsitatione habere. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die ultima Aprilis M^o L^o X^o, Pontific. nostr. ann. IV ».

181. His similes datas quoque a Pio litteras ad communitates et universitates civitatum et terrarum Venaisini comitatus, licet ad eas Possevini missus non fuerit; in Vaticano Regesto disserte legitur.

182. Ex his aliisque igitur Pii Epistolis Apostolicisque mandatis, novarum rerum studiosi, (ut discere ceperamus) arrepta occasione, eam Romam adeundi Possevino fuisse causam spargunt, ut in Comitatu Venaisino Inquisitionem Hispanico ritu introduceret: (Hoc enim nomine, primos in Belgio ac alibi tumultus ciere sectarii

conseverant; et ut honestissimas insuper sese Flagellantium quatuor sodalitates aboleret, et hujus generis aliud, ut infra dicitur. Quibus inter plebem gliscentibus, conventusque edictus esset, ad novos consules designandos, in diem quartumdecimum ante kalendas Julias: Eo die (inquit Sacchinus ¹) cum innumerabilis confluvisset ad prætorium populus, fieri non potuit, quin promissæ cui libitum esset irrumperet, lateque arcam reliqua multitudo compleret. Illic magnis et inconditis vocibus, de Possevino conqueri, ingrattissimum vociferari, perfidum proditorem, et Collegium e vestigio diripiendum; ad quod agmine et clamore infesto itum est. Senatus, ut exasperatos mitigaret, domum ac redditus, aut quidquid beneficii aliud in Jesuitas contulisset, revocavit. Armeniacus, e contra, per totam urbem ultimi supplicii pœnam imponi jussit cuique, qui facto aut dicto Jesuitarum quempiam offendere temerario ausu præsumpsisset; ultor, qui Possevino ac sociis falso rem illatam certo secret. Sic partim lenitate, partim minis deforbuit furor populi, ea tamen conditione, ut res ad Pontificem deferretur, qui ea audita, ac in ea criminatione, plus subesse veneni ac pestis quam prima facie apparet metuens, quippe qui longo usu hæreticorum ingenia noverat, statim, ad illorum commolitiones evitandas, quibus Catholicos quoque turbare contendissent, studium suum omne convertit.

183. Consulium igitum Avenionensium litteris respondeus, improbum in primis commentum de Hispanica Inquisitione illic introducenda omnino rejicit; deinde, aliud de sodalitatibus abolendis pariter delet, ac demum inconsultum ab Avenionensi senatu, contra Jesuitas decretum abolet ac irritum reddit, sic scribens:

« Dilectis filiis consulibus civitatis nostræ Avenionensis.

PIUS PAPA V.

« Dilecti etc. Lectis vestris litteris, xxii Junii datis, quibus nos de istius populi perturbatione, tumultuosoque decreto adversus Jesuitas facto certiores fecistis, magnum nos quidem, tum pro rei indignitate, tum pro nostra erga vos paterna benevolentia, animi dolorem accepimus. Homini- bus tamen piis ac religiosis, nulla sua culpa, tale tantumque detrimentum illatum esse, idcirco minus mirati fuimus, quia Apostolicæ vocis memores sciebamus, omnibus qui pie et sancte in Christo Jesu Redemptore nostro vivere vellent, persecutiones paratas esse. Eas tamen ab eo populo excitatas fuisse doluimus, qui, quoniam nobiscum et cum Sede hac Apostolica conjunctus est, quam cæteri qui extra Italiam

sunt, minus id facere debebas. Antonius Possevinus Jesuita, dum hic fuit, multis de rebus, ut fit, ad Catholicæ religionis utilitatem pertinentibus, nobiscum locutus est; sed tantum abest, ut de abolendis confraternitatibus istius civitatis eorumque bonis ad fratres suos Jesuitas transferendis, quidquam a nobis obtinere tentaverit, ut ea de re, ne verbum quidem ullum fecerit, atque, ut pro certo habemus, ne cogitaverit quidem. Quas quidem confraternitates, non modo nos abolere, aut de eorum bonis quidquam detrudere non cogitamus; ut contra, eas, tanquam fidei Catholicæ conservandæ accommodatas, pietatique Christianæ utiles, magnopere frequentari celebrarique cupiamus. Nec vero minus falsum est illud, quo idem populus, levissime de novo atque istis inaudito Inquisitionis genere, a nobis in istam civitatem inducendo suspicatus est; qua de re, ne cum prædicto Antonio Possevino, neque cum alio quopiam loculi sumus, neque tale quidquam cogitavimus, aut cogitamus. Vestrum autem officium fuit, dilecti filii, quibus pro magistratu quem geritis, istius populi pro parte vestra regendi cura commissa est, concitate multitudinis temeraria voluntati obsistere, non populorum levitatem decreti publici auctoritate firmare. Quod quidem decretum, quia non æquitas, et justitia suasit, sed rerum temere creditarum suspicio, et popularis temeritas extorsit, revocari atque irritum esse mandamus. Nam quod ad istius populi tumultum excitatum pertinet, nobis nullo modo placet, non solum sine causa, quemadmodum istic nunc accidit, sed ne cum causa quidem populos nostræ ditioni subjectos, tumultuose concita multitudo, aliquid agere; nam, præterquamquod populi nullam unquam satis justam causam excitatum tumultus habere possunt; hoc præterea bonis civitatis moribus et publicæ tranquillitati vehementer adversatur; quam vos præcipue tueri et conservare debetis, qui civitatis illius magistratu fungimini, quorum maximi interest rem vestram publicam omni illam quidem tempore, sed hoc maxime quietam pacatamque esse, pro, propter intestinum bellum ab hæreticis in isto regno excitatum, plura et majora urbis pericula, quam reliquis populis timenda, cavendaque semper sunt. Quo etiam majore supplicio digni sunt, qui falsis rumoribus disseminatis, tumultum ipsum excitaverunt, quos nos hæreticos fuisse pro certo habemus. Eos autem pervestigari ac comprehendere, et justo supplicio affici oportuit. Quod vos, ut fiat, pro parte vestra adjuvare debetis, nec committere, ut paucorum impunita culpa, civitati vestræ perniciem aliquam afferre possit. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xvi Junii mdcxix. Pontificat. nostr. ann. quarto ».

184. Ad cardinalem autem Armeniacum

¹ Sacchin. Histor. par. 3. lib. 5. anno 1569.

haud multo post scribens Pius idem, postquam in administranda Avenionensi legatione ipsius sedulitatem dignis laudibus persecutus est; ac de injuncto Avenionensi archiepiscopo totius legationis lustrandæ ac visitandæ munere, (de quo, sub hac ipsa die ad ipsum archiepiscopum in Vaticano Regesto scriptas Epistolas habemus,) pluribus egit. Demum, de abolito a se Avenionensis senatus contra Jesuitas decreto, admonet; ac quoad sacræ Inquisitionis officium, nil prorsus innovare voluisse certiore reddit. Epistola sic se habet :

« Dilecto filio nostro Georgio, tit. S. Nicolai in Carcere Tulliano, presbytero cardinali ¹ etc.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Ex litteris tuis, quas nona Junii die datis, ad nos scripsisti, intelleximus id, quod semper exploratum habuimus; quodque etiam, ex dilecti filii Antonii Possevini Jesuitæ, cum hic adesset, sermone cognovimus; te in ista civitate, cæterisque oppidis ac locis legationi tuæ subjectis gubernandis, nihil prætermittere, non modo earum rerum, quæ ad temporalem dititionem juste atque utiliter regendam, sed etiam quoad spirituale Dei obsequium divinique honoris conservationem pertinent. Qua in re, id quod tua eximia in Deum pietate, et juvandæ Catholicæ religionis studio jam pridem nobis perspecto dignum est, præstas. Quod autem iisdem litteris scripsisti, ex his capitibus, quæ ad correctionem moderationemque morum pertinentia, in instructione tibi a ven. fratre nostro istius civitatis archiepiscopo ostensa continentur; multa, quæ tu nominatim narras, isthic tua diligentia ad effectum jam esse adducta; id quamvis, ut par est, nobis gratissimum fuerit, tamen ne tum quidem cum istius legationis visitationem prædicto archiepiscopo injunximus, debita videri accedere posse, ut aliqua eorum, quæ corrigi emendarique videbamus, istic jam parte correpta emendataque essent. Ipsam tamen legationis istius generalem visitationem, quam a tanto intermissam tempore, nos ipsi, si modo licuisset, libenter obissemus, nibitominus necessarium atque utilem fore videbamus: quam idcirco archiepiscopo ipsi mandavimus, quia præter causas, aliis ad te litteris nostris scriptas, eum facilius et minori populorum impendio, ad omnia istius legationis loca accedere, quidve corrigendum reformandumque esse videre posse, intelligebamus. De tua autem auctoritate ac potestate, quod nihil detractum esse voluerimus, ex eo cognoscere potuisti, quod ipsum archiepiscopum, omnia prius tecum communicare, ipsamque visitationem, ex consilio tuo maxime exequi voluimus; quod, ut quamprimum fiat, utque ad

eam rem omne tuum auxilium favoremque archiepiscopo impertiri velis, etsi aliis nostris te litteris hortati sumus; tamen his etiam, magis pro officio nostro, quam quod id necessarium esse putemus, hortamur. Circumspectionem tuam debitam in Domino laudibus commendantes, quod in comprimendo istius populi adversus Jesuitas tumultu, inanissimis rumoribus, falsisque suspicionibus excitato, eam prudentiam diligentiamque adhibueris, quam ex dilecti filii Cæsaris Pamphilli, agentis apud nos tui, nobiscum super ea re habito sermone cognovimus. Quam magis etiam commendaturi sumus, si ejus rei diligenti facta inquisitione, quod te vehementer hortamur, auctoribus falsi rumoris inventis, quos hæreticorum aliquos fuisse, pro certo habemus, eos comprehendendi puniri que curaveris, quemadmodum te facturum esse, ex tuis litteris, prædictasque Cæsar, tuus apud nos agens, nobis confirmavit. Qua de re, litteris quoque consulum istius civitatis ad nos scriptis, rescripsimus, eosque ad revocandum tam temerarium decretum, adversus homines religiosos atque innocentes factum; ad molestiam in posterum, moderationemque in publicis conciliis adhibendam, compescendamque populi levitatem hortati sumus. Eadem hortatione nobis tecum utendum non esse videmus, de cujus in rebus istius legationis juste prudenterque gubernandis, vigilantia atque prudentia, in Domino ita confidimus, et nullum sit tam egregium opus atque præclarum, quod non a tua virtute, bonitate, pietatè divinique honoris zelo expectemus. De ipso autem hæreticæ pravitatis Inquisitionis officio, nihil nos istic novi statuimus, quod de tua auctoritate quidquam detraheret; sed id, quod canonicæ sanctiones decernunt, observari mandavimus, ut scilicet hæreticæ pravitatis Inquisitio, ad inquisitorem ordinariumque pertineat; quod idem in omnibus locis quæ Ecclesiasticæ dititionis sunt eodem modo observatur, et in aliquibus etiam, quæ extra Ecclesiasticam dititionem sunt. Tuæ autem partes, quoad hoc, nullæ aliæ, nisi quod, quotiescumque ab inquisitore auxilium tuum fuerit requisitum, illud prompte, ut decet, libenterque præstes; quod ut facias, eique auxilium tuum favoremque petenti, præsto semper sis, vehementer a te petimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxii Junii MDLXIX, Pontif. nostr. ann. quarto ».

185. Verum perfidi mendacesque homines, eo usque vulgaverant, quas stuxerant de Possevino, de Inquisitionis officio Hispanico more introducendo, de sodalitatibus abolendis calumnias, ut tota fere Gallia earum rumor increbuisset; unde Pius, non modo apud Avenionenses et Armeniacum, ut vidimus, sed insuper apud Gallicanam aulam, quodammodo se purgare compulsus fuerit, ad Calatinum episcopum Apo-

¹ Ex Regest. Vatican. ut supra.

stolicum suum nuntium data hac Epistola ¹ :

« Venerabili fratri nostro Fabio, episcopo Calatino, nostro et Sedis Apostolicæ in Gallia apud regem Christianissimum nuntio.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Quidam perversitatis filii, suggerente diabolo, Christiani nominis hoste, superioribus diebus, improbissimum rumorem Avenione fuscè dissipaverunt, Antonium Possevinum Jesuitam, sermonibus quos, dum hic esset, variis de rebus ad religionem pertinentibus, nobiscum habuisset, duo nobis persuadere conatum fuisse; primum, ut in Avenionensi civitate nova Inquisitionis hæreticæ pravitalis ratio, ad Hispaniæ modum introduceretur; alterum, ut sodalitates illius civitatis, quas vocant Disciplinaryum, abolerentur. Tertium adjece- runt, eundem nobis multos de hæresi suspectos indicasse. Quæ omnia falsa, et ad perniciosissimam hominum libidinem, ad excitandos tumultus conficta, non satis habuerunt Avenione in vulgus proferre; sed et eadem per totam fere Galliam, et aulam quoque regiam, ut accepimus, sparserunt; hominemque pium, nec minus vitæ sanctitate quam doctrina præstantem eo redegerunt, ut aliquibus istius regni civitatibus satis tuto se committere non possit. Quo quidem nos, et hominis incommodo, et rei indignitate permoti, non solum, ut quantum in nobis est, ab hujusmodi illum infamia liberaremus, sed etiam, ut veritati testimonium, pro nostro pastoralis officio perhiberemus, has ad te litteras nostras dandas existimavimus : quibus fraternitati tuæ significaremus, tantum abesse, ut prædictus Antonius Possevinus, quidquam earum rerum, quæ sibi ab hominibus, vel hæreticis, vel invidiosis, vel seditiosis, certe improbis, objiciuntur, nobis persuadere conatus sit; ut pro certo habeamus, illum de his rebus, ne cogitasse quidem, necum nobiscum aliquid egisse. Quod non solum ad dilectum filium nostrum Georgium cardinalem Armeniacum, cardinalis Borbonii in legatione Avenionensi collegam, scripsimus; sed etiam ad ipsos Avenionenses consules, cum eorum litteris, eadem de re ad nos scriptis, responderemus; eosque et ipsum cardinalem, ad inquirendos illos falsi rumoris auctores puniendosque hortati sumus. Hæc ad te scribere volumus, ut cum a nobis id quod verum didicisses, calumniatorum falsitatem tutius redarguere, hominemque pium et in vinea Domini diligenter pro sua parte laborantem ab invidia falsi criminis vindicare, nostrarum litterarum testimonio possit. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die undecima Septembris MDLXIX, Pontific. nostr. ann. quarto ».

186. Fuisse vero Berardum quemdam, ex

Ordine Prædicatorum inquisitorem, virum alias pietate atque doctrina venerandum, qui Roma Avenionem reversum candide aperuisse, quibus de rebus scripserat Pius, rumoresque excitant; eorum illi se suasorem extitisse, scribit Sacchinus ¹. At hoc nihil improbabilius videtur; nam, cum nulla prorsus hujusmodi rerum, mentio facta reperitur in Epistolis a Pontifice scriptis, ut supra observavimus; et insuper earummet rerum vociferationem, longe lateque diffusam, falsum rumorem Pius ipse dicat, ad perniciosissimam hominum libidinem ad excitandos tumultus confictum; uti non est, unde astrui rite possit præfata unquam Pontificem imperasse, quæ vel nunquam se cogitasse dicit : ita Berardum quoque illati criminis falso insimulatum censere æquum est. Quicquid fuerit, Pontificio testimonio, et Possevini innocentia apparuit, et subdole vulgati sermones evanescere, facileque diabolica machina disjecta est; et Avenionensis senatus contra Jesuitas decretum, die duodevigesimo Junii, ut diximus, per seditionem expressum, die Novembris item duodevigesimo hujusmet anni, magno cum omnium gaudio antiquatum est.

187. Merito autem Avenionensium turbarum auctores hæreticos, Pium suspicatum esse, illa etiam suadet, hoc ipso tempore, structa adversus Emanuelelem Philibertum Sabaudia ducem ejusque ditionem impia conspiratio; qua detecta, cum ex conjuralis plures, vel in proxime adjacens Galliarum regnum, vel in Avenionensem ac Venaisinam Ecclesiasticam regionem se recepissent; ut ipsi sibi traderentur, a Pontifice enixe dux idem petiit. Cujus precibus Pius prompto animo annuens, ad cardinalem Armeniacum has dedisse litteras reperimus :

« Dilecto filio N. Georgio, cardinali Armeniaco.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Quoniam ita negotii magnitudo postulat, eaque res magnopere ad nos, ditionemque nostram, atque ad dilectissimum in Christo filium, nobilem virum Philibertum Sabaudia ducem ejusque statum pertinet; idcirco circumspectioni tuæ, præsentium tenore litterarum mandamus, ut omnes et quoscumque prædictus dux tibi, per nuntios litterasque suas nominaverit; eos quibuscumque in locis legationis istius ditioni subjectis inventi fuerint, quam citissime comprehendi, prædictique ducis ministris, quibus hoc ab eo negotium datum fuerit, tradi assignarique jubeas, ad ea, quæ ipse voluerit loca deducendos : in quo eam diligentiam et cautionem adhibere te volumus, quam a circumspectione tua, in re, quæ nobis summopere cordi est, expectamus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris,

¹ Epist. lib. 3. Epist. 37.

¹ Sacchin. ut supra.

die XXI Julii MDLXIX, Pontif. nostr. ann. quarto ».

188. *Avenione jubentur excedere Judæi.* — Quod vero Pius, quam superius enuntiavimus, contra Judæos Constitutionem, qua e tota Ecclesiastica ditione ejiciebantur, in Avenionensi pariter legatione, executioni mandari hoc fere tempore imperasset: haud dubio id pariter Avenionensibus turbis causam dedisse, non immerito censemus. Plures siquidem fuisse, qui ex ea provincia deturbatos Judæos ipsos esse ægerime ferrent; ex eo potissimum intelligi potest, quod Felicianum Avenionensem archiepiscopum eo perduxerunt, ut pro illis apud Pontificem intercederet; ut, vel excedere minime cogerentur, vel ad secedendum inducias concederet. Quam moleste autem Pius tulerit, archiepiscopum ipsum hujusmodi secum perfunctum officio, ex sequenti ad illum dato responso, percipi potest:

« Venerabili fratri, Feliciano, archiepiscopo Avenionensi ¹.

PIUS PP. V.

« Venerabilis etc. Litteras tuas, sexta die Aprilis scriptas, cum admiratione non parva, nec sine magno animi dolore legimus, in quibus, quasi Judæorum istius civitatis comitatusque nostri Venaisini procurator, eorum causam, contra litteras Apostolicas, nuper a nobis adversus eos editas, sic defendis, ut neque, quid te officiumque tuum deceat satis perspexisse, neque, quod gravius est, veritati consentanea scripsisse videaris. Pudet nos, tuo nomine, te Omnipotentis Dei antistitem, tantæ archiepiscopum Ecclesiæ, de Judæorum in fidem nostram meritis tam diligenter subtiliterque in tuis ad nos litteris scripsisse, magnique a nobis beneficii loco haberi voluisse, quod Judæi in isto hæreticorum bello, pecuniam contulerint, ad militum custodiarumque necessarios sumptus sustinendos; quod, et Christiani ipsi fecerunt, et communiter omnes facere libenter solent, quorum vita et facultates, dubiis bellorum temporibus, ejusmodi militaribus presidiiis custodiisque in tuto collocantur. Decet enim eos, qui beneficium aliquod commodumque percipiunt, ejus quoque beneficii commodique sumptus non recusare. Nam quod scribis civitatem istam, comitatumque nostrum Venaisinum, magna in perturbatione angustiisque ab ejusmodi Bulla a nobis edita versari, valde hoc abhorret aversumque est ab his litteris, quas ven. frater episcopus Carpentoratensis, ad dilectum Filium Michaellem Alexandrinum, nostrum secundum carnem nepotem dedit, in quibus aperte testificatur, hominibus comitatus Venaisini, nihil multis abhinc annis gratis atque acceptius hoc ipso nostrarum litterarum decreto accidisse. Quod

autem addis prædictos Judæos in ista civitate comitatuque nostro retentos, fidei nostræ testimonium futuros; hoc, neque ubique in ditione Ecclesiæ necessarium est, et ad fidei nostræ veritatem testificandam, testimonium hoc valde est exiguum, satique est, si eos Romæ Anconæque propter eas causas, quæ in Bulla nostra expositæ sunt, manere patiamur. Quod enim ad reliqua pertinet, scimus, perversissimam hanc gentem, omnium fere hæresum causam seminariumque semper fuisse. De prorogando autem litterarum nostrarum tempore, scribimus dilecto filio Georgio, cardinali Armeniaco, pro nobis et Sede Apostolica in ista nostra civitate commorante, sententiam nostram, a quo eam intelligere poteris, fraternitatem tuam, pro nostra in ea benevolentia monemus, ut diligentius posthac attentiusque consideret, quid persona quam sustinet dignum sit; quid pastorali quo fungitur officio conveniat; quæque ad nos scribit, veriora exploratioque in posterum scribat; omnique suo studio, cura atque industria operam det, ut quæ a nobis, Omnipotentis Dei gloriæ, istorumque populorum utilitatis causa statuta sunt; ea, quantum in se est, ad effectum, ut decet, adducantur. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III Maii MDLXIX, Pontific. nostr. ann. quarto ».

189. At, licet ex hac Epistola valde contra Felicianum archiepiscopum succensus visus sit Pius; tamen ejusdem virtutem ac meritum magni fecisse, eidem, ut diximus, haud multo post, totius Avenionensis legationis visitandæ delatum munus, facile declaravit.

190. Cardinalis vero Armeniacus, cui magis Pii ingenium exploratum erat, licet forte aliquid et ipse habuerit, quod contra præfatæ Bullæ publicationem objiceret, tamen illud vix proferre ausus est; unde ex sibi præscripto statim illam vulgari jussit: quo quidem nomine, ab eodem Pio commendari meruit, longiori etiam, ejus precibus, ab ipso Pontifice Apostolicarum litterarum executioni spatium concesso: ut ex sequenti ad ipsum Armeniacum scripta Epistola ¹ patet:

« Dilecto filio, Georgio, cardinali Armeniaco.

PIUS PAPA V.

« Dilecte etc. Litteras circumspectionis tuæ, XIII Aprilis die datas, accepimus, quibus te litteras Apostolicas, sub plumbo, adversus Judæos editas, Judæis istius civitatis publicasse significas, et simul illius exequendæ difficultates adjungis eas, quas dilecti filii consules istius civitatis ad te detulerunt; quorum etiam Judæorumque simul supplicationem, tibi super ea re oblatam, ad nos misisti. Studium tuum ac ce-

¹ Ex Vatican. Regest.

¹ Ex Vatican.

leritatem in publicandis litteris, magnopere in Domino commendamus, qua in re fecisti id, quod et persona, quam istic pro nobis et Sede Apostolica geris, dignum fuit, quodque æquum erat, a tua eximia erga nos et Sanctamque hanc Sedem reverentia nos expectare. De longiori autem temporis spatio, Judæis, ad obtemperandum prædictis litteris nostris, ob eas, quas scripsisti, causas præfinito; nos, et istius nostræ civitatis consulum precibus adducti, tuæ simul auctoritate impulsæ, tempus ultimum ad xv usque mensis Augusti proxime venturi diem prorogamus; quo elapso, quicumque Judæi, vel ad horam in ista civitate comitatuque Venaesino permanserint, eos omnes, sine ulla veniæ spe, Ecclesiæ Romanæ mæcipia fieri, atque in perpetuam asserti servitutem volumus. Quæ vero, de tota ipsa re litterarum nostrarum decreto, in extrema tua Epistola addidisti; hæc in optimam partem, quemadmodum a nobis petis, accipiunt, eaque, sicut ais, ab optimo zelo profecta esse pro comperto habemus. Sed tamen nobis, qui licet meritis impares, dispensatione tamen Omnipotentis Dei Ecclesiæ suæ præsumus, turpe admodum atque indecorum semper visum est, si in hac re minor in nobis, quam in duobus totius orbis Christiani maximis regibus, pietas inveniretur; quorum neuter Judæos in tanta suæ dititionis latitudine habitare et permanere voluit; quorum exemplum utinam cæteri minores principes, in gente, Christo nominique Christiano inimicissima, e suæ dititionis locis ejicienda, aut antea secuti essent, aut aliquando sequantur; melius enim cum Republica Christiana, et antea actum esset, et in posterum age-retur. Nam, quod ais, videri tibi eam gentem in ista civitate comitatuque Venaesino, aliisque locis, istius legationis curæ commissis, retinendam esse, ad indicium pœnæ, quam Deus Omnipotens, pro Redemptoris nostri morte, ipsam affecerit; nihil nos ea res movere debet; non enim in omnibus Ecclesiæ subjectis locis hoc fieri necesse est; sed si aliqui Judæorum, ad hoc Omnipotentis Dei contra eam gentem judicium testificandum, tolerandi fuerunt (quod neque nos negamus, et fidei nostræ utile esse existimamus) hi, qui Romæ sunt, idcirco ex omnibus potissimum tolerandi fuerunt, et quoniam in nostro conspectu positi sunt, facilius pœnarum metu in officio contineri possunt. Tolerantiæ igitur Judæorum satis consultum est, quoniam duobus in locis Ecclesiæ subjectis, Romæ Anconæque tolerantur: cæteris in locis, neque necesse neque utile est, propter eas causas, quæ in Bulla expositæ sunt. Reliquis de rebus, circumspeditionem tuam bono esse animo, ac confidere volumus Deum Omnipotentem his aliisque nostris consiliis, quæ ad ejus gloriam, populorumque istorum utilitatem diriguntur, bonum ac facilem exitum daturum esse, pro

sua misericordia. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV Maii MDLXIX, Pontific. nostr. anno quarto ».

Sic Epistolam conclusisse Plurim credimus, quod, in his aggrediendis, Armeniacum deprehendisset de eorum exitu metuentem; quod juxta humanas rationes, nec ista temporis, nec temporibus ista satis congruere existimaret. Verum Pontifex, etsi nil temere agendum censeret, juxta tamen Sapientis¹ divinum monitum: *Qui observat ventum non seminat*, in Domino confidens, spernendas humanæ prudentiæ exogitatas dumtaxat persæpe hujusmodi species duxit; utpote quæ haud raro a peragendis his, quæ ad Dei gloriam animarumque salutem adorienda sunt deterreat; certumque bonum, ob incerta tantumque suspicata mala, ut improvide pretermittatur, efficiant. Quapropter, in altero etiam ad Armeniacum ipsam Brevi, rem magis urgens, inter alia scribit²:

« Quod autem a nonnullis significatum est nobis, magnam pecuniæ summam communitati Judæorum a multis istic civibus multo datam esse, quibus Judæi septem pro centenariis persolvunt; id cujusmodi sit, circumspectio tua, pro suo divini honoris zelo, considerare atque investigare conetur. Videtur enim nobis, totum hoc negotium fraudis usurarumque non carere suspitione. Proinde, ne quæ hoc modo Christiani cum Judæis contraxerunt, servari Judæis debent; et, si quid, contra quam debuit, a Christianis factum est, vindicari debet. Illud præterea tibi mandamus, ut si qui sunt Judæorum, qui Christianis medeantur, hoc enim nobis significatum est, eos nullo modo Christianis mederi permittas, eosque, qui hoc fecerint, meritis pœnis afficias. Præterea volumus, te, qui tibi videbitur, idoneis hominibus negotium dare, ut de improvise Judæorum libris diligenter perquisitis, si quas in eis, contra Redemptorem nostrum, beatissimamque Virginem Matrem ejus, blasphemias invenerint, ad te deferant, atque eos libros illico comburendos; ipsos vero Judæos pœnis eis plectendos cures, quæ a felic. record. Julio III prædecessore nostro, contra eos statutæ sunt, per litteras suas in forma Brevis, quarum exemplum ad te mittimus authenticum ».

191. Epistolis demum respondens consulum Avenionensium, super eadem re ad se missis, sic Pius scribit³:

« Dilectis filiis, consilibus civitatis nostræ Avenionensis.

PIUS PAPA V.

« Dilecti etc. Quod a nobis, per litteras vestras, xv Aprilis datas, suppliciter petiistis, ut

¹ Ecclesiast. II. n. 4. — ² Ex Archiv. Vatican. ut supra. — ³ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

Judæis istius civitatis, ad obtemperandum litteris Apostolicis, a nobis, adversus eos editis, longioris spatium temporis concedere vellemus, intra quod, et creditoribus suis solvere, et a debitoribus suis exigere possent id, quod sibi debetur; id, et æquitatis ipsius causa, et vestris precibus, quibus, quantum cum Domino possumus, satisfacere semper cupimus, adducti, libenter fecimus, tempusque ipsum, ad xv usque diem Augusti proxime venturi prorogavimus. Qua de re, dilecto nobis in Christo filio, Georgio cardinali Armeniaco, pro nobis et Sede Apostolica in ista civitate commoranti, scribimus. Nunc vestrum est diligenter curare, ut, quoniam ipsi desiderio vestro de dilatione satisfacimus, vos nobis de obedientia obsequioque satisfaciatis, diligentissimeque operam detis, ut facta quamprimum ultro citroque æris alieni dissolutione, nulla amplius litterarum nostrarum Apostolicarum executioni nova mora per vos injiciatur. Quas quidem nos, elapso prædicti temporis spatio, sine ulla tergiversatione, novæque dilationis spe, inviolatas servari volumus: quemadmodum pluribus verbis, eidem dilecto filio cardinali Armeniaco scribimus, a quo cætera intelligere poteritis. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub anno Piscatoris, die iii Maii MDCXIX, Pontificalus nostri anno quarto ».

Hoc firmo animi proposito, cuncta sibi optimisque suis consiliis obviantia Pius vicit: et licet ista quoque, ut innumis, commotæ deinde tempestatis occasione non præbuisse non immerito censendum sit; tamen nullo prope negotio, ut retulimus, ipsa deinde sedata, Judæorum pernicie se Avenionenses liberasse, in Domino gloriari potuit.

192. *Valentina in Galliis Ecclesia periclitans litteris Pii in fide firmatur.* — Nec in Avenionensi ditione tantum, quæ religionis ac pietatis erant, monitis ac hortationibus curavit Pius; ita ut, dum armis Dei causam in reliquo Galliarum regno ageret, spiritualium pæne oblitus videretur: quinimo (ut ipse ad cardinalem Corbonium scripsit ¹) regno, cui terrenis temporalibusque armis presidium, pro viribus attulit eidem spiritualibus quoque remediis minime adesse prætermisit; quippe qui hæreses, et iræ divinæ flagella, a nostris ac præcipue Ecclesiasticorum peccatis exoriri perspicere intellexerit; ideoque his tollendis, utpote malorum omnium radicem, sedulo incumbens, præ aliis, ad capitulum et canonicos Valentiniæ Ecclesiæ ista scripsisse reperimus, utpote illos, quibus, cum non quidem pastor, ut vidimus, sed magis fur et latro indigne præseset, Apostolica sua sollicitudine magis egere deprehendit.

« Dilectis filiis, capitulo et canonicis Ecclesiæ Valentiniæ in Gallia ².

« Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. Reipublicæ Christianæ miserias multiplicesque calamitates, tot gravissimarum hæresum schismata, tot populorum adversus proprios principes bella, fames, pestilentias, et cætera divinæ iræ flagella, ubique in populum Christianum intentata cernentes, in eam mentem sententiamque venire cogimur, ut hæc omnia mala, non solum propter populi Christiani, sed multo etiam magis propter clericorum et Ecclesiasticorum hominum peccata, nobis merito evenire existimemus. Scriptum est enim: *Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint; si justitias meas profanaverint, et mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, et in verberibus peccata eorum.* Atque utinam, quemadmodum ubique, peccatis crebrescentibus et abundante malitia, perspicuum est, legem Domini derelictam, ejus mandata minime fuisse custodita; sic iidem illi, qui peccaverunt aliquando, respiscant, seque toto corde ad Deum convertant, peccatorumque pœnitentiam agant; ne, quod gravissimum est, in flagellis positi, flagellis digna committere perseverent. Nos certe, qui ad hoc Apostolicæ servitutis onus, quamvis imparibus viribus, subeundum, a Deo vocati sumus, nullum, pro pastoralis nostra sollicitudine prætermittere officium debemus, quo clericos, qui ubique Ecclesiarum sunt, ad veterem vivendi regulam, pristinamque morum sanctitatem revocare, divinarumque rerum studio atque amore inflammare posse videatur. Quia vero, inter cætera Christianæ pietatis incitamento, sacramentorum frequentiam, quæ quibuscumque Ecclesiasticis hominibus, a sacro generali Tridentino Concilio tantopere commendatur, parum adhuc quidem apud istam Ecclesiam usitatam esse accepimus; idcirco ejusdem sacri Tridentini Concilii decretis inhærentes, simplices clericos atque inferiorum Ordinum gradibus initiatos, ut singulis mensibus, semel saltem confessori, ab eorum ordinario approbato, peccata sua confiteantur, et communionem laicalem, ea, qua tantum decet sacramentum, reverentia suscipiant. Quod idem, ut bis singulis mensibus faciant, diaconos et subdiaconos hortandos, paternisque nostris vocibus invitandos esse existimavimus. Presbyteros autem moneamus, et per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi vehementer in Domino obtestamur, ut, qui animarum curæ præpositi non sunt (hi namque frequentur, ut suo muneri satisfaciant celebrare debent), saltem semel in hebdomada, salutare Missæ sacrificium faciant. Meminerint autem, qui in missarum solemnibus celebrandis negligentes sunt, et fideles vivos, et in Christo defunctos, qui nondum plene purgati sunt, salutaribus ab se suffragiis fraudari. Nec vero quisquam, qui ad presbyteratus Ordinem per-

¹ Ut supra Epist. 18. — ² Epist. lib. 3. Epist. 42.

venerit, minus frequenter celebrandi culpam, vanis et plerumque commentitiis impedimentis prætexat; sed vivorum mortuorumque animarum saluti inserviat, omnia quæ obstant sedulo removere conetur. Qui vero canonicatus, præbendas, sive alias Ecclesiasticas obtinent dignitates, hos palerne monitis volumus, ut suæ vocationis memores, sancte, pie ac religiose vivere studeant; et quo frequentius peccata sua confiteri, et sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum sumere assueverint, eo se Omnipotenti Deo acceptius famulatos esse sciant. Non enim fructuosissimarum possessionum redditus, ad licentiam voluptatumque illecebras sectandas, acceperunt; sed, ut pro peccatis populorum, humiles assiduasque preces ad Deum et Redemptorem nostrum funderent, et pro temporalibus spiritualia bona tribuerent. Quid enim aliud, qui Ecclesiasticis bonis fruitur, quam populorum peccata manducati? Universe autem omnes, in quocumque Ecclesiastico Ordine constitutos, admonemus et hortamur, et per Omnipotentem Deum obtestamur, ut meminerint, sibi potissimum onus hoc esse impositum, ut sacrificiis, jejuniis bonisque operibus, Deum, populorum peccatis merito irascentem, placabilem efficiant; sacerdotaliumque virtutum, ardentibus in manibus lucernas habentes, laicis, ad bene, pie justeque vivendum lumen præferant. Hoc enim facientes, et ipsi suo officio fungentes, et ejus rei nomine a nobis non medioerem gratiam inibunt. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xiv Octobris MDCXIX, Pontif. nostr. ann. iv ».

193. *Virdunensis cleri pietas a Pontifice impense laudatur.* — Ut vero Ecclesiasticam pietatem ac disciplinam, ubi collapsa esset, Pius sic revocare, fidemque firmare contendit: ita pariter, pie viventium Ecclesiasticorum commendando virtutem, effecit ut cresceret, et ex consecuta ab eo laude, recte appetendi in laudatis voluntas duplicaretur; licet ipse, (quod perfectorum est) sciret, laudem, dum suppetebat, fugere, quod eam didicisset, cum defuerat, non ambelare. Utrumque patet ex hac Epistola, ad Verduensem ¹ episcopum scripta.

« Venerabili fratri nostro, episcopo Verdu-nensi.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Opinionem, quam de tua erga Deum Omnipotentem, singulari pietate, et in grege fidei tuæ credito custodiendo, vigilantia non sine causa, jam pridem animo conceptam habemus; Epistola tua, kal. Julii proxime ad nos scripta comprobavit, in qua mentis tuæ altitudinem, humilitas sermonis declarat. Quod enim te nullius nominis et meriti hominem appellas; in eo illud sapientis verum esse ostendis (quod B. Gregorius prædecessor noster, ad episcopum non tui dissimilem cum scribe-

rel, ipse quoque usurpavit), justum, videlicet, priorem esse sui accusatorem. Quod vero Pontificatum nostrum laudatissimum atque integerrimum appellas; id ex eodem humilitatis tuæ fonte manavit. Nos enim, de illorum numero esse non recusamus, qui, dum allevarentur, dejectos esse se cognoverunt; sed tamen perturbatissimis Reipublicæ Christianæ temporibus, in hac, cui indigni præsidemus, omnium Ecclesiarum principe ac magistra Ecclesia gubernanda, quantulamcumque fortitudinem nostram, ad Deum custodire conamur, tuisque, et cæterorum venerabilium fratrum episcoporum nostrorum, tui præsertim similium, orationibus adjuvari cupimus. Confirmationem vero ejus collationis, qua Ecclesiæ tuæ præbendam, dilecto filio magistro Joanni, doctori et theologo Parisiensi, te contulisse scribis, quam a nobis postulas; non solum libenter concedimus, sed etiam in ea re judicium tuum vehementer probamus. Scimus enim, bono viro non nisi bonum placere potuisse; confirmaturi semper quidquid a Fraternitate tua factum erit, quam nihil non juste et sancte facturam semper esse pro comperto habemus. Omnipotens Deus te, charissime, pro nobis orantem custodiat. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die v Julii MDCXIX, Pontific. nostr. anno iv ».

194. *Dux Usensis cum Ecclesia reconciliatur.*

— Inter cæteras etiam Pii Epistolas, hoc anno scriptas, eam reperimus, quam ad Cajacensem episcopum, suum et Apostolicæ Sedis apud Galliarum regem nuntium, dedit: quæ absolute, ac in Ecclesiæ sinum recipiendi Usensem duces, facultatem tribuit. Hujusmodi ipsa est:

« Venerabili fratri, Fabio, episcopo Cajacensi, apud Christianissimum Francorum regem, nostro et Apostolicæ Sedis nuntio.

PIUS PAPA V.

« Ven. etc. Eorum, quos ab hæretica pravitate revocatos, Redemptor noster ad se convertere, pro sua misericordia dignatur, animarum saluti consulere volentes, fraternitati tuæ, præsentium auctoritate potestatem damus ac concedimus, ut Usensem duces, errorum suorum pœnitentem, absolutionemque humiliter petentem, et complices fideliter et sincere revelare volentem, facta prius ab eo private et sincere, coram testibus et notario, omnium et quarumcumque, quibus infectus fuit, hæresum abjuratio; datoque jurejurando, se non esse amplius talia commissurum, nec committentes auxiliis fovere aut consilio adjuturum: forma et more Ecclesiæ consueto, a criminibus hæresis et omnibus censuris ac pœnis, in quas ob id crimen inciderit, injuncta ei salutari pœnitentia, absolvere, et unitati fidelium ac Sacramentis Ecclesiæ restituere possis. Datum Romæ, apud S. Pe-

trum, sub annulo Piscatoris, die VIII Junii MDLXIX, Pontific. nostr. ann. quarto ».

195. *Pontifex promovere conatur matrimonium inter Carolum Galliarum regem et filiam imperatoris, obstantibus licet principibus hæreticis.* — Sed inter cætera beneficia, quibus Galliarum regnum, hoc anno Pontifex prosequi sluduit, illud certe hand minimum fuit, quod tandem conjugium, inter Maximilianum Secundi minorem natu filiam, ac Carolum Galliarum regem iniri curaverit; de quo nempe conjugio, ad regem ¹ ipsum hæc scripsit : « Dispensationem autem Apostolicam, quam ad minorem natu filiam charissimi in Christo filii Maximiliani Romani imperatoris electi, in matrimonium ducendam sibi necessariam, alteris litteris, secunda die Octobris datis, majestas tua a nobis postulavit; de qua etiam idem suus orator, diligentissime suo nomine nobiscum egit; majestati tuæ libenter admodum concessimus, talem inter duos longe nobilissimos potentissimosque orbis Christiani principes affinitatem, Republicæ Christianæ tranquillitati, hæresibusque extirpandis, utilissimam fore putantes. Deum autem Omnipotentem oramus, ut misericorditer nobiscum agens, ea, ex eo matrimonio, ad populum Christianum utilitates pervenire velit, quas nos, in ipsius concessione dispensationis potissimum spectavimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die VI Novembris MDLXIX, Pontificat. nostr. ann. IV ».

196. A præterito anno Pius de Caroli matrimonio cogitaverat, ut nova hæc affinitate conjunctus Maximiliano Carolus idem, validior is in hæreticos ac rebelles suos eo insurgere posset, quo Maximilianum, hæc de causa, Germanica eis subsidia prohibitorum sperasset. Cum autem adhuc viveret Isabella, Philippi Secundi Catholici regis uxor, Annam ipsius Maximiliani natu majorem filiam, Carolo eidem in uxorem tradi curaverat; quæ de re ipse Philippus, in Epistola, propria manu exarata, quæ apud nos extat, ad Pontificem ista rescripsisse reperimus ² : « Apostolicus Sanctitatis vestræ nuntius, suo nomine mecum egit de his, quæ serenissimus Galliarum rex, ac illius regina parens, a Sanctitate vestra petierunt, ut nempe nuptias iniri curarem, infer regem ipsum, ac filiam imperatoris fratris mei; de quo etiam conjugio, suas ipsi quoque ad me Epistolas dederunt; ac vicissim ego respondi eis, in id me omnem operam meam collaturum. Scribo idcirco ad imperatorem, ut illius animum explorem, intelligamque ab eo, qua ratione negotium id curari velit; cujus accepto responso, ac voluntate perspecta, statim illam Sanctitati vestræ significabo, moneboque de his, quæ a Sanctitate

vestra agenda erunt, si opus fuerit. Hujusmodi igitur imperatoris litteræ expectandæ erunt, quod ex his ratio pendeat, qua rite hoc negotium tractetur : uti fusius Apostolico Sanctitatis vestræ nuntio, apud me sententi, dixi, a quo etiam Sanctitas tua id intelliget. Te sanctissimum Patrem Dominum noster diu incolumem servet, ut necesse est, et ego desidero. Matrifi, die nona Maii MDLXIX ».

197. At, cum postmodum, ut diximus, Isabella, Philippi Hispaniarum regis uxor, e vita excessisset; ex ea rerum varietate factum est, ut quæ tradenda erat Carolo, major natu Maximiliani filia, Philippo traderetur, minorem vero Carolus uxorem duceret. Carolum autem ac Catharinam ipsius matrem, audita Philippi Hispaniarum regis viduitate, summo conatu apud Pontificem egisse, ut Philippus idem, Margaritam ipsius Caroli sororem duceret; comprobant Epistolæ, super hoc ab ipso Pio, ad ipsos Catharinam et Carolum, sub die XXIX Augusti hujus anni scriptæ, quibus se eo officio apud Philippum perfuncturum pollicetur. Nihilominus, ut diximus, Austriacam potius Maximiliani majorem filiam, quam Galliarum regis sororem Philippum ducendam duxit, minori eidem Galliarum regi tradita. Nuptias hujusmodi, quo majori studio, curante Pontifice, hand minori conatu impedire conitentibus hæreticis, eas sibi, (inquit Hadrianus ¹) infaustas futuras mententibus, ac ægerime ferentibus, Austriacam ac Gallicam domum, novo hoc inter se necessitudinis vinculo copulari. Omnem igitur movere lapidem, Germani præsertim principes, ut Galliarum regem ab eo consilio revocarent, ingentibus illum pollicitationibus aggressi; nam junctis ei viribus, Belgium omne se illi subdituros promiserunt; imo in Italiam, ad occupandum Mediolanum, ac quocumque opus fuisset, arma illaturos. At hujusmodi verba, utpote vanissima, ac hominum, quibus nulla propemodum fides adhibenda esset, rejecta, nuptiæque initæ; licet bellorum causa, quibus hoc tempore Galliam totam conflagrasset vidimus, in sequentem fuerint annum dilata: quo etiam dicendum erit, de legatione, ab iisdem Germanis principibus ad ipsum Galliarum regem instituta, ex qua eos hujusmodi matrimonium, ipso Thuano teste, iniquissime tulisse deprehendens.

198. *Joanni de Auria Pius suadet dimittere Gallos captivos.* — Sub hujus anni finem, præclarum erga Gallos exhibuit Pius etiam suæ charitatis studium, dum eorum aliquot intelligens, contra jus et fas, a Joanne de Auria, captivos suis in triremibus retineri : paternis primum hortationibus, deinde minis, ut eos liberos abire sineret, sequenti Epistola monuit :

¹ Epist. lib. 3. Epist. 48. — ² Ex secret. card. Alexand.

¹ Hadrian. lib. pag. 2486.

« Dilecto filio, nobili viro, Joanni de Auria, militi Genuensi.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Delatum est ad nos, et quidem magno animi nostri dolore, te jam inde ab eo tempore, quo inter Francorum et Hispaniarum reges pax composita est, novem et viginti homines et Gallia captivos, quorum ad te nomina, his nostris inclusa litteris, mittimus, decimum et quintum jam annum, in tuis tremeribus, per vim miserabiliter detentos, idque te adversus fœdus inter eosdem reges initum facere, quo apertissime cautum est, ut omnes ab utraque parte captivi restituerentur. Quod si verum est, quoniam omni divino humanoque juri valde repugnat, nimisque acerbum et indignum est, homines Christianos, pretiosissimo Domini nostri sanguine redemptos, nullis maleficiis damnatos, sed solo belli casu captivos, per tot annos, nulla libertatis spe, durissimis catenis vinctos, miserabilem in modum, dies noctesque vexari; ideo te paterne monemus et in Domino hortamur, atque etiam pro officii nostri jure tibi mandamus, ut eos, quos, contra prædictum fœdus, sine gravissimo perjurii violentiæque crimine, captivos delinere non potes; saltem nunc, post tantos perpressos labores, quemadmodum æquum est, omnes missos facias liberosque domum suam abire sinas. Quod si feceris, præterquamquod nobis, et huic sancti Sedi Apostolicæ, eam, quam debes, reverentiam obedientiamque, in re præsertim tam justa, præstabis; ipse quoque melius animæ tuæ saluti consulens, quod cum omnibus quidem Christiani fidelibus, tum in primis tibi faciendum sit, qui vitam, et maris casibus bellicisque periculis expositam habes, ut vel ob hanc unam causam, unus omnium, maxime ab omni graviore culpa cavere debeas. Sin minus, cogemur, officio ab Omnipotenti Deo nobis commisso ita postulante, ad Ecclesiasticas censuras tecum devenire; quod, ne nobis invitis necesse sit facere, potes tu, paternis monitis nostris atque hortationibus obtemperando, providere; quod te pro tua prudentia facturum esse speramus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die ix Decembris MDLXIX, Pontific. nostr. ann. IV ».

199. *In Belgio Albani ducis sævitia, occasio rebellionis.* — In Belgio autem, in quo hæreticorum conatibus fortiter strenueque obstitisse, anno elapso, Albanum vidimus; hoc tempore iis, quas composuerat turbas, ipse novum formitem ministravit, quæ religionem deinde ac Rempublicam in summum discrimen adduxere; nam rei pecuniariæ expediendæ incumbens, decimam omnium mobilium, quæ distraherentur, immobilium vero vigesimam; omnium vero centesimam, semel a Belgis penderi constituit, quo regio ærario, multis expensis exhausto, con-

suleretur. Permolestum id Belgis accidit, cum præsertim ex ipsa cervisia et pane initio etiam decima exigeretur; quæ deinde, reclamante populo, remissa est. Quo novis his vectigalibus Belgas tunc gravare, ut belli sumptus, vel jam factos lumere, vel quos faciendos prævideret, sustinere posset, Albanus necessarium duxit: permoesta impositio illa, inopportuna, ac pæne importabilis, eo magis Belgis visa est, quod Albanus ipse, publico edicto prid. kal. Aprilis, commercia cum Anglis prohibuisset, ob navem, quam diximus, pecunia onustam, ab Elizabetha interceptam, ob quam altercatum est usque ad Septembrem anni septuagesimi quarti; atque interea, dum cum Anglis, neque omnino bellum esset, neque pax, sed quid medium, ultro citroque, nunc ex Anglia in Hispaniam, nunc ex Hispania in Angliam, hujus controversiæ causa commeanlibus legalis; mercatoribus illatum damnum, quod etiam in populos derivavit.

200. Ubi igitur imponendorum onerum Albani voluntas innotuit, ea suscipere plerique Belgarum ordines detrectarunt; sed tandem, nonnullis acquiescentibus, Ultrajectini tamen in proposito manserunt, licet Albano in sexennium centum florenorum millia offerrent. Verum, cum eorum oblationem Albanum non probare cognoscerent, exasperati, ac pæne in quamdam desperationem acti, se supra id nihil posse coram professi sunt. Seorsim etiam quinque collegiorum Ultrajectenses canonici repræsentarunt, sua bona, sine Summi Pontificis placito, sub laicorum commercio minime posse comprehendere, ideoque illius sententiam prius audiendam; alioqui in Bulla cœnæ Domini, tam eos, qui tributa permittunt, quam qui exigunt, sacrorum usu prohiberi.

201. Hanc contra se Bullæ Apostolicæ allegationem, in primis Albanum indignissime tulit, ut Hæreus narrat; quare, ut Ultrajectinos cogeret, utpote, quod eorum exemplo alii quoque jam recusarent, die vigesima prima Augusti, legionem illic Longobardicam misit, in qua decem Hispanorum signa, quibus promiscue nullo ordine, nullius respectu, cives hospitium sua darent. Ab hoc excusatus nemo (si Meursio¹ sit fides) præter episcopum Martiniani decanum, et Wyckerstosium ad D. Mariam canonicum, cujus frater regi a cubiculo erat. Eorum effrænis insolentia (ut idem refert aliique confirmant) eo gravior civibus incubuit, quia, si non mandatum Albani, certe destinatio fuerat: idque illi minime ambiguum, impunitas flagitiorum magis prodidit; sed immite consilium patientia fregerunt; et extremo Novembris, cum præsidii angustias miles ipse quereretur, signa duo Amersfortiam translata sunt.

202. Neque hæc satis Albani sævitie visa

¹ In Vit. Aurang. lib. 3. pag. 164.

sunt; nam, ut narrat Haræus, Ultrajectinos, quorum pertinaciam provinciis aliis pravo exemplo esse dicebat, cum insolenti eo valde Hispanorum militum præsidio, illorum assensum extorquere frustra sperasset; die vigesima nona Decembris, ad causam dicendam coram senatu turbarum adesse jussit. Illi, ut iratum delinirent, ad centum illa millia, quæ obtulerant, alia quinquaginta millia adjecerunt. At ille neque sic placatus, sine exceptione parere jussos, etiam anteaclorum veniam supplices postulare voluit, ac suæ gratiæ arbitrium expectare; aliter non jus remissurum, aut præsidia deducturum. Quod ubi intellectum obstinata patientiæ Ultrajectini jure porro experiri, nec integra conscientiam infamia tantam, in se suosque admittere statuerunt. At de his anno sequenti. In aliis provinciis, vectigalia pariter imperata, quæ uti populorum animos exacerbarunt, ita Orangio, nova ad propositum suum tenendum consilia agitanti, peropportuna fuere; prioris autem fortunæ damna correcturus, cunctandum aliquantisper existimavit, interimque classem instrui jussit, cui Olbanum præfecit, qui dum mare (inquit idem Haræus) passim infestat, tempestate in Flevum actus, advenientes e Dania ac Suetia prius XVI naves, mox alias quadraginta aggressus expugnavit, mercibusque direptis, terrore ingeniti commercia concussit.

203. Præter hujusmodi exactionis consilium, quos si nunquam (inquit ab Issell ¹) Albanus in animum induxisset, forle floravisset Belgium, non jacuisset conculcata religio, non plorasset tot viduæ et orphani, non luxissent amissis tot opibus incolæ, non errasset per orbem tot exiles: Thuanus ac Meursius alia quoque severitatis Albani facinora (ut ipsis videntur) referunt, quæ Belgarum animos ab Hispanico dominio abalienarunt; nam: « Episcopos, (Meursius ¹ sunt verba) dato singulis administrandæ dioceseos præscripto, sedibus novis imponere aggressus est, Caroli Brimæi Megensis opera, qui Arembergico in Frisia successerat, curia adjuvante, etsi ordinibus repugnantibus, Canerum Petri Leovardiæ constituit, qui, vel odio populi ingratus, vel impar dignitati, mox ludibrium publicum fuit. Plus molestiæ Joanni Cnivio Groningæ obtigit; sed is prudens modicusque, exerendæ potestatis gratiam sibi conciliavit. Monasteria duo Wittervum et Adæruartum maxime adversa habuit; atque illud quidem mox Pontificis et Albani minis cessit in Ecclesiam cathedralem S. Martini. Istud vero fortius restitit, opulentum admodum neque impense ulli parcum; cumque episcopus luxum monachorum argueret necessario corrigendum, et hoc potissimum telo pugnaret; rogatu ipso- rum Abbatisque Clarocampii, venit, popul-

sandæ injuriæ e Burgundia Morimontius, supremus Ordinis Cisterciensis inspector, vir auctoritatis primariæ, et virtutis, ac doctrinæ clarus, isque, ut præterita corrigeret, amolo abbate Lautzio, Arnoldum Kemningum Muntii ad Armasiam abbatem administrum ordinat, qui defuncto mox successit; inde Ordinibus adjuvantibus, acriter se Cnivio opponens, tandem affecit, ut, assignatis florenorum de annis, contendere porro desisteret. Nec hic desiit cura Albani; et postquam de episcopis gessit, Concilii Tridentini decreta ubique promulgare instituit: ac quanquam interdum objecta difficultas, imminutis alibi provinciæ, urbium aut monasteriorum privilegiis; nemo tamen, metu, ne a majorum religione descivisse videretur, se opponere ausus est etc.». Sic ille, qui his, hujusmodi alia plura addit. At, cum ipse, juxta Propheticum illud, bonum malum, ac malum bonum dicere perspicue agnoscat, totusque in eo sit, ut ad amplificandam Albani sævitiem, quæ etiam pietatis Albani sunt, in argumenta furoris vertat; ideo, etsi non res (nam revera hoc anno, præ aliis, episcopatum administrationem novis episcopis traditam reperimus, ut inferius dicetur) scribendi tamen rationem, utpote suspectam ac adulteratam rejicimus, eo magis, quod abunde etiam suppetit; unde pariter incautum ejus narrationis stylum rite coarguimus, quæ etiam de Thuano dicenda esse monemus.

204. *Mittit Pius ad Albanum ob res præclare gestas pileum et ensei præce sacros.* — Pius autem, ob res ab Albano in proxime peracto bello strenue gestas, pileum enseque decore gemmis ornatos, ac Pontificiis de more precibus consecratos, Dominica tertia proxime præteriti celebrati Dominici Adventus, ad eum mittere statuit; cum ejusmodi insignia Romæ capi manu Pontificis dudum consuevissent. Ea ad Albanum detulit Carolus Nicolajus Neapolitanus, mense Maio hujus anni, ut scribit Haræus ¹. Ille, pro munere accepto gratias actis, etiam publicam lætitiæ, pompis et ludicris spectaculis exhibuit. Verum, sicut collatus ei a Pontifice honos, gloriam ipsius adauxit; sic Albano seipsum glorificasse, erecto sibi in Antuerpiensi arce simulacro, non nisi dedecus attulit. At id, quod præsentī anno factum scribunt Thuanus et Strada, in sequentem rejicit Bentivolius: Issell vero, Campana et Haræus, in septuagesimum primum. Perperam autem Meursius sub sexagesimo octavo id recenset; nam cum illud sibi monumentum conflare curasse Albanum, ex tormentis Ludovico Nassovio in pugna Gemingensi ereptis, tradant scriptores, non intelligitur certe, quo pacto tam cito post simulachrum illud elaborari ac excitari poterit.

¹ Ab Issell. — ² Meur. Vit. Orang. lib. 3. init.

¹ Ebulum dicit Meursius.

203. *Albanus aggreditur imponere episcopos novis sedibus, et inter eos Lindanum Ruremundensem, virum eruditione et pietate conspicuum.* — Carolum autem Austriae archiducem, qui sub anni superioris finem in Hispaniam concesserat, Maximiliani imperatoris fratris sui jussu, cum rege Philippo frustra egisse, ut superbum ac sævum hominem Albanum, e Belgii præfectura amoveret, mitiusque cum rebellibus Belgis ageret; testatur Campana, qui fuse de his disserit. Ad sedandas quoque eorumdem Belgarum turbas, Albanum ipsum episcopos ac præcipuos Catholicorum proceres, cunctis generaliter veniam deprecatos fuisse, qua tuto exules ad propria redire possent, scribit Tarcagnotta; qui addit id in animo se habere Albanum monstrasse, ut revera opere complevisse sequenti anno dicitur: ad quem etiam referenda agnoscuntur plura, quæ ad curandam religionem, præter quem audisti Meursium, plerique scriptores præsentis facta recensent; ut ex Haræo ac aliis facile deprehendi posse existimamus.

At quoad episcopos, certum est, ut innuimus, sedibus novis illos imponere hoc anno aggressum fuisse Albanum; nam, inter eos, Willelmus Lindanus, ut tradit Valerius Andreades, Mireus, et qui illius Vitam conscripsit Arnoldus Havensius, die XI Maii, Ruremundensi Ecclesiæ, cujus gubernationi, ab anno MDLXII electus fuerat, præesse cœpit; septennio nempe post suam ad illam nominationem. Præclarissimi hujus pastoris gesta, tum eruditione, tum veræ Christianæ pietatis merito insignia, summis laudibus, præter præfatum Havensem, alii plures, atque inter eos præcipuos noster cardinalis Baronius prosecutus est. In sublimi autem illius dignitatis fastigio constitutus, religionis suæ ac sapientiæ statim cœpit undequaque radios emittere, quibus creditum sibi populum, novis fulgoribus, depulsis errorum tenebris, irradiaret; nam « Intra triduum (inquit Havensius præfatus) durante adhuc inaugurationis epulo, per diœcesim nuntios misit, suum adventum nuntiantes, et decanos, pastores, reliquosque Ecclesiasticos sæculares et regulares, juxta mandata Pii Pontificis, ad Synodum diœcesanam Ruremundæ, ad XXIV Maii a se indictam, vocantes. Ad eam clerici obsequiosus, admodum rei novitate instigatus, magno numero confluit. Die statuto, Lindanus ad clerum orationem habuit, mandata Pontificis et causam convocationis exposuit, omnes ad strenue faciendum officium suum hortatus est, et alia dixit et fecit tempori et loco opportuna, atque tandem omnium consensu, Tridentinum Concilium promulgavit. Tum diœcesim in archipresbyteratus novem distinxit, electis, pro prima vice, per pastores præsentis, archipresbyteris. Illis et similibus, pro initio bene constitutis, clerum de vita emendanda ac scandalis tollendis, periculo

oneris pastoralis cæterisque sedulo admonitum, ad sua dimisit. Ipse deinceps decreta ejusdem Concilii Tridentini, ubique executioni mandare nitentur, et concubinarios aliosque dicti Concilii decretis paternisque ejus jussis non obsequentes, pœnis, ex canonum præscripto, subiecit.

« Porro hic interim silentio prætereundum non est, inter ducentos fere pastores, quos diœcesis Ruremundensis continebat, tantum sex, vitæ castæ et cœlibis in hac Synodo reperi- tos fuisse. Quam peccandi licentiam, canonicæ visitationis intermissio, et excessuum impunitas pepererat auxeratque; unde nulli dubium erat, quin clerus sua scandalosa vita, magnam occasionem hæresibus exortis dedisset, et populos a cultu divino et fide Catholica plurimum alienasset. Erat enim populus valde hæresi corruptus, et sacrificium missæ, altaribus eversis, passim negligebatur, non minus quam sacramentalis confessio, et Extrema Unctio. Sacerdotes vero contemptui habebantur. De articulis fidei controversis, passim in conviviis, hospitiiis, itineribus, curribus, compitis, scaphis; quovis fere tempore et loco, inter textores, fabros, sutores, cerdones, aliosque proletarios homines, fœminas, anus deliras, sine omni verecundia aut reverentia, acerrime et ad verbera usque summa verborum contentione disputabatur: cum quilibet errores et somnia sua defendere vellet pertinaciter, et patres contra filios, vicini contra vicinos, de religione digladiarentur: ac frequenter in una eademque domo, ternos, quaternos, diversarum sectarum homines cernere liceret. Singuli enim se doctissimos et a Spiritu Sancto illuminatos esse sibi persuadebant, cum sacra Biblia, vel Testamentum Novum, a principio ad finem usque se legisse, identidem jactarent.

« Itaque Lindanus, cum Ruremundam venisset, et animadverteret hunc disputandi furrorem maxime vigere, qui inter tumultus istos Belgicos, una cum hæresi paulatim excreverat; eam ob causam sui officii putavit in primis esse, ut hæresi extirpandæ omnem operam navaret, ac correctioni corruptissimorum cleri morum simul insisteret. Quamobrem, ut solidum sui in Christo ædificii, per suam diœcesim construendi fundamentum faceret; doctrinam fidei Catholicæ, per Concilium Tridentinum definitam, a se Belgica lingua conversam, passim in Ecclesiis parochialibus de suggesto, sub concionibus, populo sæpius et iterato diversis vicibus prælectam et inculcatam publicari jussit, ne dicto populo ignota esset fidei vere Catholicæ regula.

« Insuper, maximis laboribus ac molestiis introduxit, ut ad sacrum Matutinum institueretur concio Catholica, in qua juvenus, famuli ac famulæ, in Catechismo, seu doctrina Chri-

nus sexagesimus nonus habebatur ». Haecenus ille.

206. Neque his dissimilia, alios pariter episcopos in suis diœcesibus curasse censendum est; quæ tamen, utpole sanctissima ac iustissima, non est certe, unde ex iis rite, vel ipsi episcopi, vel dux Albanus coargui possint: cum potius malum omne, ex infecto earum regionum corpore processisse censendum sit; cuius incurabili morbo, ipsa quoque probe adhibita medicamenta, in perniciem sunt versa.

207. *Hosius Maximilianum laudat quod non concesserit Austriacis Augustanam Confessionem.* — In Germania autem, ad Maximilianum, quem saniori consilio a sententia concedendæ Confessionis Augustanæ Austriacis populis revocatum vidimus, Epistolam a cardinali Hosio, hoc anno conscriptam habemus, qua illius Catholicæ religionis zelum commendat; et ex hoc, inquam, præcipue capite, quod Augustanam Confessionem flagitantibus populis non concesserit. Eam conscripsisse siquidem prudentissimum virum censendum, tum quod revera ex eo laudari meruerit Maximilianus, qui malum huiusmodi facere potuerit et non fecerit; (quidquid id fuerit, ob quod in scelus illud non consenserit), tum etiam, ut ad strenue agendum pro Catholica religione laudibus alliceret. Sic enim ad ipsum scripsit:

« Reddidit S. M. vestræ litteras R. D. Guillelmus episcopus Olomienensis, qui magna cum dignitate, vestræ majestatis oratorem agit, apud serenissimum regem meum, simul de singulari gratia illius et clementia erga me multa locutus. Quæ mandata habuerit ad serenissimum regem meum, et quid a me fieri vellet, exposuit. Ego vero, cum ea, qua par fui, reverentia litteras accepissem, et mandata audissem, vehementer sum gavisus dari mihi occasionem, qua possim promptam meam voluntatem obsequendi et inserviendi majestati vestræ declarare; nam hoc sibi certo persuadeat, quod si quem alium in his terris, me quoque servitorem habet, sibi semper addictissimum, ut ad nutum etiam illius convertere mesim paratus. Neque enim propter eam dignitatem solum, quam primam in terris majestas vestra oblinet; verum etiam propter admirabiles virtutes et præclaras dotes, quibus affatim est a Deo cumulata, semper majestatem vestram feci plurimi, nec in ea colenda et observanda priores eniquam concessi. Non mediocrem autem, ad veterem meam erga illam observantiam, cumulum ea res addidit, quod cum proximis superioribus mensibus quidam, quibus recte dici poterat: *Nescitis quid petatis*; magno studio contendissent, ut nescio quid in religionis causa novaretur, et loco Christianæ Confessionis, Augustana quedam induceretur, de qua tamen inter ipsos Confessionistas nondum satis convenit, nec deinceps etiam conveniet

unquam, cum eam pluribus in locis, et in præcipuis Christianæ doctrinæ capitibus mutata, versam, perversam, depravatam et adulteratam esse; quin, et qui suis eam scripsit digitis, Philippum Melanthonem, ab ea discessisse, etiam ipsi Confessionistæ quærentur, ut confusio magis quam Confessio dici mereatur; quod igitur istorum perniciosos conatibus vestra majestas fortiter obstitit, nec eorum libidini quidquam concedendum esse judicavit, vel hac sola de causa, incredibile non est, quanto studio vestræ majestatis exarserim, quamque reverenter et ardentem, vere Christiani, Catholici et orthodoxi imperatoris pectus exosculatus fuerim. Quis est, qui tantam istius animi magnitudinem, tantamque constantiam in avita fide retinenda, cum tot arietibus tam graviter quassaretur, laudare satis queat? Pertinebit autem hoc, non solum ad laudem et gloriam vestræ majestatis sempiternam, verum etiam ad regnorum et dominiorum qua possidet, tranquillitatem conservandam. Nam quod ex fide fidium ludus factus est, quantas ea res, et gloriosissimo imperatori Carolo Quinto patruo, et vere Catholico regi Philippo fratri majestatis vestræ; tum, et Christianissimis Galliarum regibus, ut interim de Scotiæ regina deque cæteris principibus taceam, difficultates attulerit, quantas ea calamitates, eorum regnis importaverit, majestati vestræ testatus est, quam, ut a me scribi sit necesse. Fides, serenissime imperator, non est nisi una; et vere dixit ille sanctus pater, quod quidquid extra unam fidem est, non fides, sed perfidia est; quod rebus etiam ipsis comprobatum esse, suis ipsa majestas vestra cernit oculis. Nunquam igitur majestas vestra faciet, ut perfidiam approbet. Æque autem perfidia est Augustana Confessio, atque quæcumque tandem alia, que cum Christiana Confessione ea, quam una, sancta, Catholica et Apostolica recepit Ecclesia, pugnare videntur. Quorsum res, per hunc fidium ludum perducta sit, non ignorat majestas vestra. Jam et adoranda Trinitas blasphematur, et Christus ante sæcula Deus esse negatur, et in plerisque locis ad Mahometismum et Atheismum inclinatur. Initium tantum separationis opus est Diabolo. Initium harum perfidiarum, atque jam horrendarum blasphemiarum fecit nobis Augustana Confessio, quæ si in ipso statim exordio compressa fuisset, nunquam ad hoc impietatis ventum fuisset. Et vocant eam ipsi Confessionistæ Colthurnum utriusque pedi aptum; et ejus conditores Colthurnifices appellant; vocant pallium quo teguntur omnes hæreses. Ac incidi nuper in librum quemdam, in quo Polonica quedam Ocrea vocatur a Ministris, qui in dominiis Geran, Graiz, et Schenburk conveniunt, et tibi Confessionem suam ediderunt. Quam autem absurdum et ridiculum est, quod homines in Poloniam tradant Ocream? Quomobrem

laudo majestatem vestram, quod ab hac Augustiana Confessione se vehementer abhorrere, toti planum fecerit orbi Christiano, quodque nobis in asserenda fide Catholica, prisceos illos imperatores, Constantinos, Valentinianos, Theodosios, Martianos retulerit. Confirmet hoc Deus, quod operatus est in illa, simul vitam diuturnam et eam incolumentem, atque felices consiliorum progressus, et exitus majestati vestrae largiatur. Quod ego, quamlibet indignus sacerdos, Deum suppliciter precari nunquam intermitto; cujus me gratiæ elementariæ, qua summa possum animi submissione, etiam atque etiam diligenter commendo. Datum xx Junii anno MDCXIX.

Ista Ilosius, qui inde cœpisse laudandi argumentum cognoscitur; unde monendi laudatum sumere possit exordium; ac præterita Maximiliani in religionem studia commendasse; ut a futuris, quæ religioni eidem ab illo principe pertimescebat periculis, cautum esset, atque ipsum ab ejus quodammodo infestatione deterreret.

208. Et revera muneris sui oblitum Maximilianum, plura passim ab hæreticis fieri in religionis odium, ac deteriora eos slruere impune permisisse; et quæ supra sæpe retulimus, et ille declarat, quas in ipsa urbe Vienna sub ejusdem oculis hoc anno impiissimi sectarii insidias moliti sunt; quibus nimirum, simul omnes fere Catholicorum principum oratores, in Cæsarea aula commemorantes perderent, ut narrat Sacchinus¹. Cum enim hi omnes hebdomada majore, sacris interessent, nuntius nempe Apostolicus, episcopus Agriensis, cancellarius Bohemiæ, duo legati Hispaniæ, legatus Poloniæ, legatus Venetæ, Ferrariensis, Florentinus, Genuensis, Mantuanus, cunctos una mactare statuerunt; fecissentque, nisi Deus, suorum custodia suscepta, tantum conjuratis metum injecissent, ut ab ipso, quod meditatam fuerant, scelus, dum illud patrare aggrediuntur, perterriti, nefandum cœptum derelinquere coacti fuissent.

209. *Olmucensis episcopus propter erectum Collegium male mulctatur in sua civitate.* — Quia vero Olmucensem episcopum, Cæsarei apud Poloniæ regem oratoris munere fungentem, Ilosius in sua Epistola memorat, præterea minime videntur, quæ de eodem episcopo, præfatus etiam Sacchinus² refert, cum celebre admodum suæ Societatis Collegium, cui non orthodoxi modo, sed ipsi quoque sectarii liberos suos, ob docendi felicitatem committerent, hoc ipso anno extruxisse, his verbis narrat: « Hic quarto nonas Octobris, in sancti Francisci solemnibus, lecto ab antistite et collegis die, ut præcipuo quodam S. Francisci patrocinio nova familia foreveret, in ædes col-

legium suas migravit. Id cœnobium Fratrum Minorum fuerat, quod ipsis, compensatione accepta volentibus, et confirmante Pontifice, episcopus collegio dedicatum, curaque et impensa sua restauratum, apte nostris moribus conformarat. Illud sine publica piacque ceremonia gesta res est. Episcopus, cum sacrum ob eam rem splendide fecisset, pulcherrimum calicem, totumque sacerdotalem apparatus, quibus novis usus est, itemque alia sacerdotalia indumenta, collegio dono relinquit. Secundum Sacrificium, et aptam tempori Homiliam solemniter ac prece domicilium totum lustravit ac præmunivit. Tum ab oratore et poeta modeste collaudatus est. Benigne convivium ibidem, quod magnifice appararat, in tribus seorsim conclavibus dedit. In primo consules ipsemet, senatoresque et nobiles præcipuos, itemque canonicos excepit; in altero nobilem quidam et aulicorum eputati; in tertio cum sancta hilaritate et gratiarum actione collegæ refecti.

« Sub hæc Oppaviam abiit, suæ diœceseos oppidum, hæretica totum labe corruptum: quod in prisca restituere sacra cupiens, Magium Provinciale, ac Stephanum Rimelium concionatorem e Societate adjuutores operis duxit. Stephanus in primario templo, conciones exorsus, semel atque iterum pacate auditus est. Tertio ad suggestum, ab præfato bona verba episcopo, dum pergit, aditus intercluditur. Accurrit moras amoliturus provincialis: accurrit ipse simul antistes. Populus furore impio percitus, ut qui penitus tartareum rivum hauserat, nihilominus obstare; nec jam tumultuari solum, sed etiam lapidibus concionatorem, provinciale, episcopum petere. Adfuit non obscure fidei suæ propugnatoribus patrocinium Dei, qui custos tanto in discrimine servavit incolomes. Illi autem, ne omni ex parte impiorum furori cederet piorum constantia, in alio ejusdem oppidi templo, quod instituerant, peregerunt. Ubi, inter cætera, ipsa concionatoris spectata firmitudo pectoris, qui cum tantum non obrutus paulo ante lapidibus fuisset, tanquam non ex ea tempestate, sed e religiosæ cellulæ pace advenisset, ita sedate dixit, ac libere animo perinde ac voce constanti ». Hactenus ille.

210. *Salisburgensis præsulis studium, cujus meritis Pontifex ratum habet electionem Davidis in episcopum Ratisponensem.* — Quem aulem anno præterito diximus, profectum Vienna Commendonum legatum, (eum sub finem hujus anni Romam reversum, Gratianus¹ scribit scias, diœceses Passaviensem et Salisburgensem, per quas illi iter fuit, cura ac diligentia, et pari fructu lustrasse. Id vero evenisse certum est, quod in utraque episcopi probi ac religiosi homines præessent, qui Commendonum studio

¹ Sacchin. societ. par. 3. lib. 5. pag. 225. — ² Et supra.

¹ Gratian. c. 1. §. 1. p. 100.

non solum adversati non sunt, sed etiam adiumento fuere. Et Salisburgensis quidem archiepiscopus, etiam Concilium provinciae suae, rem diu ante intermissam, illius instinctu atque hortatu habuit, in quo nulla salubriter decreta et sancita sunt. Extant Iunus Concilii Acta tum manu exarata in amplissima Bibliotheca Barberina. tum typis edita.

211. De hoc autem Concilio ista habet Wiguleus Hund in sua Salisburgensi Metropoli : « Anno MDCXIX, die XV Martii, Synodus Salisburgi congregata est, cui interfuerunt Ernestus Bavariae dux, administrator episcopatus Frisingensis, Urbanus episcopus Pataviensis; item Brixinensis, Gurcensis, Seceviensis et Clivemensis episcopi, praeterea multi alii Ecclesiarum praelati et abbates ».

212. Apud Pontificem vero, eximia haec Ecclesiasticae disciplinae studia Jacobi Salisburgensis archiepiscopi adeo praevulerunt, ut tandem electionem David in episcopum Ratisponensem (quod antea, ut vidimus, detrectaverat) hoc anno, tam Maximiliani Caesaris, quam praecipue ejusdem (inquam) Jacobi archiepiscopi motus precibus, (subest siquidem Salisburgensi metropoli Ratispona), ratam habuerit. Quod quidem ab ipsomet Pio scriptae, sequentes Epistolae testantur ¹ :

« Dilecto filio David, episcopo Ratisponensi electo.

« Dilecte etc. Quod in te episcopo Ratisponensi electo confirmando, superioribus mensibus, nos difficiles admodum et valde voluntati tuae resistentes expertus es, ob nullam aliam causam accidisse scito, nisi quia de moribus vitaeque tuae, multa nobis, secus quam vellemus audita, prohibebant nos electionis tuae confirmationi cum istius Ecclesiae manifesto periculo assentiri. Sed cum postea, ab idoneis auctoribus fides nobis facta esset, magnam te morum mutationem fecisse, certiorque et exploratior spes afferretur, te innocentia integritateque vitae, reliquisque sacerdotalibus virtutibus, quotidie magis profecturum. Cumque, ut tibi confirmationem concederemus, charissimus noster in Christo filius Maximilianus Romanorum imperator electus, summis precibus a nobis postulavisset, eodemque ven. fratris archiepiscopi Salisburgensis, dilectique filii nob. viri Ferdinandi archiducis Austriae, aliorumque Catholicorum principum preces accessissent : Apostolicae hujus Sedis benignitate permoti, et paternae nostrae mansuetudinis non oblitii, confirmationem tibi ulterius negandam non esse existimavimus : cujus quidem confirmationes Apostolicas nostras litteras sub plumbo expeditas accepisse te credimus. Restat nunc, ut quoniam tu in eo, quod obtinere volebas loco, nostram

benignitatem es expertus; studiose operam des, ne quam nobis de te spem commodiorem dedisti, eam apud nos fallas, in primisque, ut juxta decretum sacrosancti Tridentini generalis Concilii, consecrationis munus, intra statutum ab eodem Concilio tempus, suscipias; ut ea, quae episcopatus propria sunt munera, exercere atque exequi possis. Et quoniam is, qui ceteris praest, virtutum suarum exemplo, tanquam lucerna ardens, super candelabrum posita, quasi quodam splendore lucere debet; idcirco te, quo majore possumus animi studio, in Domino hortamur, ut ejusdem Concilii Tridentini decreto de reformatione obtemperans, primo quidem vitam moresque tuos et familiae tuae corrigas et emendes, deinde ad eandem correctionem atque emendationem, capitulum clerumque tuum adhorteris, et eos qui adhortationibus tuis parere neglexerint, sine ulla personarum acceptione, adhibita etiam canonicarum poenarum severitate, coerceas. In monasteriis ancillarum Dei, quaecumque corrigenda reformandaque fuerint, ad veteris censurae disciplinam revocata reformes : praecipue vero reformandi monasterii illius curam suscipe, cujus causa, tam multa, quae tibi bene nota sunt, scandala orta sunt. Quae quidem si feceris, non solum quod tibi in primis propositum esse debet, tuo ipse officio functus fueris; sed nos quoque erga te in dies benigniores experieris. Datum Romae, apud S. Petrum, sub anno Piscatoris, die XVII Junii MDCXIX, Pontific. nostr. ann. IV ».

213. Quas scribit Pius jam pridem a se missas confirmationis Apostolicas litteras; eas datas fuisse octav. idus Martii; et die decima tertia Maii hujusmet anni, Roma Ratisponam pervenisse, praefatus Hund ¹ tradit. Cur vero Pontifex, tam omnium mulierum monasteriorum, quam illius praecipue, in quo scandala orta fuerant, reformationi Davidem incumbere jusserit; prorsus incompertum, quoniamve, vel id, vel alia fuerint, omnino ignoramus. Rem certe magni ponderis fuisse nemo negabit, qui ipsam quoque Pontificem urgere voluisse apud archiepiscopum Salisburgensem, hac eadem occasione, sequenti Epistola animadverlet :

« Venerabili fratri nostro Jo. Jacobo archiepiscopo Salisburgensi ² :

PIUS PP. V.

« Ven. frater etc. Tantum apud nos charissimi in Christo filii nostri Maximiliani imperatoris electi, fraternalisque tuae potuit intercessio, tantamque tuis litteris fidem habuimus, quibus nobis de dilecti filii Davidis Ratisponensis episcopi electi, mutatis in melius moribus, significasti; ut quamvis, de ejus ad nos vita,

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

² In episcop. Ratispon. Tom. 1. pag. 2001. — ² Ex Archiv. Vatican. ut supra.

multa allata essent, quæ falsa esse vehementer cupiebamus : confirmationem lamen ei ulterius negandam non esse existimaverimus; qui, ut ea, quæ episcopatus propria sunt munera exequi possit, consecrationis munus, intra tempus a Tridentino Concilio statutum, suscipiat, necesse est. Qua de re, ad eum ipsum scripsimus, eundemque illis ipsis litteris, ad mores vitamque suam in primis corrigendam, hortati sumus. Deinde ad capitulum, clerumque suum, eodem modo reformandum emendandumque excitavimus. Illud etiam præcipue monuimus, ut illius ancillarum Dei monasterii corrigendi curam susciperet, ex quo tot tantaque, quæ illi bene nota sunt, scandala prodierunt. Quæ, ut idem episcopus electus omnia certius pleniusque exequatur, tuæ quoque, ut metropolitani, partes erunt adjuvare. Hortamur igitur fraternitatem tuam, ut ad eam rem, operam auctoritatemque suam conferre velit, ut quam, precibus tuis adducti, confirmationem prædicto electo episcopo concessimus; hanc nos concessisse, perpetuo (sicut optamus), gaudere in Domino possimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxiii Junii MDCIX, Pontific. nostr. ann. vi ».

214. Ad capitulum demum Ecclesiæ Ratisponensis ¹:

« Dilectis filiis capitulo Ecclesiæ Ratisponensis.

PIUS PAPA V.

« Dilecti etc. Dilecto filio Davidi quem vos episcopum vestrum elegistis, quamvis de illius moribus ac vita multa nobis quæ vera esse nolebamus allata essent, tandem desiderio vestro satisfacere volentes, confirmationem electionis a vobis factæ concessimus; quod ea quoque de causa fecimus, quia speravimus fore, ut quæ nobis commodior spes de illo allata esset, hanc ipse, cujus id maxime interest, minime falleret. Illud etiam in concedenda ei confirmatione spectavimus, ut vos, qui hoc a nobis tantopere postulavistis; hac ipsa erga vos paterna voluntatis nostræ significatione invitati, vos ipsos promptiores atque alacriores ad obsequium Omnipotentis Dei exhiberetis, pristinaque Ecclesiæ vestræ existimationis melius consulentes, cæteros exemplo vestro sacerdotes, a depravatis moribus, ad veteris disciplinæ regulam revocaretis. Itaque, quod episcopo vestro electo scripsimus, ut vitam moresque suos ipse primus corrigeret, qui cæteris exemplo sanctitalis et innocentiae esse debet: hoc idem vos ut faciatis summopere in Domino hortamur, mandantes vobis, ut non solum ipsi, si quæ sunt in vobis vitiosa et corrupta emendetis, ejusmodi nos, in tanta morum corruptela, multa esse existi-

mamus; sed etiam, ut quæ ad eandem vestrum correctionem, simulque ad honorem Dei salutemque animarum pertinentia, ab episcopo vestro proposita atque imperata fuerint, facere omnino atque exequi ne prætermittatis. Date igitur operam, ut hoc facientes, et ipsi animarum vestrarum salutem, Ecclesiæque vestræ existimationi serviat, ut nos nostræ erga vos benivolentiam minime pœnileat. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxix Junii MDCIX, Pontific. nostr. ann. iv ».

215. An Pii, sive desiderio, sive spei de Davide conceptæ, ejusdem Davidis gesta responderint, nobis haud satis liquet. At ex his, quæ præfatus de Ilund ¹ scripto tradidit, spiritualia Ecclesiæ non multum curasse, et temporalia potius dispersisse deprehenditur. Scribit enim de ipso agens : « Episcopus hic David maximos sumptus fecit, in renovanda curia seu domo episcopali in civitate Ratisponensi, ac hoc, ut putatur, in gratiam Maximiliani Cæsaris, qui tam in conventu electorum principum, cum Rodolphum filium suum anno MDCXXV, Romanorum regem faceret, quam anno sequenti in comitiis imperii, cedente episcopo, ibi divertit, in eademque, sub finem Comitiorum, eo ipso die ac hora, sub qua Rodolpho Romanorum rege præente, coram statibus imperii recessus perlectus est, diem supremum obiit. Sunt non pauci, qui putarunt has tam magnas impensas, pro utilitate Ecclesiæ, in refectionem Castrî Noemburgensis in Norico, præ vestutate pæne collapsi; aut structura arcis Werdensis, non plane absolute; aut in solutionem debitorum aut redemptionem oppignoratorum bonorum melius potuisse collocari. Obiit autem David episcopus Ratisponæ die. . . . Augusti, anno Domini MDCXXIX ». Sic ille.

216. *Pii litteræ ad capitulum Argentinense, de electione episcopi.* — Cum experimento igitur didicisset Pontifex, raro eos, qui Germanicis Ecclesiis præficiantur, quos ipse optasset, probos pastores evadere consuevisse; mirum non est, sub hujus anni initium, audita Argentinensis episcopi morte, ubi de successore ei subrogando agendum fuit, has zelo referatas ad ejusdem Ecclesiæ capitulum et decanum, ad quos electio ipsa pertinebat, dedisse Epistolas :

« Dilectis filiis, decano et capitulo Ecclesiæ Argentinæ.

PIUS PAPA V.

« Dilecti etc. Et temporis calamitosa conditio nos urget, et suscepta omnium Ecclesiarum sollicitudo a nobis exigit, ut de bono earum regimine, eam, quam decet curam et cogitationem suscipiamus. Proinde ven. fratrem nostrum Erasmus episcopum vestrum nuper ex

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

¹ Wagnelat de Henl. in episcop. Ratisbon. pag. 221.

humanis decessisse audientes, etsi confidebamus vos, pro eo studio, quod erga fidem et religionem Catholicam habere debetis, officiique vestri memores, diligenter curaturos esse, ut in demortui locum alter eligeretur, qui tanto oneri subjiciendo idoneus esset; tamen, pro nostri pastoratis officii munere, vos vehementer hortandos monendosque duximus, ut in episcopi novi electione, omni humano timore posthabito, studeatis virum in primis Catholicum, et incorruptæ religionis, pietatisque studio flagrantem, Ecclesiæ vestræ primo quoque tempore præficere; cujus divini cultus zelus ita apud clerum emineat, ut non solum ipse ea præstare possit, quæ bono ac vere Catholico episcopo digna sunt, sed ut cæteros etiam, in ejusdem Catholicæ religionis amore continere, et ab ea errantes, ad gremium sanctæ Matris Ecclesiæ revocare valeat. Qui honorum operum exemplo, vitæque ac morum honestate, gregi sibi credito, tanquam lucem ostendat ac perfeferat, in qua securus ab insidiis omnibus ambulet. Qua in re, etiam si sanguis vobis profundendus esset, præclare vobiscum actum esse existimare deberetis. Quod et diligentius vobis, hoc tempore providendum est, in quo propter hæreticæ pravitatis zizania, Catholicæ religionis hostes, majorem insidiandi licentiam nacti sunt. Omnino boni sanctique pastoris effigiem habetis ab Apostolo ita expressam, ut in eligendo vobis episcopo, nisi per vos steterit, facile possitis, Dei tantummodo honorem præ oculis habentes, et officio vestro satisfacere, et Ecclesiæ vestræ salutis atque utilitati consulere: ad quod ita vos denuo hortamur atque excitamus, ut nec majore studio, nec ardentiore animarum vestrarum salutis desiderio, hortari atque excitari possimus. Deum autem Omnipotentem, dilecti filii, precamur, ut vobis in hac episcopi electione, suæ spiritum charitatis sic infundat, ut eum virum, qui secundum suæ voluntatis beneplacitum maxime sit, Ecclesiæ vestræ pastorem deligatis. Illud etiam officio vestro conveniet, ut, donec bonus ac fidelis pastor electus sit, quod, ut quamprimum fiat, curare debetis, unusquisque vestrum his quæ ad ejusque officium pertinent, pie ac sedulo exequendis. Ecclesiæ ipsi pastoris regimine destitutæ, quidquid potest solatii et auxilii impendat, ut quam minimum fieri potest detrimentum patiat. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI Januarii MDLXIX, Pontific. nostr. ann. IV ».

217. *Ejusdem litteræ ad imperatorem de residentia eamonicorum.* — Quod autem hic audias, Pium, et electionem boni probique pastoris apud capitulum Argentineense urgere, et ejusdem canonicos singulos, ad ea quæ sui muneris essent implenda sedulo hortatum esse; ex his, inquam, elicias, Pontificem ipsum, adeo Ecclesiarum curam gessisse, ut de omnibus quoque

eis addictis serio curam haberet, et Ecclesiasticam disciplinam rite custodire, juxtaque eam sese gerere vellet. Quapropter, cum, eodem hoc anno, enixis precibus, ab eo Maximilianus imperator petiisset, ut Joannem Alexandrinum, canonicum, a juramento residentie cui sese obstrinxerat solveret, utpote aulicum suum consiliarium, ut in postulatu suo expeditiore habere posset: postulationem hanc, licet boni utilitatisque reipublicæ speciem habere posse videretur, Pius omnino rejecit, ut ad Maximilianum ipsum scripta hæc Epistola¹ testatur:

« Charissimo in Christo filio nostro, Maximiliano, Romanorum imperatori electo.

PIUS PAPA V.

« Charissime etc. Quod majestas tua, de dilecto filio Joanne Alexandrino, uno ex consiliariis suis, ab juramento residentie dispensando, per litteras suas XVII Maii, a nobis enixe admodum postulavit; id tum ipsius hominis, tot tantisque, ut scribis, virtutibus ornatissimi, tum multo magis M. T. causa cuperemus tale fuisse, ut in eo voluntati desiderioque tuo morem gerere potuissemus. Sed profecto, quæ a nobis petita fuit res, ejusmodi est, quam nos, sine gravi Dei Omnipotentis offensione et salva conscientia nostra, concedere non possumus. Si enim illud tantummodo ageretur, et cum eo non residente simpliciter dispensarem, aliquam fortasse majestati tuæ satisfaciendi rationem inire potuissemus; sed cum is, de cujus dispensatione agitur, divino se obsequio, in ea, cujus canonicus est, Ecclesiæ, spiritualique vitæ etiam jurejurando obstrinxerit, si eum, ratione illorum commodorum, quæ tibi in rebus domini tui temporalis gubernandis præstat, ab ejusmodi divino obsequio, Apostolica dispensatione absolveremus; majorem hominum quam Dei rationem habuisse videremur; quod quam parum nobis, et ei, quam gerimus, impositæ nobis a Deo personæ conveniat, M. tua ipsa, per se intelligere potest: Quocirca M. T. rogamus, ut paterna nostra satisfactione, (quemadmodum par æquo animo accepta, his rebus contenta sit, est) quæ recte fieri possunt; sibi que penitus persuadeat, nos, si quibus aliis in rebus gratificari tibi cum Domino poterimus, id ipsum, pro paterno in eum amore nostro, libentissime semper esse facturos. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XVI Julii MDLXIX, Pontific. nostr. ann. IV ».

218. *Tridentinæ Ecclesiæ dissidia componitur.* — Pupugerat interea valde animum Ferdinandi Austriæ archiducis, quam præterito anno retulimus, de Tridentinæ Ecclesiæ questionibus, Apostolica libertate, a Pio scripta Epistola; gravesque de ipsa, apud Pontificem

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

ipsum, quem acriter contra se indignatum idcirco putaverat, querelas deposuerat. Quibus Pius, justorum more, qui, ut dicit Gregorius ¹, *dedignantur, sed non dedignantur, et persecutionem commovent, sed amantes*; et si foris, per disciplinam exaggeraverat, intus tamen dulcedinem per charitatem ut ostenderet se servasse; sequentem ad ipsum egregiam hanc Epistolam dedit:

« Dilecto filio, nobili viro, Ferdinando archiduci Austriae.

PIUS PAPA V.

« Dilecte etc. Litteras nobilitatis tuae iv die Februarii datas accepimus, quibus, quod nobiscum expostulasti, de animi nostri adversus te indignatione ac minis, nihil ea querela nos movet, sed nec movere potest. Nos enim, quod de nostro in te atque omnes Catholicos principes paterno amore nobis ipsis conscii simus, quique omnia nostra erga eos officia charitatis affectu melimur; si quando ulla in re eorum, aut voluntati resistimus, aut desiderii non satisfacimus; non indignatione aliqua impulsus, sed iustitia adducti id facimus. Quod si litteras ad te nostras, super hac ipsa controversia scriptas, diligenter relegeris, cognosces, nihil super tanta re lenius aut mansuetius, nec majori cum tua laude, scribi a nobis potuisse. Juste autem querelae adversus nobilitatem tuam nos causam habemus. Valde enim nobis durum visum est, eodem tempore, quo noster et Apostolicae Sedis nuntius istuc, ob eam causam a nobis missus, tecum nostro nomine agebat, ut, omnia Tridentinae Ecclesiae vexatione, praetensiones tuas iustitiae cognoscendas decidendasque permitteres, te, datis et verbis, possessionem ejus episcopatus hominibus armatis per vim occupasse. Hoc nobilitas tua, pro nostra atque hujus S. Sedis reverentia, nullo modo debuit facere, idque eo minus quod ven. frater, episcopus Tridentinus, cardinalis Madrutius appellatus, nobilitati tuae offerebat, se iudicio Caesaris fratris tui, in hac controversia acquieturum. Nam, quod scribis, te non ut cuiquam vim faceres, sed a Tridentinis consulibus vocatum, praesidium militare civitati imposuisse, satisfactionem hanc atque excusationem nullo modo accipere possumus. Neque enim cujusque rogatu, nobilitas tua id facere debuit, quod juste atque ordine fieri non poterat, neque personas ipsas potentes respicere, sed factum ipsum attendere debebat. Quod si in hac controversia, personarum rationem habere volebat, nostram potissimum personam respicere, hujusque S. Sedis majestatem revereri. Quod enim ad nos attinet, ea habet a nobis nobilitas tua singularis amoris insignia, paternaeque charitatis indicia, ut nullo

modo, in re tantopere ad nostram dignitatem pertinente, nos contristare debebat. Ab hac vero Sede, in majores vestros, inclytae memoriae principes, multa singulis temporibus profecta invenies, ad eorum commoda et dignitatem augendam spectantia, quae non minus illorum pietate ac meritis erga Romanam Ecclesiam, quam nobilitati ac familiae splendori data sunt. Nec vero minorem in te esse pietatem et erga hanc S. Sedem reverentiam pro comperto habemus, quam haereditario etiam quodam jure ad te pervenisse cognoscimus. Sed haec a pravis quibusdam suavoribus, libique magis quam Deo placere studentibus, suggeruntur, qui omnia Ecclesiarum jura perturbare, divinaeque et humana confundere cupiunt; quique tibi, fallaci quadam et blanda familiaritate deserviunt, contra quorum insidias, pro nostra erga te paterna charitate, de animae tuae salute solliciti, a nobilitate tua petimus, ut solerter invigilet, nec se eorum verbis fallendum praebet. Tanto enim majores hostes credendi sunt, quanto, objecto temporalium commodorum emolumento, blandius adulantur. Horum perniciosas voces non audias, qui, si omnino decepturi sunt, saltem vulgarium hominum mentes, non nobilissimorum Catholicorumque principum corda decipiant. Nobilitas autem tua semper id in memoria habeat, bonos mores, a malis colloquiis corrumpi solere. Antiqui enim hostis ea est consuetudo, ut, cum robustum cor irrumpere se posse desperet, per subjectas et infirmas personas, quasi quibusdam scalis appositis, summorum principum animos, quasi mœnia quaedam alta, conetur ascendere. Sic primum illum humani generis parentem, Adam, per subjectam ei mulierem decepit. Eadem studia, beati Job cum filios occidisset, uxorem reliquit infirmam, ut qui ejus animam per se non poterat, saltem per mulieris verba perrumpere conaretur. Quia igitur, quae scripta sunt, ad nostrum exemplum omnia scripta sunt, ideo nobilitatem tuam, per Omnipotentem Deum obtestamur, et per viscera charitatis Dei nostri rogamus, ut, repudiatis pravis suavoribus, paterno nostro iudicio ac voluntati acquiescat; atque his, quae de facto attentavit, in integrum restitutis, aequali ac iustitiae locum det. Illud autem pro certo habeas, si tu, tantus tamque Catholicus princeps, hoc exemplum introduxeris, non defuturos alios minores, tuique non tantum similes principes, qui levissimis quibusque de causis, tuum exemplum sequantur; quod, quantam omnibus Ecclesiis perniciem, quantumque Christianae republicae detrimentum allaturum sit, pro tua prudentia intelligis. Omnipotens Deus nobilitati tuae indicet, quanto, haec scribentes, charitatis erga te affectu incensi simus, quantoque animi studio in hac causa, non contra te, sed pro te laboramus. Certe enim, de existimatione tua, saluteque

¹ D. Greg. Homil. 34 in Evang.

animæ, non minus quam de nostra atque hujus Sanctæ Sedis dignitate, in hac causa agitur. Neque enim tu, quod fecisti, obtinere, sine animæ tuæ Apostolicæque Sedis detrimento potes; neque nos Ecclesiæ causam, quod absit, deserere possumus, quin eodem tempore, salutem tuam existimationemque deseramus. Quibus causis adducti, Deo adjuvante, spem habemus, te, pro singulari pietate, Christianæque Reipublicæ studio, et erga Sanctam hanc Sedem reverentia, aliquando, et famæ tuæ, et veræ utilitati melius consulturum. Quod, ut ita facias, et te vehementer rogamus, et assiduis precibus a Deo exposcimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX Februarii MDLXIX, Pontific. nostr. ann. IV ».

219. Eosdem vero Tridentinos consules, quos apud archiducem Ferdinandum, primos turbarum inter ipsum et cardinalem Madrucium episcopum auctores fuisse, ex hac Pii Epistola intelligimus; contra cardinalem eundem ac fratrem, apud Pontificem egisse, ex sequenti ad illos a Pontifice ipso reddito responso manifeste colligitur :

« Dilectis filiis, consulibus et provisoribus civitatis Tridentinæ ¹.

PIUS PAPA V.

« Dilecti etc. Litteras vestras die octava mensis Julii ad nos datas accepimus, in quibus et istius civitatis, et Ecclesiæ calamitates et miseria deploravistis, et adversus ven. fratrem nostrum, episcopum Prænestinum, cardinalem Tridentinum appellatum, et dilect. filium nostrum cardinalem Madrucium, quædam querelarum capita nobis eisdem litteris misistis. De quibus vestris querelis, neque ea, quæ decet, quæque justa sunt, statuere, neque eas omnino cognoscere possumus aut debemus, antequam controversiæ finis imponatur, quæ inter dilectos filios, nobilem virum Ferdinandum archiducem Austriæ, et cardinalem Madrucium, apud Cæsaream majestatem, de temporali dominio istius Ecclesiæ et regalibus, nunc quammaxime agitur. Qua absoluta, diligenter operam dabimus, ut, quas ad nos de prædicto cardinali Madrucio querelas detulistis, missis isthuc, si opus fuerit, commissariis nostris Apostolicis, cognoscamus; auditoque super iisdem querelis eodem cardinali Madrucio, ea quæ decent quæque justa sunt statuamus. In qua cognitione, si quid prædictum ven. fratrem nostrum episcopum Prænestinum, cardinalem, Tridentinum vocatum deliquisse intelligemus; ne adversus eum quidem animadversionem justam prætermittemus. Interea dilectiones vestras, in Domino consulentes hortamur, ut hujus temporis moram, ut par est, æquo animo feratis; pro certo habentes,

nos, et pro nostra erga vos paterna benevolentia, nullo loco æquitali, tantopere nobis, ab Omnipotenti Deo commendate, unquam defuturos esse. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX Septembris MDLXIX, Pontificatus nostri anno IV ».

220. Ex suscepta tamen a Maximiliano Cæsare Tridentinæ Ecclesiæ jurgia componendi cura; eidem Ecclesiæ, non modo nil utilitatis accessisse, sed illam ab administris ejusdem Maximiliani illusoriis quibusdam decretis, deteriora forte incommoda perpeti coactam esse : ea ostendunt, quæ impellente præfato cardinali Madrucio, Tridentino episcopo, ad ipsum Maximilianum Pontifex his verbis scripsit ¹ :

« Charissimo in Christo filio nostro, Maximiliano in imperatorem electo.

PIUS PP. V.

« Charissime etc. Universarum Ecclesiarum nobis, licet indignis, commissa sollicitudo cogit nos eorum incommodis, quantum cum Domino possumus, subvenire; qui pro utendo suæ cuique Ecclesiæ jure, nostrum atque hujus S. Sedis Apostolicæ auxilium implorant. Omnibus enim debitores sumus, sed præcipue tamen his, qui in sollicitudinis nostræ partem, ipsi quoque a Deo vocati sunt. Exponi nobis nuper curavit ven. frater episcopus Tridentinus, cardinalis Madrucius appellatus, postquam M. T. item inter se et dilectissimum in Christo nobilem virum Ferdinandum, archiducem Austriæ, fratrem tuum, super Ecclesiam Tridentinam componendam suscepit; procuratoribus suis pelenibus, ut, quod æquissimum est, vexationes omnes, quibus ad hanc usque diem contra jus ea, quemadmodum asserit, Ecclesia afflicta est, ante omnia tollerentur, cujusmodi sunt, militum custodiæ, fructuum sequestrationes. Majestatem tuam, quoad vexationes pertinet, decrevisse, ut milites quidem dimittantur omnes, si omnes dimitti posse videbuntur, similiterque commissarii tui, qui ejus controversiæ causa, adhuc Tridenti manent, ad paucissimos redigantur; seorsim tamen, eisdem commissariis, quemadmodum ait, asserere, M. T. scripsisse, velle se, ut militibus, ea, quæ debentur stipendia, ex fructibus redditibusque ejus Ecclesiæ persolvantur. Quin etiam, aliud quoque (quod gravius esse videtur), ad decretum adjecisse, ut etiam in posterum, ad commissariis, qui relicti fuerint, militibusque, qui eorum custodiæ causa Tridenti relinquerentur, stipendia ex iis Ecclesiasticis redditibus solvantur. Cum tamen M. ipsa Tua, eodem decreto, quo dimitti milites, vexationum finem fieri statuit, redditus quoque, et fructus ipsius Ecclesiæ, juxta antiquam consuetudinem, liberos Ecclesiæ relinquere decreverit.

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

Quæ, si, ut asseritur, vera sunt, valde illius nobilissimæ Ecclesiæ, nec mediocriter quoque ipsius episcopi vicem dolemus. Quid enim aliud est hoc, quam episcopum ipsum omnibus suis redditibus spoliatum, ad eam inopiam necessitatemque redigere, ut cum unde alatur aliunde non habeat, Ecclesiam suam miserabiliter deserere cogatur? Pastore autem ita ejusdem oppressionibus percussio, ut ei a grege sibi credito exulare necesse sit: quid aliud sequitur, nisi ovium, Redemptoris nostri sanguine redemptarum, dispersio? Vix enim, in sumptus militum commissariorumque, a M. T. perceptos ejus Ecclesiæ redditus sufficiunt; nedum, ut ex eis episcopus etiam sibi suisque necessaria ad victum suppeditare possit. Quocirca M. T. paterner monemus, rogamus et per Omnipotentem Deum obtestamur, ut Ecclesiæ, nimis jamdiu vexatæ variisque perturbationibus afflictæ, melius consulere velit; neve eam, contra omnia divina humanaque jura, his supervacaneorum sumptuum oneribus opprimi patiatur; quibus, et omnes illius redditus absorbentur, et ipsa pejore in statu, quam quo ante compositionis spem erat, colloceatur. Nolit M. T. committere, ut in profanos militaresque sumptus, Ecclesiastica pecunia erogetur; quod nos, qui in quos usus, mensarum episcopaliū Ecclesiasticorumque fructus, jure et divino et Ecclesiastico instituti sunt, intelligimus; et ad nos eam rem maxime spectare cognoscimus, nullo modo ferre possemus. Provideat illud etiam, ut, quoniam commissariis suis, Tridenti commorantibus, super his rebus certa limitataque mandata se dedisse ait; ea, quemadmodum par est, observentur, neque ea quotidie commissarii tui, contra M. T. auctoritatem prætergredi et violare audeant. Postremo illud videat, ne, que oppressionis remedia, pro sua æquitate adhibenda esse putaverit, ea ipsis oppressionibus graviora sint, ne malorum remedia, malis ipsis pejora esse contingat. Quod ita M. T. obsecramus, ut non solum Ecclesiæ Tridentinæ, ipsiusque episcopi tibi totique Austriacæ familiæ deditissimi, nostrique simul officii causa movemur; sed etiam in eo, M. T. erga Deum pietatis et animæ suæ salutis maxime consultum esse velimus. Id, quamvis M. T. pro suo divini honoris zelo, proque eo, quod debes, Ecclesiis omnibus patrocinio facturam esse, pro certo habemus, tamen nostra quoque causa, paternis nostris vocibus admonitam, facturam esse studiosius alacriusque existimavimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI Julii MDCXIX, Pontific. nostr. ann. IV ».

221. Magis autem, post hæc, cum animadvertet Pius, ejusdem Tridentinæ Ecclesiæ ærumnas multiplicatas, quod controversiæ cognitionem, forte studio, et Maximilianum, et missi ab eo commissarii in longum protraherent; idcirco

hand multo post, impedimentum hoc quoque removere studens, sequentem ad ipsum Epistolam dedit :

« Charissimo in Christo filio nostro, Maximiliano etc ¹.

PIUS PAPA V.

« Charissime etc. Cum proxime cognoverimus, M. T. definiendo, inter dilectos filios, nobilem virum, archiducem Austriæ, fratrem tuum, et cardinalem Madrucium, super Ecclesiæ Tridentinæ controversia, quotidie magis cogitare; eoque animo et voluntate esse, ut eam sibi quamprimum decidendam esse existimet; præterire nolumus, quin M. T. quantopere id nobis gratum factura esset, significarem. Quamvis autem illam, satis sua sponte ad hoc incitatum, supervacaneum esse videatur, ad predictæ controversiæ decisionem hortari; tamen, quia tam diuturna ejus Ecclesiæ perturbatione non possumus non vehementer dolere; idcirco M. T. ad perseverandum in ea mente, atque sapientia suaque integritate omnia removenda impedimenta hortamur, quibus tam egregia perficiendæ rei voluntas retardari posse videatur. Quæ in re, M. T. tuæ propositum esse debet, non solum præsentibus controversiis finem imponere, quarum causa, perturbationes, sumptus ac detrimenta illi Ecclesiæ acciderunt; sed de causa ipsa tota sic statuere, ut nullas disceptationis ansas reliquat: sic, ut ea Ecclesiæ, antiquo illi suo jure servato, omnium expertis perturbationum, cum pristino Catholicoque inclytæ domus patrocinio conservetur. Quod si M. T. fecerit, quemadmodum facturam esse pro comperto habemus, præterquamquod illi actura est, quod ab eximia ejus probitate atque æquitate expectamus, nobis præterea rem gratissimam faciet. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI Septembris MDCXIX, Pontificatus nostri anno quarto ».

222. *Abbati Modionensi deputatur munus visitandi diocesim Aquileiensem necnon Bambergeusam.* — Obsequentiore autem Ferdinando Austriæ archiduce, Carolum, alterum Austriæ archiducem, paternis suis hortationibus piisque studiis, cum se habere Pius nosset: quem alibi memoravimus, comiti Bartholomæo de Porzia Modionensi abbati, cum in mandatis dedisset, ut visitationis munus in locis Aquileiensi diocesi, ejusdem Caroli dominio subiectis, subiret; ad eum, ut abbati ipsi auxilio in eo munere obeundo esse vellet, sequenti Epistola significavit :

« Dilecto filio, nobili viro, Carolo, archiduce Austriæ ².

¹ Ex Archiv. Vatic. ibid. ut supra. — ² Ex Archiv. Vatic. ibid. ut supra.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Dilecto filio, comiti Bartholomæo de Porzia, abbati Modionensi negotium, dedimus, omnia, quæ sub Aquileiensi diœcesi sunt, loca visitandi. Quia vero compertum habemus, nobilitatem tuam, suo eximio Christianæ religionis zelo magnopere cupere, ut in loca ditiori suæ temporali subjecta, boni Christianique mores, sublatis, quantum fieri potest, viliis et abusibus, introducantur et conserventur; idcirco prædicto comiti mandavimus, ut, si ei auxilio, favore auctoritateque tua opus fuerit, ad ea exequenda quæ in illa ipsa visitatione, ad Omnipotentis Dei gloriam, animarumque illarum salutem, sibi statuenda esse decreverit: ad nobilitatem tuam fidenter adeat, eique omnia ad hoc sibi a nobis delatum visitationis munus exequendum necessaria, aperiat: cui etiam, ut fidem habeat in his rebus, quas sibi nostro nomine exponet, atque ad opus Omnipotentis Deo tam acceptum, animarumque salutem tam conducibile, omnem suam opem, gratiam, potestatemque accommodet, a nobilitate tua vehementer in Domino petimus, pro sua erga nos Sanctamque hanc Sedem Apostolicam reverentia. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IV Novembris MDCXIX, Pontificatus nostri anno quarto ».

223. Præfato vero abbati Modionensi, præter Aquileiensem, lustrandi quoque Bambergensem diœcesim munus a Pio datum fuisse, elici posse videtur ex his, quæ post allatam ad archiducem Carolum Epistolam, in eodem Vaticano Regesto adnotata leguntur; nimirum, ejusdem exempli Epistolam alteram ad Bambergensem episcopum a Pontifice fuisse scriptam.

224. *Litteræ Encyclicæ Pontificis ad episcopos Germaniæ et Hungariæ.* — Pari modo, sicut, ut diximus, præ Ferdinandi archiducis, laudanda in Carolo archiduce pietas visa est; ita, præ Tridentinis consilii, turbarum, ut vidimus, contra episcopum auctoribus, hoc ipso tempore commendandam Pius duxit consulum ac senatus Coloniae Agrippinæ pietatem, præclarumque Catholica religionis studium, arrepta occasione, quod illuc Joannem Fonchinum Signaturæ justitiæ revisorem mitteret. Digna est Epistola ¹, quam ad ipsos scripsit, quæ hic inseratur:

« Dilectis filiis, consulis et senatui civitatis Coloniae Agrippinæ.

PIUS PAPA V.

« Dilecti filii etc. Cum dilectum hunc filium, Joannem Fonchinum, signaturæ nostræ justitiæ revisorem, virum insigni fide atque integritate præditum, in Germaniam mittere-

mus, quarundam rerum causa, ad Dei honorem et obsequium vehementer pertinentium, singularis vestri erga religionem Catholicam studii devotionisque in Sedem Apostolicam memores, mandavimus ei, ut dilectiones vestras, tanquam eximios filios nostros, verbis nostris salutatum veniret, vosque paterna nostra benedictione impertiret. Nullum est enim paterni nostri amoris signum, quod non eximie vestræ pietatis, et erga Sanctam hanc Sedem reverentiæ debeat. Ut enim magnæ splendor lucis, in noctis obscuritate clarius effulget; ita fidei vestræ Catholicae claritas, inter finitimarum gentium obscuram hæresum pertidiam posita, multo splendidius elucescit. Cujus rei nomine, sicut vestra apud Deum Omnipotentem merita crevisse non dubitamus; ita ob eandem causam, de nobis et Sede Apostolica sic meriti estis, ut nihil sit, quod de nobis polliceri vobis non possitis earum rerum, quæ a benevolo vestrumque omnium amatissimo patre desiderari, aut expectari possunt. Prædicto autem Joanni Fonchino, ejusque orationi, tum de paterna nostra erga dilectiones vestras voluntate, tum de cæteris rebus, quæ vobis nostro nomine referet, fidem ut habeatis, a vobis petimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXIV Martii MDCXIX, Pontif. nostr. ann. quarto ».

225. At licet ejusdem argumenti Epistolam, quo ad Coloniaenses, traditas fuisse ex Vaticano Regesto habeamus, Fonchino etiam deferendas, ad Danielem archiepiscopum Moguntinum, atque ad episcopos Trajectensem, Cameracensem, Herbipolensem, necnon Leodiensem, et insuper, ad archiepiscopum Trevirensis: intelligere tamen minime potuimus, qua potissimum ex causa eas scripserit, atque ad illos hoc tempore Fonchini præfati legationem decreverit.

226. Ille vero, quem mox memoravimus, archiepiscopus Trevirensis, ubi, ut præterito anno retulimus, quæ ad temporalia Ecclesiæ suæ jura pertinebant, composuisset; hoc anno se totum ad spiritualia sarcinda convertit: accepto, in primis, quod Pius summopere concupierat, sacra consecrationis munere, congregatisque biduo post lotius suæ diœcesis principibus ac Ecclesiasticis viris, et visitationis ac reformationis, juxta Sacri Tridentini Concilii decreta, opus, vere Ecclesiastico animo, suscepit. De his autem certiorum Pium cum reddidisset, hoc ab eo responsum retulit:

« Venerabili fratri, Jacobo, archiepiscopo Trevirensi, Sacri Romani imperii principi electori ¹:

PIUS PP. V.

« Ven. frater etc. Ex litteris tuis, VI Junii ad nos datis, te consecrationis munus accepisse,

¹ Ex Regest. Vatican.

¹ Ex Archiv. Vatican.

biduoque post, convocatis totius tuæ diœcesis principibus, et ex reliquo clero delectis viris, reformationem visitationemque Ecclesiæ, juxta sacri Concilii Tridentini decretum, indixisse; idque ab omnibus, incredibili animorum studio, acceptum esse cognovimus. Fuit ea res, ut debuit, nobis gratissima, in qua eximiam tuam in Deum Omnipotentem pietatem, religionis Catholicæ studium, et in Sanctam hanc Sedem Apostolicam reverentiam, magnopere in Domino commendavimus. Nec vero dubitamus, utilissimam istam Ecclesiæ tuæ visitationem, reformationemque futuram, a qua, quod te nullius difficultatis, aut periculi metu deterritum iri scribis; quæ sint officii tui partes, præclare admodum intelligere videris; nosque magnopere in ea re animi tui constantiam, honorisque divini zelum laudamus. Nihil certe facere potes, aut Deo Omnipotenti acceptius, aut suscepto a te episcopali munere convenientius, aut nobis ipsis gratius. Quod ut commodius etiam facere sine impedimento possis, tecum a solemnium Romanam ad nos Apostolorumque limina veniendi juramento dispensamus, satisque habemus, si quo tu præsens facturus esses, id per procuratorem tuum fieri jubeas, quem de omnibus istius Ecclesiæ rebus diligenter edoctum, huc quamprimum mittere curabis; et cum ab eo istius Ecclesiæ statum intellexerimus, si quid erit, quod Apostolicæ nostræ potestatis auxilio indigeat, ejusdemque Ecclesiæ utilitati, pro nostra pastorali sollicitudine, consulere possimus; ea in re, neque officio nostro neque postulatis tuis unquam defuturi sumus. Benedictionem autem, quam a nobis postulasti, toto cordis nostri affectu, fraternitati tuæ tribuentes, Omnipotentem Deum oramus, ut in animo tuo divini sui amoris ignem quotidie magis accendat, teque, post præsentem vitam ad æternæ suæ beatitudinis præmia perducatur. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxiii Septembris m̄dxix, Pontific. nostri anno quarto ».

227. Quoad res Saxonicas, præter Altemburgense colloquium hoc anno absolutum, extat ridicula illa ordinatio seu reformatio Ecclesiarum in Iehna Wilelmi Saxonie ducis, hoc item anno ibidem edita. In ea (inquit Rescius ¹) novus ritus colendi Dei legimus, ab aliis tamen diversos. Hoc tamen singulare habere dicit, uti videre est, quod rejectam et reprobam excommunicationem non solum esse in usu jubet, sed verba quoque et formam excommunicationis præscribit: « Posteaquam enim (dicit), N. tale vel tale peccatum commisit admonitus non desistit, pœnitentiam non fecit, in pejus proficit; nos, ex potestate clavium (et unde unquam, ex Scriptura constat, potestatem hujusmodi Joanni

Wilelmo traditam, eique vel prædecessoribus suis dictum: *Tibi dabo claves?*) quas Christus Dei Filius, Ecclesiæ suæ ipse dedit, ad ligandos peccatores: denuntiamus illi iram divinam et pœnam; excludimus illum a congregatione et communione omnium credentium; interdici-mus illi usum sacramentorum, ingressu Ecclesiæ et concionibus; tam diu, dum publicam pœnitentiam faciat, cum Deo in gratiam redeat, Ecclesiæ reconcilietur, et absolutionem humiliter et devote petat ». Ista excommunicationis formula, ridenda una ac signanter notanda, quod tot maledictis ac conviciis rejectam nefarie a sectariis in Catholica Ecclesia excommunicationis legem; mentiente sibi iniquitate, quodammodo reassumere, ac denuo revocare compulsi fuerint.

228. Interea Transylvaniæ princeps, Joannes, quod plerosque Germaniæ principes, bello ob religionem in Gallia suscepto, implicatos intellexisset, aliis Catholicorum, Ugonottorum aliis partes tuentibus, optimam se nactum occasionem censens oppida quædam repetendi, quæ præterito proxime bello in Maximiliani polestalem remanserant, copias colligere, validumque exercitum conscribere curat; necnon legationes Bizantium ad Selynum, et ad Bassas Budensem et Temesvariensem decernit, ut secum conjunctis viribus, facinus aggrediantur. At superbum et iniqui ingenii hominem quiescere, præfatos Bassas præcepisse, ac auxilium ei præbere detreclasse, tradunt scriptores: tum quia alia tunc animo commoliretur Selymus, tum quia Turcicis finibus Moscæ immineret. Nihilominus ab ea cogitatione sic improbum hominem revocare non potuisse, ut militem dimitteret, iidem asserunt.

229. Pontifex autem eo ipso tempore, quo hic talia in Pannonia perniciem animo versat, non nisi, quæ ipsius regni salutem esse possent, sedulo curat. Hæbit vero suæ sollicitudinis, ac vere pastoralis zeli dignissimos administratos episcopos; nempe, quem alibi memoravimus Agriæ, ac alterum Nitriæ; uti etiam in proxima Pannoniæ regione Illyrico, alium Zagabriæ: quos potius quam de munere commonere, de optime impleto episcopali ministerio, et per Franciscum Dietallexium, et sequentibus ad illos Epistolis, commendandos duxit:

« Venerabili fratri Antonio, episcopo Agriæ ¹.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Impulit nos singularis tua in Deum Omnipotentem pietas et eximius Catholice fidei zelus, atque in custodiendo grege tibi credito vigilantia, quæ multorum fide dignorum sermonibus ad nos perferuntur; ut has ad te litteras, fraterni erga te amoris nostri indices,

¹ Ex Resc. in Atheis. cap. 3. pag. 73.

¹ Apud Goub. lib. 3. Epist. prima.

dandas esse existimarem: quibus, non modo hæc quæ agis, gratissima nobis esse intelligeres, sed etiam de tot tantisque donis, in te a Redemptore nostro collatis, tibi gratularemur. Magnum est Dei beneficium, si episcopus, quocumque loco positus, Ecclesie sue, ad Dei gloriam animarumque sibi creditarum salutem, præesse sciverit; qui vero in ipso prope infidelium conspectu, atque inter hæreticorum insidias, quasi scorpiones locatus, Ecclesiam suam ita moderatur et regit, ut quantum fieri potest, eam, et a luporum fraudibus defendat, et bonorum operum exemplis doctrinaque salutaribus pascere studeat; hunc virum perfecta quadam cælestique virtute præditum esse oportet. Quo magis te, quem et hæc et alia multa, quæ in rem Ecclesie tuæ sunt, præstare accepimus, magnis debitisque in Domino laudibus prosequendum esse cognoscimus atque prosequimur, hortantes fraternitatem tuam, ut quod a Sapiente, de justorum semita dictum est, eam, videlicet, quasi lucem splendens procedere; id tu virtutis tuæ perseverantia comprobas, teque presentibus non contentum meritis, semper ad ulteriora extendas. Sit vita tua, clero populoque fidei tuæ commissa, tanquam exemplar quoddam sanctitatis ad imitandum proposita: te non minus mali timeant quam boni diligant; alteri te mansuetum, alteri severum cognoscant. Nullius te hominis, aut metus, aut auctoritas, ab eo quod bonum honestumque est, deterrere valeat. Esto de animarum lucro sollicitus; pietatem, hospitalitatem, misericordiam sectare; terrena mundanaque contemne, ut ad cælestia atque æterna pervenire merearis. De nobis autem hæc ista existimes, nullum esse tam eximium nostræ erga te fraternæ charitatis testimonium, quod virtuti isti tuæ deberi non existimemus: quemadmodum dilectus hic filius Franciscus Diatalevius copiosius exponet, qui tibi has etiam litteras nostras reddet; quem, et libenter vidimus, et ea, quæ nobiscum locutus est, ea, qua decuit benignitate cognovimus, eique fidem habebis. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XII Augusti MDCXIX, Pontificat. nostri anno quarto ».

230. Ad Nitriæ autem episcopum ¹ :

« Venerabili fratri Paulo, Nitriæ episcopo.
« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Redemptori nostro gratias agere debemus, quod de tuo divini honoris zelo, de tua in custodiendo grege tibi credito vigilantia, singularique in Deum Omnipotentem pietate, magis magisque in dies ad nos perferuntur, quæ animum nostrum, multis curarum oneribus laborantem, magna ex parte recreare valeant. Qua in re, verum esse illud experti sumus, bonorum opinionem, quasi unguenti odorem,

ad longinuos etiam populos manare. Neque enim sacerdotalis tuæ virtutis laus, istis Pannonici regni finibus contineri potuit; sed ad remotiores populos, atque ad nos quoque pervenit, quos procul ab istis terris positos, tamen a te locorum longinquitas disjuxit. Quod vero in ipso prope infidelium conspectu, atque inter hæreticorum multiplices laqueos collocatus, Ecclesie tuæ officium, quod debes, præstas, gregemque tuum, quantum potes, a luporum insidiis custodis; hoc perfectæ virtutis signum est. Quamvis enim nullibi malos inveniri, sed ubique bonos esse expetendum sit; tamen boni ipsi, si sine malis fuerint, perfecte boni esse non possunt; ipsa enim malorum admissio, quid aliud, quam purgatio bonorum est? Quocirca, debitum tibi fraternæ nostræ salutationis officium persolventes, fraternitatemque tuam debitis in Domino laudibus prosequentes, hortamur, ut eum, quem cepit pietatis cursum, constanter teneat, et usque ad perfectum diem crescere non desistat; ut quædum, Dei voluntate, in hoc cælestis exilio patriæ delinatur, tædium bonorum operum augere merita non desinat; sic enim in remunerationis die, tanto insignius erit gloriæ præmium, quanto hic majus laboris studium fuit. Clerum populumque tuum, quemadmodum in Dei timore vivere debeat, tuorum morum tuæque vitæ in primis exemplum insituit. Totæ mentis contentione, lucrum animarum Omnipotenti Deo facere festina. Malorum pravitatem compesce; bonorum operum studiosos confirma; incipientes hortationibus paternisque monitis excita. Denique, quod de universali Ecclesia dictum est, panem otiosus non comedere. De nobis autem volumus, te omnia tibi fraternæ charitatis indicia polliceri: quemadmodum dilectus hic filius Franciscus Diatalevius, qui tibi has nostras litteras reddet, copiosius explicabit, cui fidem habebis. Omnipotens Deus te, charissime frater, pro nobis orantem custodiat, et ad cælestia regna perducat. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XI Augusti MDCXIX, Pontificat. nostr. anno quarto ».

231. Ad episcopum demum Zagabriæ ¹ :

« Venerabili fratri Georgio, episcopo Zagabriæ.

« Venerab. frater, salutem et Apostolic. benedictionem. Christianæ charitatis affectus, pastoralisque servitutis commune nobis cum venerabilibus fratribus et episcopis nostris vinculum, non sinit nos expertes esse ejus lætitiæ, quam de illorum virtute conceptam animo percepimus. Itaque cum de tua eximia in Deum Omnipotentem pietate, religionisque Catholicæ studio, ac divini honoris zelo, multa constanti plurimorum fama ad nos allata essent; facien-

¹ Epist. lib. 3. Epist. 32.

¹ Epist. lib. 3. Epist. 31.

dum esse existimavimus, ut non solum quantopere hæc nobis grata accidissent, tibi significarem; sed tibi quoque de eis gratularemur; sed tibi quoque de eis gratularemur. Vera autem gratulatio est, quam non præsentis temporis, aut necessitas temporalis extorquet, aut terrena commendat utilitas; sed quæ de sanctis bonisque operibus suscepta, celestis mercedis gloriam sibi propositam habet. Quod enim in gubernando custodiendoque grege, fidei tuæ Omnipotenti Deo commisso, eam prudentiam vigilantiamque adhibes, ut bonorum operum tuorum fama istis Pannonici regni finibus non contenta, huc ad nos usque perleratur; hoc gaudendum esse in Domino cognoscimus. Itaque Redemptori nostro gratias agimus, qui inter cætera pietatis suæ dona, ita fraternitatem tuam Catholicæ religionis amore incendit, ut quidquid ad ejus conservationem propagationemque pertinere cognoscit, id et diligenter et alacriter exequi non desistat. Quamvis autem eum, qui, adjuvante Deo, ita sit animatus, supervacuum esse videatur magis hortari, lamem, quia te, inter cæteras tuas virtutes, fraternæ quoque hortationis verba libenter suscipere existimamus; idcirco hortamur, ut, quam ingressus es, ad cælum ferentem viam, ab ea ne iter tuum deflectas, donec eo quo contendis pervenias. Sit clero populoque tibi commisso, vitæ tuæ sanctitas, regula atque norma: ad quam actiones moresque suos uterque studeat conformare. Mali vitiorum pœnam, boni virtutum præmium, sibi a te expectandum esse intelligant. Hæreticorum venena ne gregem tuum inficiant, quanta potes diligentia contende. Quomius ea semper agas, quæ Deo beneplacita sunt, nullius de hominis metus deterreat. Nemo mercedem tuam evacuet. A nobis autem omnia fraternæ charitatis indicia semper expectato; de qua nostra erga te propensione cum hoc dilecto filio Francisco Dietalevio copiosius egimus, qui tibi has nostras litteras reddet, cui fidem habebis. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub anno Piscatoris, die undecima Augusti MDLXIX, Pontificatus nostri anno quarto ».

232. Exiit fors Francisco Dietalevio iste, qui Pontificis nomine, cum præmemoratis episcopis agere debuit, ille idem, qui Opusculum scripsit, cui titulus: *De concursu Dei ad actus liberos voluntatis humanæ*, Aloysio cardinali Capponio dicatum, ac Lugduni primo editum, sumptibus Horatii Cardoni anno MDCM.

233. *Interventio Apostolice conceditur potestas operam dandi regi Poloniae.* — Memorabiliora vero, præ his ea fuere, quæ hoc ipso anno in Poloniae regno evenerunt, ac præcipue in generalibus ejusdem regni Lublincensibus comitiis, quæ supremo anno, datis Epistolis, prævenisse Pontificem vidimus. In his res religionis varie acta est, licet Pius muneri suo certe minime defuerit, ut earum gentium spirituali

utilitati consuleret. Post Rogerium enim, Vincentium Porticum Lucensem, Apostolicum apud eum regem internuntium, ut diximus, miserat; cujus opera multa eaque præclara gessit, ita ut magnam inde integritatis, animi magnitudinis ac liberalitatis laudem obtinuerit. Ex his autem tam summæ integritatis quam munificentie insignibus monumentis, cum rex perspicue intellexisset, se ardenti sinceroque amore, ac ea charitate a Pio persecutum, quæ non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi; optavit, petiit, ac a Pio obtinuit, ut ipse Apostolicus internuntius, ad communem sui totiusque regni commodum regis negotiis interesset; et quidem (ut plura suadere videntur, id licet scriptores non explicant) in his præcipue Lublincensibus comitiis. Extat ipsius Pontificis, ea de re, ad præfatum Porticum, scripta Epistola, cum hac dumtaxat de causa tabellarium rex misit, datisque ad Pium litteris, id ab eo impetrare contendit.

« Dilecto filio, Vincentio Portico etc.

« Læta sumus vehementer, indeque Deo gratias egimus, cum intelligeremus, abs te cumulate satisfieri regis isti majestati. Id ipsum ab ea, de virtute tua judicari, quod jam antea nos quoque judicavimus. A nobis autem rex ipse petiit, ut quoties opera tua sibi fuerit opus, sive procurandis rebus humanis, sive aliis negotiis, ad istius regni tranquillitatem et pacem conficiendis, tuum vel consilium vel officium ei desiderari ne patiaris. Et quoniam genus hoc petitionis e sincero quodam optimoque proposito videtur proficisci, tam præclaro desiderio deesse nolimus. Quare mandamus tibi atque præcipimus, ut quoties postulatus fueris, ea diligentia ac fide illi deservias, qua nobis ipsis inservires. Datum Romæ tertio decim. kalend. Februarii MDLXIX, Pontif. nostr. anno quarto ».

234. Et magnum certe, ex mutua hac inter Pontificem ac regem benevolentia, religioni simul accessisse et reipublicæ commodum, idem scriptores referunt: quod, an verum fuerit, vel potius e contra gravia, nulloque pacto sancienda religioni et Ecclesiæ sint illata dispendia, quæ infra dicentur, ostendent. In his enim comitiis, in primis, scribunt, cautum est, ut hæreticis amotis, publica munera Catholicis mandarentur. Ut Stanislaus Hosium, Varmiensis episcopum, ac S. R. E. cardinalem, virum singulari doctrina nec dispari sanctitate præditum, rex honorificentius haberet, et in proximum sibi locum in senatum admitteret, cum prius, inter episcopos, tanquam Varmiensis dumtaxat præsul, septimus assideret. Interventio præterea Apostolice concederetur, ut ad regis dexteram semper et ubique esset. Factum insuper asserunt, ut sacra vectigalia, quæ ad

¹ Extat apud Gabut. et Calen. in Vit. Pii.

S. Petri patrimonium antiquo jure pertinerent, facilius ibi ac tutius exigi possent. Cum enim, jam inde ab anno MXXXVIII, ob datum Polonis Pontificio concessu regem Casimirum, qui monachus fuerat Cluniacensis, Apostolicae Sedi, quam eo tempore, Benedictus IX tenebat, viriliter gratis animis pendi cepissent, dehinc passim solvi desierant: quod Romani Pontifices pro tempore, Polonorum regibus, ad eas gentes in officio ac fide continendas, interdum condonare consueverunt, praesertim ab anno salutis MXXX. Sigismundus igitur, bonis omnibus annuentibus, ea Pontifici pendi statuit; ideoque Pontifex illa exigendi eo misit facultatem: tamen, ne res ad exitum perduceretur, variis intercedentibus hominum studiis, mox fuisse impedimentum tradunt: nonnullis Pio subjicientibus (inquit Gabutius¹) cavendum esse, ne id avaritiae specimen, apud eas gentes praese ferret. Itaque (subjungit) id damni Pius dissimulare maluit, quam vel ullam, licet injustam, cupiditatis, notam subire, vel pusillis animis querendi occasionem dari; quanquam non ignoraret in officio recte praestando, retinendoque jure suo, vel pusillorum querelis vel iniquorum calumniis impediri quemquam non oportere; sed aliquando, de jure suo nonnihil decedere, magnum esse compendium. Verum id non approbare Catena² videtur, dum scribit, facile eam cupiditatis notam forsitan declinare potuisse Pontificem, si haec Sedes Apostolica vectigalia, Ecclesiae atisque illius regni piis locis addidisset; praeterquamquod ita scite ac prudenter res curata fuerat, ut populus aequo animo futura se persoliturum proficeretur, dummodo de praeritis absolveretur.

235. *Monita Pontificis ad episcopos in comitiis Lublinsibus.* — Magis vero, quam his, quae fere cuncta temporalia et caeremonialia videbantur, spiritualibus Pontifex, licet infausto exitu, incubuerat; nam, praeter eas, quas praeterito anno illius Epistolas dedimus, praesentis initio ad plures ac praecipuos regni episcopos, in praefatis comitiis congregandos, pariter scripsit, ut ad Catholicam fidei defensionem, Ecclesiasticaeque disciplinae ac morum correctionem, et ad sacri Tridentini Concilii decretorum executionem hortaretur. Nonnullas dumtaxat hic ponere sufficiat:

« Venerabili fratri Philippo, episcopo Cracoviensi³.

PIUS PAPA V.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Sollicitudo pastoralis admonet, et temporum conditio nos cogit, cum istius regni comitia, aut jam futura esse, aut non ita

pridem incœpisse intelligamus; ut fraternitatem tuam, sicuti ceteros quoque fratres, iisdem comitiis interfuturos, hortemur, ad officium suum Catholicæ fidei defensionem tam necessario tempore praestandum. Scimus enim hæreticorum atque Ecclesiastici ordinis adversariorum eam esse consuetudinem, ut oblata sibi inujusmodi conventuum occasione, semper aliquid contra religionem Catholicam, atque ad hujus S. Sedis, quæ omnium Ecclesiarum caput et magistra est, obedientiam subtrahendam moliantur. Quorum pernicioso conatibus, quo tua major est apud regem auctoritas, et quo eruditione atque eloquentia cæteris tui Ordinis prælatibus antecellis, eo constantius ac fortius obsistere atque obviam ire debebis. Id autem tibi cæterisque fratribus nostris episcopis eo faciendum est confidentius, quod charissimi nobis in Christo filii regis ea voluntas nobis significatur, et illud Catholicæ religionis studium, ut in ejus defensione, a tot nobilissimis progenitoribus suis, Catholicis regibus, nunquam degeneraturus esse credatur. Et si quid, (quod Deus avertat) in istis comitiis acciderit, ex quo religio Catholica, et Apostolicæ Sedis auctoritas, aliqua ex parte læsa fuerit; id, non regi imputandum nobis sit, sed, aut timori, aut negligentiae vestrae assignandum. Quod si idem etiam periculum vobis, Ecclesiasticam libertatem adversus impios hæreticorum conatus defendentibus, immineret; unanimiter obsistentes, etiam monendo debetis ostendere, vos in communi Ecclesiae Catholicae damno vestrum specialiter aliquid non amare; ne a patribus illis nostris degeneretis, qui sanguinem suum pro ejusmodi causis sæpe profuderunt. Audi enim, frater, omnium Apostolorum Principem dicentem: *Si quid patientini propter justitiam, beati eritis.* Crede mihi, vitam, quam ideo accepimus, ut eam pro Dei honore veraque religionis cultu libenter Omnipotenti Deo offeramus, si necessitatis causa exigat, securius pro eodem Deo relinquimus quam retinemus. Praestabit autem vires Omnipotens Deus, Redemptor noster, fraternitati lææ cæterisque fratribus, in eodem conventu alluturis; si modo vos dignum vobis, hoc est, Catholicis Ecclesiarum pastoribus, animum sacerdotalemque vigorem capiat. Quam ad rem fraternitatem tuam ita hortamur atque excitamus, ut nec majore animi nostri studio, nec ardentiori desiderio hortari atque excitare possimus. Meminisse te quidem officii tui credimus, nec commissurum putamus, ut nullo, aut metu, aut ignavia, sacerdotalem dignitatem deseras; sed nostrum tamen ipsi officium prætermittere nolumus, scientes, ut tibi de tuo, sic nobis de nostro, aeterno illi Judici rationem reddendam fore. Et quia satis constat, malos sacerdotes populorum esse ruinam, manifestissimaque res est, tot hæresum mala, non aliunde, quam a pravis corru-

¹ Gabut. in Vit. Pii. — ² Catena in Vit. Pii. — ³ Apud Goub. lib. 3. Epist. prima.

ptisque clericorum moribus originem habuisse; ideo fraternitatem tuam monemus, et per viscera misericordiæ Dei obtestamur, ut sicuti dignum est, officio suo ad cleri sui mores corrigendos, omni diligentia incumbat; sibi que persuadeat, ad revocandam veterem Ecclesiæ dignitatem, propter hanc ipsam morum in clericis viris corruptionem, in summum fere hominum omnium contemptum adductam, nullum aliud præter hoc remedium inveniri posse. Verissima enim est illa B. Gregorii, prædecessoris nostri sententia, in qua sacerdotalem ordinem, cum intus ceciderit, foris quoque diu stare non posse affirmavit. Cadunt enim intus sacerdotes, cum, justitia, castitate, integritate, honestateque morum derelicta, contraria suæ professioni instituta moresque sectantur. Intus autem cadentes, foris stare non possunt; propterea quod populus, qui in his qui sibi præsent, non tam doctrinam attendit, quam facta et mores contemplatur et spectat, ubi eos, quorum integritas sibi ad bene honesteque vivendum exemplo esse debeat, depravatis corruptisque vivere moribus videt, facile illorum exemplo ad deteriora convertitur. Corrighendi autem mores nulla melior iniri potest a fraternitate tua ratio, quam, si omnia tua industria elaboras, ut quæ tam pie ac provide, in sancta generali Tridentina Synodo decreta fuerunt, ea diligenter fideliterque in tua Ecclesia servari cures. Quam ad rem ita te hortamur atque incitamus, ut nihil æque cupiamus, ac te in hac re, et Dei honori, et officio tuo, et desiderio nostro satisfacere. Et quamvis sperabamus, pro eo, quod fidei tuæ creditum est munere, te minime prætermisurum esse, quin Ecclesiæ tuæ in re tam salutari provideres; tamen, quamvis currenti tibi fraternæ hortationis nostræ, tanquam calcem admovendum duximus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub anno Piscatoris, die xvii Januarii MDCXIX, Pontific. nostr. ann. quarto ».

238. Ad episcopum autem Præmiliensem :
« Venerabili fratri Valentino, episcopo Præmiliensi.

« Venerabilis frater etc. Cum non sine causa suspicandum sit, hoc tempore, quo istius regni comitia, aut jam futura esse, aut non ita pridem incæpisse intelligimus, hæreticos atque Ecclesiastici ordinis adversarios, si qui forte in isto conventu affuturi sunt, hac oblata occasione, ut solent, aliquid molitoris esse adversus religionem Catholicam, coegit nos pastoralis sollicitudo, divini que honoris studium, fraternitatem tuam, cæterosque istius regni episcopos hortari ac monere, ut tam necessario tempore vestrum officium præstetis. Qua in re, quo tua, frater, major est pietas, quo eruditio præstantior et Catholicæ religionis zelus ardentior, eo magis studere debebis, ut eorum conatibus, pro tua parte constanter fortiterque obsistas atque ob-

viam eas, nec pro Dei honore Dominicarumque ovium salute ullam contentionem effugias. Turpe enim atque indignum futurum esset, si paratioris hæretici ad Catholicam fidem oppugnandam, quam ad eam defendendam Catholici invenirentur. Quod si unusquisque vestrum secum reputabit, quando sanctissimorum martyrum innocenissimarumque virginum sanguine hæc ipsa Catholica fundata sit fides, et religio Christiana constituta; nullum arbitrabitur se Omnipotenti Deo acceptius obsequium præstare posse, quam si hoc tempore, pro defensione ejusdem religionis, si modo occasio tulerit, sanguinem suum profuderit. Regis quidem ipsius ea voluntas, isque in Romanam Ecclesiam Sanctamque hanc Sedem animus nobis significatur, ut nunquam e tot nobilissimis progenitoribus suis regibus vere Catholicis degeneraturus esse credatur : ut, nisi per vos steterit, ad quos Ecclesiastici ordinis, Apostolicæque Sedis spectat defensio, sperare possimus, nullum hæreticos aditum habituros esse, ad sua nefaria consilia exequenda. Fidei vero Catholica in istis comitiis adversus hæreticos defendenda, spem, magna ex parte, in tua, frater, singulari pietate, præstantique doctrina, religionisque Catholicæ zelo nobis haud ignoto, repositam habemus; quem quidem, debitis prosequentes in Domino laudibus, pro eo Omnipotenti Deo gratias agimus, qui in tanta hæreticorum peste, tam firmum nobis fraternitatis tuæ in isto regno præsidium subsidiumque reliquit. Labora itaque, frater charissime, et ita totam mentis et cordis, ad defendendam hujus Apostolicæ Sedis auctoritatem, efficaciam dirige, ut dignus sis, qui in futuro sæculo vocem illam audias; *Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui*; et tot ab humani generis Salvatore remunerationes accipias, quot ei lucra præstiteris animarum. Quod putabamus quidem fraternitatem tuam sua sponte facturam esse; sed tamen, pro nostri muneris officio, piam voluntatem tuam, fraterna hortatione nostra duximus incitandam. Hortamur præterea fraternitatem tuam, ut quoniam pro sua prudentia intelligit, sacerdotum et laicorum inhonestam probrosamque vitam omnium hæresum causam, et quasi semen quoddam fuisse, omnibus studii sui viribus, in eam curam incumbat, ut quæ corrigenda in clero suo invenerit, ea sine ullius respectu personæ, adhibita etiam, si necesse est, severitate corrigat; credatque nobis id, quod et res ipsa loquitur, et fraternitas tua quoque videt, sacerdotum correctionem veram esse laicorum instructionem. Si enim populus in sacerdotibus bonos incorruptosque mores viderit, eos imitari festinat; exemplo hæretici, cum eis nulla amplius de clericorum vita male sentiendi loquendi que relinquatur occasio, adjuvante Deo, errorem

suum recognoscentes, ad S. Matris Ecclesiæ gremio revertentur. Hanc vero cleri tui morum correctionem nulla facilius obtinere poteris ratione, quam, si quæ tam pie, provide et salubriter in S. generali Synodo Tridentina decreta sunt, et Apostolicæ Sedis auctoritate confirmata, et ubique servari jussa, hæc tu quoque, frater, pro tua erga S. hanc Sedem reverentia devotionisque constantia, fideliter servari curabis. Quam quidem ad rem, cum fraternitatem tuam, ut facimus, vehementer hortamur atque excitamus; non sane pietati tuæ aut fidei Catholicæ studio quidquam diffidimus, sed tum ipsi officio nostro fungimur, tum fraternitatis tuæ his honestissimis actionibus merita apud Omnipotentem Deum crescere cupimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xvii Januarii m̄l̄xix, Pontificatus nostr. ann. quarto ».

239. Ad episcopum Posnaniensem :

« Venerabili fratri Adamo, episcopo Posnaniensi.

« Venerabilis fr. etc. Etsi, pro tua spectata bonitate et singulari Catholicæ religionis studio, hoc tempore, quo istius regni comitia, aut jam futura esse, aut non ita pridem incœpisse intelligimus, omnia a fraternitate tua boni fidelisque pastoris officia expectabamus, tamen visum est nobis, cum reliquos fratres tuos ac nostros, ad præstandum suum officium, pro Catholicæ fidei Ecclesiasticæque libertatis defensione in istis comitiis hortaremur, fraternitatem tuam quoque, ad idem magis pro nostri officii ratione hortari, non quod eam rem necessariam esse putaremus. Nota est enim nobis propensa in nos Sanctamque hanc Sedem voluntas tua, atque animus, Catholico præsele dignus. Scimus quantopere Rom. Ecclesiam Catholicosque omnes in isto regno adversus hæreticorum pravitatem lueri soleas; eaque de re, sicut fraternitatem tuam vehementer in Domino laudamus, ita etiam Omnipotenti Deo gratias agimus, qui in tantis Ecclesiæ suæ persecutionibus, tam firmum in tua pietate diviniq; honoris zeto solatium nobis reservavit. Sed tamen novit tua fraternitas hæreticorum morem ac consuetudinem in istis conventibus, quorum oblata occasione, aliquid semper novum moliantur; vel adversus sanctissimas Ecclesiæ Constitutiones; vel ad confirmandam hæresum suarum pestem; vel ad hujus S. Sedis majestatem auctoritalemque minuendam; quod idem si nunc facere tentarent, tuæ partes erunt, eorum perniciosi conatibus constanter ac fortiter obsistere atque obviam ire. Id autem, et fraternitas tua, ac reliqui fratres facere debent studiosius et confidentius, quod clarissimi in Christo nobis filii regis, Catholicæ religionis studium, et propensa erga nos Sanctamque hanc Sedem voluntas, significatur, et animus

majoribus suis nobilissimis regibus Catholicis dignus: ut si quid evenerit in istis comitiis, quod ordini Ecclesiastico et Apostolicæ Sedis dignitati ac auctoritati, cujus vos acerrimi defensores esse debetis, detrimentum aliquod afferat; id, non regis jam voluntati, sed aut timori, aut negligentia vestræ tribuendum a nobis sit. Vides adversarium nostrum Diabolum, tanquam leonem rugientem, non jam, ut solebat, caulas Dominici gregis circumire; sed ita valide, in quibusdam Ecclesiæ necessariis membris dentes figere, ut, nisi unanimitè, favente Domino, ad succurrendum cunctorum provida pastorum turba concurrat, omne, quod absit, citissime ovile dilaniaturus sit. Proinde, frater, hoc tam necessario tempore ministerium tuum honorifica, in quo etiam, si tibi optenda mors, et sanguis profundendus esset, optime ac præclare Deum Omnipotentem tecum egisse debes existimare. Sed si, sacerdotali vigore assumpto, concorditer omnes ad fidei Catholicæ defensionem conspirabitis; speramus, vos, adjuvante Deo, omnia impiorum hæreticorumque consilia disturbaturos esse; ad quod fraternitatem tuam ita hortamur atque excitamus, ut, neque acrius neque studiosius hortari aut excitare possimus. Quia vero tot tantarumque hæresum pesti animarumque jacuræ, impuram et turpem Ecclesiasticorum hominum vitam, causam in primis dedisse constat; ideo corrigendis cleri tui moribus, huic te, frater, malo obviam ire necesse est. Populi enim, non quod Ecclesiastici doceant, sed quemadmodum vivant, intueri solent; et quorum vitam turpem esse vident, horum ne meliorem putant esse doctrinam. Ut igitur idcirco creverunt hæreses, quia mali eas sacerdotes suis perditis moribus aluerunt, sic, adjuvante Deo, sperandum est fore, ut iisdem sacerdotibus pie, caste sobrieque viventibus, hæreses minuantur. Nihil autem ad vitæ integritatem in clero tuo revocandam æque prodesse potest, quam, si, quo tam pie, provide ac salubriter in sancta generali Tridentina Synodo decreta sunt, et ubique servari jussa, hæc fraternitas tua, omnia sua vigilantia, sine ullius personæ respectu, curet ab omnibus in Ecclesia sua observari. Ac nos quidem fraternitati tuæ curæ esse confidebamus, ut et hoc, et quidquid aliud in clero suo, ad Dei honorem animarumque salutem spectat, diligenter exequeretur; sed tamen, cum cæteros fratres nostros, istius regni episcopos, ad fungendum tam necessario ac debito officio excitarem; te quoque, ut in hanc curam incumberes, admonendum duximus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xvii Januarii m̄l̄xix, Pontific. nostr. anno iv ».

240. Ad episcopum vero Gnesnensem, qui magis hortationibus suis, ut Catholicæ religionis rem ageret, indigebat, scripsit :

«Venerabili fratri, archiepiscopo Gnesnensi¹».

PIUS PAPA V.

«Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Commissi nobis officii sollicitudo, et divini zelus honoris cogit nos, hoc tempore, quo istius regni comitia, aut jam futura esse, aut non ita pridem incopisse intelligimus, fraternitatem tuam in primis, et cæteros istius regni episcopos vehementer hortari, ut jam necessario tempore officium vestrum, Deo, pro Catholica religionis defensione præstetis. Ea enim est hæreticorum consuetudo, ut, oblata hujusmodi conventuum occasione, conentur aliquas semper actiones introducere, quibus ad confirmandam augendamque hæresum pestem, vel decretum aliquod extorqueant, vel aliquid aliud ad illud obedientiæ fundamentum subtrahendum moliantur, sine quo reliquum Ecclesiæ ædificium stare non potest. Horum perniciosos conatibus, si qui forte (quod Deus avertat) fuerint, qui tantis Ecclesiæ Catholicæ persecutionibus adhuc non contenti, majorem etiam ei detrimenta inferre conentur: te et reliquos fratres nostros episcopos, una mente constanter et fortiter ire obviam et obsistere oportebit, ne tanquam muti canes videamini, non valentes adversus lupos latrare. Qua in re præstanda, tuæ peculiari partes erunt, qui, ut istius regni primus existis, ita hortator et dux eis et reliquis Catholicis, ad resistendum hæreticorum audaciæ esse debes; ut, quam huic, et omnium Christi fidelium matri Ecclesiæ pietatem debes, eandem ei, tanquam pius filius, tam necessario tempore rependas atque retribuas. Id autem eo fidentius tibi reliquisque fratribus faciendum est; quod charissimus nobis in Christo filius rex egregius, Catholicæ religionis studium, devotamque atque propensam erga Sedem hanc Apostolicam voluntatem suam, nobilissimis regibus progenitoribus suis dignam, quorum in fidei Catholicæ defensione, singularis semper enituit virtus, non obscure significat. Et, si quid in istis comitiis acciderit, ex quo Catholica fides, et hæc ipsa Sancta Sedes detrimentum aliquod patiat; hujus rei culpa non regis voluntati assignanda, sed tuæ et reliquorum fratrum negligentia et socordia imputanda esse videatur. Speramus tamen, si inter vos, ut debetis, consentientes, omni humano respectu postposito, sacerdotali vigore, ad defendendam Ecclesiasticam libertatem conspiraveritis, Deo favente, eorum omnium consilia vos esse disturbataros, qui eam oppugnare, aut minuere, aut alia quavis ratione lædere vellent. Turpe enim tibi et reliquis fratribus, indignumque esset, si paratiores hæretici ad fidem Catholicam oppugnandam,

quam vos ad defendendam inveniremini. Quod si memineris Omnipotenti Deo reddendam esse abs te officii tui rationem; certe nihil prætermittes, hoc tempore, earum rerum, quæ abs te in illo districto iudicii sui die, justus ille iudex requisiturus est, etiamsi tibi, tanquam bono fidelique pastori, pro grege tibi commissio anima ipsa ponenda esset: quod, ut gloriosum tibi esset, sic oblata occasione, non modo non devitandum, sed etiam ultro appetendum est. Eandem rationem, quia ipsi quoque de nostro reddituros esse officio meminimus; idcirco, nec volumus, nec debuimus ullo modo prætermittere, quin te fraterna charitate moneremus, quid tali tempore facere debeat: ut quod te tua sponte, pro tuo officio facturum esse confidebamus, nostro admonitu acrius tibi ac diligentius faciendum esse existimes. Et quoniam tot tamque multiplicium hæresum venenis causam et materiam maxime præbuerunt pastorum negligentia et cleri mores depravati atque corrupti, qua ex re imminuta est laicorum devotio et adaucta vivendi licentia; proinde fraternitatem tuam rogamus, et sub divini obstestatione iudicii monemus, ut ad avertenda divinæ iræ flagella, quæ ob tot tantaque peccata (nisi obviam per eos qui possunt et debent eatur) maxime timenda expectandaque sunt, ad cleri sui mores corrigendos reformandosque, omni vigilantia incumbat; ut vitatis diligenter omnibus his, quæ laicorum animos atque oculos offendere possunt, sacerdotes ipsi pristinam populorum erga se reverentiam ac devotionem aliquando recuperare valeant. Hoc enim solum et unicum remedium est, ad tot tantaque Ecclesiæ vulnera sananda. Ad hoc autem efficiendum, atque ita placandum Deum, nihil æque valebit, ac decretorum sanctæ generalis Synodi Tridentinæ fidelis ac diligens observatio. In qua, adeo mature, pie ac provide, Deo auctore, constituta decretaque sunt, et Apostolica Sedis auctoritate confirmata, et ubique observari jussa: hæc omni tuo studio enitere, ut ad effectum maxime adducantur. Nihil facere potest fraternitas tua, neque Deo gratius, neque nobis acceptius, neque sibi ipsi gloriosius, neque animæ suæ salutaris. Hoc si fecerit, quemadmodum eam facturam speramus, cum ad æternum illum pastorem venerit, non mercenariorum negligentiorumque pastorum pœnas, sed fidelium et bonorum servorum laudes et præmia accipere merebitur. Hæc pluribus fraternitatem tuam hortati sumus, non suæ voluntati aut studio erga Ecclesiam fidei suæ creditam diffidentes, sed paterni animi nostri affectum, et omnium Ecclesiarum sollicitudinem testificantes. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xvii Januarii m̄l̄xix, Pontific. nostri anno quarto».

244. Sed, cum nemo reperiretur, cui tutius

¹ Ut supra Epist. 3.

religionis res committendæ essent, quam cardinali Hosio; præclaram idcirco ad eum hanc Epistolam dedit :

« Dilecto filio nostro Stanislaò, cardinali.

PIUS PAPA V.

« Dilecte etc. Quamvis quominus ad istius regni comitia proficiscaris, sciebamus, te, et ælate jam affecta, et viarum difficultatibus, hoc præsertim anni tempore, et faciendorum itinerum incommodis non mediocriter neque immerito retardari, tamen existimabamus, egregio illo tuo fidei Catholicæ studio, et singulari divini honoris zelo valde te excitatum iri, ad operam tuam Omnipotentis Deo, atque ejus sanctissimæ Ecclesiæ et Ecclesiastico Ordini, hoc tam necessario tempore navandam; in quo tamen circumspectionem tuam suæ valetudinis, de qua, ut par est, magnam sollicitudinem paternam gerimus, habere rationem volumus. Cujus valetudinis si absque detrimento facere potes, ut non idcirco vitæ periculum adeas, rogamus te, ut ad ea comitia proficiscaris; futurum enim speramus, cum in eis, omni studio, cura et diligentia hæreticorum consilii occurreris, et ad religionem Catholicam tuendam toto animo incubueris; ut exemplo tuo Catholicis omnibus ad id faciendum animos augeas. Quia vero tua prudentia hæreticorum technas omnes optime nosti; pro tua vero in Deum pietate, hortatione nostra non eges; nihil necesse esse nos tibi, aut specialiter super hac re scribere, aut circumspectionem tuam pluribus verbis hortari; scimus enim te et cum serenissimo rege, cujus optima ad nos voluntas affertur; et cum istius regni episcopis fratribus nostris, quos diligenter hortati sumus per litteras, ad præstandum fideliter Deo et gregibus sibi commissis officium suum; et cum laicis Catholicis, iisdem comitiis de more interfuturis, functum esse omnibus his officiis, quæ pietate erga Deum tua, et fide ac devotione erga Sedem Apostolicam, cujus honorabile membrum, et firmissima quasi columna es, digna sunt. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvii Januarii MDCXIX, Pontific. nostr. ann. iv ».

242. *Reclamante licet Pontifice, Sigismundus Poloniae rex Albertum Borussiae ducem creat, et regale Poloniae jus in discrimen adducit.* — At licet in Lublinsibus his comitiis, episcopi sacriæ Ordinis alii, pro Catholicæ religionis defensione, ac Ecclesiæ juribus (uti credere, ex parte saltem, æquum est), munere suo perfuncti sint; non tamen Pontificis expectationi respondit studium, devotaque atque propensa, quam significaverat erga Apostolicam Sedem, regis voluntas. Nam, ut narrat Thuanus, Neugebavarus et alii, in his comitiis Albertus Fridericus Borussiae dux adolescens, in demortui patris locum, feudum, et Ducatus Borussiae

insignia, a rege eodem, solemnî cæremonia accepit; simulque conjunctam, petentibus ipsius ducatus investituram per legatos, Marchione Georgio Friderico Anspacensi, Alberti Friderici patruele, et Joachimo Secundo Brandeburgico electore sobrino, pariter concessit. Quod nempe in magnam Romanæ Ecclesiæ perniciem factum, res ipsa declarat. Cum enim Borussia quondam Apostolicæ Sedis ditio esset, in qua Pontificius quæstor considebat, eamque Albertus marchio Brandeburgensis, nefarie sumpto ducis titulo sub anno MDCXXI, abjecto Theutonici Ordinis cui præerat Magistri nomine, occupasset, ei hæreditario jure præsens hic filius minime idcirco licite succedere poterat; tum quod violenter ac impie præreptam a prædone patre alienam regionem nullo jure obtinere deberet; tum quod hic hæreticus Sacramentarius episcopus et abbatias suppresserat, earumque redditus in propriis usus sacrilege converterat; unde ex facinorum acerbitate in res sacras admissorum, merito potius, ac ex legibus, tum divinis, tum humanis, ditioe omni spoliandus rite cognoscebatur. Sigismundus nihilominus alienarum rerum magnificus ac liberalissimus dispensator, scelus auctoritate sua firmavit, eo, ut diximus, his in comitiis Duce Borussiae solemnî admodum pompa creato, fastra reclamante Pontifice; qui tantum obtinuit, ut quod Apostolica Sedes in Borussia habere juris, in conventu eo denuntiaretur, ac ut denuntiatio ipsa, publicis tabulis consignaretur, ut Gabulius¹ scribit. Quibus addit Catena², impetratum quoque fuisse, ut decretum infirmaretur, quo, priusquam ad comitia Apostolicus nuntius pervenisset, sancitum fuerat, ut abbatiarum et episcopatuum anni redditus, in posterum Romæ Pontificibus non persolverentur; obtenta in favorem episcopi Ploskensis sententia, qua declarabatur, usque eo vestigal illud rite Pontificibus persolvisse ac deinceps persoluturum.

243. Ad istius Brandeburgici Alberti in Borussiae ducem creationis scelus, alia quoque Sigismundus addidit; nam, ut narrat Thuanus et alii, peculiari Diplomate novum Ducem et alii, peculiari Diplomate novum Ducem et omnes illius subditos, in Confessionis Augustanæ doctrina conservaturum, pro se ac successoribus suis ipse pollicitus est. Verum, reclamante Pio, qui ostendit, quantum Catholicæ veritati pestilens esset id regia auctoritate decerni; decretum illud antiquatum fuisse ac abrogatum, scribit Spondanus. At alii scriptores, qui de decreto ipso verba faciunt, abrogationem reticent. Gabulius³ vero, qui ista penitus præterit, dumtaxat de ipso Sigismundo agens, hæc scribit : « Ad extremum rex, ut rectam suam in Deum fidem atque in Pontificem Pium observantiam testaretur, hæreticam omnem pravitatem

¹ Gabul. lib. 3. cap. 10. — ² Caten. Vit. Pii pag. 122. — ³ Ut supra.

tem in dies magis execratus, cum per tabulas duorum testium firmatas fide, regioque signo præsumptas, se in omni vila Catholicam religionem, ut antea professurum, nec ullam ejusdem religionis immutationem unquam in regno suo permissurum esse Pio spondidisset, easque obsignatas ad eum tabulas misisset; ad hoc ipsum magis etiam confirmandum, die Cæne Dominicæ sacro, magna pii populi lætitia, publice Catholico ritu communicaverit. Sed ista, quæ ad Pontificis animum, justa indignatione commotum, delinquentem, facta a rege agnoscentur; ad ipsum potius Poloniæ regnum pertinere, in quo tam segniter religionis res curatæ non sunt; non ad ea, quæ in tradito Borussia Ducatu sancita fuerunt, spectare videntur. At de his etiam inferius.

244. Eodem vero tempore, quo Dei et Catholicæ religionis causam ita neglexit Sigismundus, regali quoque suo Polonici regni juri haud parum imprudenter detraxit; nam alio pariter Diplomate statuit, ne superstite eo principe, quisquam nobilium ad regem provocaret, nisi injusta hac notoria violentia a principe ipso enormiter læsus; et nisi justitiæ administratio illi denegata fuisset, vel in privatis litibus, pro revisione actorum supplicans, aut ad judicium parium curiæ provocans, etiam plebeiis non admitteretur. Quo factum est, assuebo hæresum more, ut sic paulatim, qui Ecclesiæ Catholicæ jugum excusserant, Borussia duces, regale quoque deinceps omnino abjicere possent; quod opere primum, deinde etiam nomine effecisse comperimus, dum novissimis nostris hæc temporibus, a Leopoldo Primo imperatore, regale diadema impetrarunt: nulla ulterius jurium Poloniæ regum habita ratione uti, nec ille qui honorem contulit, neque illi quibus delatus est, habuerunt Romanæ Ecclesiæ, contra quem frustra pugnâvit verbis Borussiaensis aulicus quidam, improbissimo libro edito, Germanico idiomate; cujus audaciam ac ineptias, cum luculenter retuderint scriptores nostri, nos hic illas commemorare superfluum judicamus.

245. *Obsistit Pontifex regi et episcopis Poloniæ, qui præscripta Concilii Tridentini labefactare tentant, nedum exequantur.* — Pro eo autem, quod in his ipsis comitiis, sacri Tridentini Concilii decreta in mores amplius induci, tum rex, tum episcopi curent, ut Pontifex monuerat, ab aliis in nonnullis recedere potius student; quod, ut sibi liceret, pluribus ab illo impetrare contendunt. At frustra id tentatum cum Pio, justitiæ ac sacrarum legum acerrimo protectore una ac defensore; ut videre est ex sequentibus litteris, quibus ad illorum postulata respondit. Et primo quidem ad regem, etiam ante comitia talia efflagitantem, deinde ad episcopos omnes, in comitiis congregatos rescripsit :

« Charissimo in Christo filio nostro, Sigismundo Augusto, regi Poloniæ illustri ¹.

PIUS PP. V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Quo magis majestatem tuam inter reges Catholicos præcipue diligimus, tuisque desideriis, quantum cum Domino possumus, semper satisfacere cupimus; eo magis nobis molestum est, si quando accidit, ut ea postulet a nobis, quæ pro officii propositique nostri ratione concedere nullo modo possumus. Quod igitur postulationi tuæ pro Melello Venturello canonico Vislicensi, nunc non satisfacimus, quem tuis ad nos litteris, die v Decembris scriptis, diligenter nobis commendasti: sciat majestas tua, illam esse causam, quod nos, justissimis de causis adducti, quæ ad Dei honorem animarumque salutem maxime pertinent, nunquam consuevimus de beneficiis, quæ vacatura sunt, cujusquam rogatu, alicui aliquid, aut concedere, aut polliceri, vel quavis alia ratione spem aut expectationem facere. Sed tamen, si is, quem tua nobis majestas commendavit, et quem nobis aliqui (maxime vero ob testimonium illi a te datum) verum, bonum, et sacerdotem pium, et Ecclesiæ Dei, ut scribis, utilem existimamus, operam dabit, ut in notitiam cognitionemque nostram perveniat; majestati tuæ indicamus, nos in his, quæ, pro tempore, nobis oblatæ fuerint, occasionibus, eam illius rationem esse habituros, ut re ipsa intellecturus sit, commendationem sibi majestatis tuæ plurimum profuisse; cui, pro singulari suo Catholicæ religionis studio paternaque nostra benevolentia, parati erimus gratificari semper in omnibus aliis rebus, quibus sine Dei offensa, et salva nostra conscientia, poterimus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die x Februarii MDLXIX, Pontific. nostr. ann. quarto ».

246. Alia ad eundem :

« Charissimo in Christo filio nostro, Sigismundo Augusto, regi Poloniæ illustri ².

PIUS PAPA V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Pluribus majestatis tuæ litteris, quas, non unis neque diebus neque mensibus datas, eodem fere tempore accepimus, rerum ipsarum potius quam litterarum suarum ordine servato, respondebimus. Et primum, quod de beneficiorum animarum curam non habentium reservatione, dilecto filio Simoni, præposito Miechoviensi concedenda, ad nos scribit; majestati tuæ persuasum esse volumus, nos, et nostræ erga illam paternæ bene-

¹ Apud Goub. Epist. lib. 3. Epist. 8. — ² Ut supra Epist. 35.

volentia, et suae majorumque suorum inelyta memoria regum erga nos Sanctamque hanc Sedem observantiae tantum tribuere, ut in beneficiis quae vacare contingerit, conferendis, magnam semper suae, non solum commendationis, sed etiam voluntatis rationem simus habituri. Beneficiorum vero vacaturorum reservationes, toto Pontificatus nostri tempore, neque cuiquam concessimus, neque concedendas esse arbitramur; quod eas, salva conscientia, concedi non posse pro comperto habemus. Quod vero aliis litteris majestas sua a nobis petit, et quod semel, de pluribus beneficiis obtinendis, et de non residendo, a felic. record. Pio IV praedecessore nostro, et a nobis ipsis Gnesensi provincia, ad certum finitumque tempus (quod praeteriisse dicitur) indultum est, id, ut iterum prorogare atque indulgere velimus; hoc postulatum ejusmodi est, ut in eo majestati tuae, salva conscientiae nostrae securitate, satisfacere nullo modo amplius possimus. Nam praeterquamquod his rebus, quae temporis causa indulgentur, adhiberi modum aequum est; illud praeterea nobis videndum est, ne quid contra animarum, nobis ab Omnipotenti Deo commissarum, salutem, cujusquam rogatu indulgeamus. Quomodo enim animarum salutem a nobis consulitur, si eos, quos Deus pastores curatoresque earum constituit, a proprii gregis cura longe abesse, non modo palimur, sed etiam concedimus? Nam plurium obtinendorum beneficiorum facultatis concedendae eadem ratio esse videtur, ut nec sine animarum pernicie, nec sine Ecclesiarum servitutis detrimonio concedi possit; aut enim curam animarum habent, quae pluribus uni eidemque homini beneficiis mandandis, propterea negligitur, quia unus pluribus recte fideliterque regendis beneficiis par esse non potest; aut residentiam servitutemque exposcunt, quae pluribus adhiberi locis, eodem tempore non potest. In beneficiis autem simplicibus, quae neque curam animarum gerunt, neque residentiam exposcunt, majestati tuae satisfacere volumus, cui etiam, de revocando suo beneplacito, circa decanatum Ploecensis Ecclesiae gratificamur; nostramque ad majestatis tuae voluntatem, ut scribit, benigne accommodamus; sperantes, cum juvenem, cui majestas tua praedictum contulit decanatum, adjuvante Deo, talem perpetuo fore, qualem esse ad nos scripsit. Quod reliquum est et extremum, dilectum filium, Stanislaum canonicum Cracoviensem, quem a secretis suis majestas tua Neapolim ad res suas agendas misit; cum ad nos venisset, et libenter vidimus, et quae nobis suo nomine retulit, ea qua decuit benignitate cognovimus; pro nostro erga majestatem tuam amore paterno, daturi semper operam, ut quibus rebus cum Domino poterimus, majestatis tuae desideriis semper satisfaciamus. Datum Romae, apud S. Pe-

trum, sub annulo Piscatoris, die v Decembris MDLXIX, Pontificatus nostri anno quarto ».

247. Ad episcopos vero, in Lublinensi conventu coactos, super ea fere, quae rex postulaverat, quae et ipsi, illo forte instigante, deprecabantur, acrius in hunc modum respondit¹:

« Venerabilis fratribus, Jacobo, archiepiscopo Gnesensi legato nato, regni Poloniae primati, et reliquis ejusdem regni episcopis, Lublini in comitiis congregatis.

PIUS PP. V.

« Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam benedictionem. Litteras vestras, decima sexta Junii Lublini datas accepimus, quibus a nobis postulavistis, ut cum Ecclesiarum vestrarum clero, super pluribus beneficiis non obtinendis, et super residentia (quae duo nuper sacrosancti generalis Tridentini Concilii decretis sancita sunt) Apostolica auctoritate vel dispensare, vel eorumdem decretorum executionem in longius tempus differre velimus. Quibus quidem vestris postulatis, salva conscientia nostra, satisfacere non possumus, ob eas causas, quas ad serenissimum quoque regem vestrum scripsimus, qui eadem de re diligentissime nobiscum per litteras egit. Earum autem causarum summa haec est, quod, et in his, quae temporis causa, semel ad certum finitumque tempus indulta sunt, adhiberi modum decet, ne res in infinitum serpat; et nos, pro commissa nobis ab Omnipotenti Deo animarum omnium sollicitudine, diligenter attendere debemus, ne quid contra earum salutem atque utilitatem concedamus; cujus nos rei culpam certe non effugeremus, si haec quae a nobis petitis concedenda esse judicaremus. Quocirca fraternitates vestras, vehementer in Domino hortamur, uti sui officii memores, rerumque terrenarum curam remittentes, ad caelestia et aeterna respiciant atque aspirent. Considerate, hominibus sacerdotibus, quorum vita caeteris ad bene vivendum, tanquam exemplar quoddam proposita esse debet, nihil minus, quam rerum fragilium et caducarum cupiditatem convenire. Si enim animus vester ibi est ubi esse debet, non humana, neque ea quae hic apud nos sunt, sed caelestia et quae sursum sunt sapere debetis; nam, si quae vobis laborum praemia in Caelis reposita sint, diligenter attendetis, omnia ea, quae in terris quaeritis, praeter illis vilia existimabitis. Inardescat ergo animus vester, ad ea quaerenda, quae vere bona sunt, ne, dum bonorum umbram sectamini, solida et sincera bona amittatis. Estote potius de vestris animabus quam de terrenis commodis, fratres, solliciti, et commisso fidei vestrae gregi vigilantiam quam debetis impendite; cupiditati et caeteris occultis

¹ Ut supra Epist. 36.

adversarii nostri fraudibus et suggestionibus resistite. Omnipotenti Deo populum, cui præestis, resignate; ut commissum vobis sacerdotale officium, ante iudicis æterni conspectum, non ad pœnam, sed ad coronam proficiat. Hæc vobis scripsimus, non solum animarum vestrarum saluti, pro commisso nobis munere providentes, sed etiam nobis ipsis, Omnipotentis Dei iudicium perlescentes: ut uno eodemque tempore, hoc nostro erga vos fratrum officio, vestræ nostræque saluti, sicut decet, consuleremus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 11 Septembris MDLXIX, Pontif. nostr. anno quarto ».

248. *Permolesta Sigismundo regi Hosii præsentia.* — Inter hos episcopos autem, qui potius quam restituere, Ecclesiasticam disciplinam labefactare voluisse visi sunt, ac terrenarum rerum cupiditate obcæcati, quæ Christi et Ecclesiæ erant, prætermiserunt; fuisse pariter cardinalem Hosium minime censendum est. Imo, e contra, consilia huiusmodi ex animo aversatum fuisse, verum illud sacerdotale pectus, cui nil solemne magis quam puram Dei gloriam, fidei propagationem, ac Ecclesiasticarum rerum tuitionem et custodiam querere, merito existimandum; imo evidentissime conjici posse cognoscitur, tum ex Epistola ab episcopis Lublini congregatis, ad Pium sub die decima sexta Junii data; tum ex altera ejusdemmet Hosii, scripta ad regem, sub die vigesima Maii, in qua a Lublino discedendi factam sibi fuisse potestatem asserit; eo nimirum tempore, quo præfata a Pontifice (rege, ut diximus, forsân urgente) episcopi peliere; constat (inquam) Lublino et a comitiis Hosium ipsum abfuisse; nam, eo præsentem, æque rex ad ea episcopos ipsos impellere, nec talia certe a Pio deprecari isti ausi fuissent.

249. Et quidem, ad complenda ea, quæ male coquebat contra Ecclesiasticas res consilia, quibus sibi adversantem cardinalem Hosium passurum semper perspectum habebat; illud etiam excogitasse Sigismundum, ut honoris, vel alia specie, non modo a Lublinsibus comitiis, sed a toto eum regno elongaret; facile suadere potest hoc fere tempore eidem Hosio a rege eodem demandata Romana legatio, pro qua, cum supplex Pontificem rogasset, a Pio, nil huiusmodi suspicante, perbenignum hoc retulit responsum:

« Charissimo in Christo filio nostro, Sigismundo.

PIUS PAPA V.

« Charissime etc. Acceptis M. T. litteris 1X Maii datis, quibus a nobis petis, ut dilecto in Christo filio, Stanislae, cardinali Varmiensi appellato, ad tractanda quædam tua apud nos negotia, ad Urbem veniendi potestatem faciamus;

etsi quantopere sua isthæc præsentia nobis ac Sedi Apostolicæ ad multas res prodesset; quamque in primis Ecclesiæ suæ esset utilis non ignorabamus; tamen desiderio M. T. satisfacere, rationibusque tuis, ea, qua maxime cupis ratione consulere volentes; prædicto cardinali, idoneo viro relicto, qui Ecclesiæ suæ præset, liberam ad nos proficiendi facultatem indulimus. Quemadmodum autem hæc in re etc. Datum Romæ, apud S. Petrum, die XI Junii, anni MDLXIX, Pontif. nostr. anno quarto ».

250. Indulserat Hosio Pontifex, ut sese Romanam conferret, quia non modo rex, sed ipse quoque hanc facultatem a Pontifice petisset; et eo quidem studio (ut credere fas est) quo a Lublinsibus comitiis discedere a rege ipso postulaverat; ne præsens, videlicet, ea contra Ecclesiam decerni videre cogeret, quæ patienter salvaque conscientia ferre vel simulare non posset. Sic diverso eoque adverso animo, utrorumque consilia, Hosii nimirum et regis, unum scopum attingere Pii litteræ. Ad ipsum Hosium huiusmodi fuerunt:

« Dilecto filio nostro, Stanislae, tit. S. Theodori, presbytero cardinali Varmiensi appellato.

« Dilecte etc. Quamvis præsentiam in isto regno tuam existimarem nos et S. Sedi Apostolicæ ad multa utilem, Ecclesiæque tuæ in primis valde fructuosam esse, propter singularem tuam in custodia gregis tibi crediti vigilantiam, eximumque studium in tuenda apud istius regni gentem Catholicæ religionis causa; tamen cum, et charissimus in Christo filius rex, tantopere, ut ais, sua interesse putet, ut ad Urbem te conferas, et Ecclesiam fidei tuæ commissam, nullum decessu tuo detrimentum passuram esse confirmes; faciendum putavimus, ut, acceptis tuis litteris, 1X die Maii datis, quibus a nobis petis, ut huc veniendi potestatem tibi faciamus; regis desiderio tuisque postulatis morem gerimus. Itaque circumspeditioni tuæ, relicto idoneo, ut scribis, viro, qui, te absente, Ecclesiæ isthæc tuæ præesse possit, liberam ad Urbem veniendi facultatem concedimus: visuros te semper libentissime, quemadmodum et nostra in te paterna benevolentia, et tua in Romanam Ecclesiam merita postulanti. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1X Junii MDLXIX, Pontif. nostr. anno quarto ».

251. Magis etiam confirmata videntur quæ diximus, nimirum, gravem ac permolestam regi fuisse, vel Hosii in Poloniæ regno præsentiam, ex ejusdem cardinalis Epistola ad Stanistæum Carnævium, episcopum Vladislaviensem, intelligimus; nam in celebratis proxime præterito anno ab ipso Hosio, ut diximus, Elbingensibus comitiis, inter alia, regis nomine se monitum fuisse scribit, ne quid ipse in religionis causa

moveret; quod forte, ex hoc communem illius civitatis tranquillitatem magis lurbari posse timeretur : « Fueram admonitus (ipsiusmet sunt verba ¹, cum ad præfatum Vladislavensem Elbingensia Acta descripta mitteret) ex aula, ne quid in religionis causa moverem, neve molestiæ quicquam, aut difficultatis, illius ergo cuiquam exhiberem; quod mihi sane novum acciderat, episcopo mandari, ne quid agat in religionis causa : quasi diceretur illi : Ne sis episcopus, sed consiliarius tantum. Sebastiano maluissem id mandari, qui subinde blasphemias voces contra Christum ejaculari dicitur. Sed postea, cum verba litterarum diligentius expendissem, hoc mihi præceptum fuisse interpretabar, ut res religionis quo loco sunt relinquere, neque prohiberem quominus, vel Sebastianus, vel quicumque tandem alius ex Sathane ministris, Christum sicut cœpil blasphemare pergeret. Cui mandato parui; quid enim facerem, cum vires nullas ad prohibendum haberem? Quin ego potius in magna beneficii parte ponebam, quod sub Elbingensibus burginagistris in civitate Christiani, Catholici et orthodoxi regis, absque cuiusquam impedimento mihi liceret, quod licet in civitatibus immani Turcarum tyranno subjecti, Christiano ritu, saltem in uno parochiali templo, Deum colere etc. Datum ex castro meo Heilspergæ, v Januarii MDLXIX ». Addit tamen, quod, cum audisset Elbingæ declamationes fieri contra regiam majestatem, ac postularetur ab eo, ut memor loci, quem in illis terris tenebat, pro iuribus, privilegiis ac libertatibus earum pugnaret, seque murum pro illis opponeret, eorum exemplo, qui locum eundem ante se tenerant, tenere se minime potuisse, quin, pro fide, quam Christo Deo suo, deinde serenissimo quoque regi debebat, aliquam religionis mentionem faceret : nam aliam refutandi eorum hominum clamorem rationem invenire nequiverat. Quam rem tamen sperabat, nullam sibi offensionem parituram, quandoquidem, et pro cœlestis et pro terreni regis dignitate pugnasset.

252. Pari modo, interdictum quoque ei fuisse, ne de religione in Lublincensibus his comitiis verba faceret; et quod, si fecisset, grave id regi ac cœteris permolestum futurum ei significatum fuisse, haud obscure innuit Rescius ², dicens, eum a quibusdam amicis et necessariis suis admonitum, ut, vel nullum de religione verbum in senatu regni faceret; vel miliores aliquando sententias diceret, et eos, quos oppugnandos susceperat, Evangelicos potius quam hæreticos nominaret : « At ille (inquit) plenus in Deum fiducia, et omnes Christo iustificare cupiens, cum scriptum in Ecclesiastico meminisset : *Ne sis humilis in tua sapientia : Vivit,*

(ait) *Dominius*, (sicut in Paralipomeno legimus) *quia, quodcumque dixerit mihi Dominius, hoc loquar*; maluitque etiam de patria, si res ita postularret, quam de sententia, vel prece, vel pretio, vel gratia, vel ulla similitate dimoveri, cum sciret, magis esse Deo quam hominibus obediendum. Et illud etiam meminisset, quod nec Socrates quidem vitam suam, ea conditione a morte redimere voluerit, ut promitteret, quod nunquam postea in illa, quam profitebatur, veritalis inquisitione philosophiaque versari vellet; nec oburgare quemquam, nec suadere junioribus senioribusque, ut pro virtute magis quam pro pecunia laborarent. Deo enim, aiebat ille quoque, quamvis gentilis parere malo, quam vobis Atheniensibus, etiamsi vos diligo equidem, atque amo. Sed nullum adhuc majus bonum in hac urbe vobis contigit, quam hoc meum ministerium, quod, Deo parens, exhibeo.

« Quod ad hæreticorum appellationem attineret : si ægre ferunt, ait Hosius, novatores isti, quod hæretici appellantur, non sint quod dici nolunt : fugiant ipsi rem, et ego vocabulum non attingam. Desciscant a mente impia, et ego ab hac ignominiosa appellatione discedam. Ego enim nihil aliud didici, quam sicum sicum, ligonem ligonem appellare. Hæresis ab electione dicitur : isti autem sibi novas religionum formas seorsum ab Ecclesia elegerunt, novas fiducias condiderunt; cur eos pudet audire, quod facere non pudet? nisi forte Evangelicorum nomen propterea sibi deberi existiment, quod Evangelium exverterint; sicut Scipio dicitur Africanus, quod Africam devicerit; et propterea, sicut fidem, ita quoque veterem Christianorum appellationem rejecerunt. Nec loqui etiam deinceps, per omnem occasionem, et privatim, et publice, et vocabula rebus propria attribueri desiit, ac multorum oculos, sententiarum suarum libertate aperuit ». Sic ille.

253. Cum vero in senatu publica negotia tractari cœpissent, muneris sui haud immemor Hosius fuit, imo de unione cum Christo et ejus Ecclesia facienda, ante omnia laboravit : « Quod (ipsius Rescii sunt verba) omnia consilia, de unione politica, deque provinciarum concordia frustra susceperunt; divisus in religione consulentium animis, et scissis in contrarias sententias hominum voluntatibus : eam deum unionem fixam et stabilem ac perpetuam esse consuevisse, quæ ab his constituitur, qui unum sunt cum Christo, unum cum Christi corpore Ecclesia, unum finem habent constitutum, ut Christi gloria ubique magis atque magis propagari queat. Nam inter quos, sicut ait Hieronymus, non est vera fides, nunquam potest esse fidus affectus. Similiter et Augustinus, inter quos rerum non est consensio divinarum, inter eos, neque humanarum rerum consensio certa,

¹ Hos. Epist. 120. — ² Resc. Vit. Hosii. cap. 31. pag. 212.

esse potest et secura. Nemo enim (ait Augustinus) esse potest amicus hominis, nisi ipsius sit primitus veritatis. Nullam inler eos pacem, nullam unitatem fluxam esse posse; qui pacis et unitatis autorem Deum, ex cordibus suis auiserunt. De executione vero regni statutorum, se nil magis cupere dicebat, quam, ut eam toties attentatam, ad exitum deductam oculis ipse suis videret, non unius alicujus capituli, aut decreti, sed totius statuti: od deski do deski, hoc est, ut aiunt, ab asserte ad asserem. In eodem enim statuto, sanctam quoque illam confederationem Corzyensem reperiri, propugnaculum illud tranquillitatis et otii, et decretum præterea Vladislai Jagellonis regis Poloniae Viennense, ubi statuitur, ut quicumque hæreticæ hæresis errores facere vel promovere vellet, vel, ut habent verba decreti regii, quicumque in regno Poloniae nostro, et terris nobis subjectis hæreticus, aut hæresi infectus vel suspectus de eadem, fautor eorum vel director fuerit reperiendus, velut regiae majestatis offensore capiatur, et juxta exigentiam excessus sui puniatur. Hujus tam salutaris statuti executio potissima ac præcipua esse deberet, si vellemus, ut reliqua, quæ pro reipublicæ fisco tentantur, et faciles et fortunatos exitus consequantur, et aliquam utilitatem afferant. Stabunt, ait, salva jura patriæ, si steterint inviolata jura Ecclesiæ. *Primum*, ait Salvator, *quærite regnum Dei, et omnia adjicientur vobis*. Nunc autem esse nonnullos sacerdotum hostes, qui ad delendum statum Ecclesiasticum, ad affligendum episcoporum Ordinem, ad extinguenda majorum instituta, sua dignitate, potestate cæterisque insignibus honoris abutuntur; qui, sicut ex cordibus suis Christum ejecerunt, sic causam ejus, ex omni hominum memoria ejectam et eradicatam cupent, ac nimis tarde eam concipere marent: et eos omnibus exitibus dignissimos arbitrantur, qui pietatis, qui religionis curam cæteris omnibus curis et studiis anteponendam existimant ».

254. Ex his autem quæ refert Rescius, perspicue intelligi posse arbitramur ea, quæ supra retulimus: in his nimirum comitiis, in religionis favorem statuta, si quæ fuerunt, ut Pontificis ejusque administratorum studio, sic pariter Hosii incomparabili zelo esse merito tribuenda. Quo vero ad id, quod rex honorificentissimum antea eundem Hosium habuerit, ut ex Gabulio et Calena supra narravimus, Rescius¹ ipse hæc habet:

« Accidit autem in illis comitiis Hosio, quod olim in Synodo Gallicana B. Remigio accidisse memoratur. Nam, cum in senatum regni, et rege præsentem, venisset, assurrexit rex, et detecto capite, quem debuit tanto viro honorem habuit. Idem fecit etiam reliquus ordo senatorum,

duobus tantum Palatinis hæreticis exceptis, Cracoviensi et Sandomiriensi, quorum nomina honoris causa prætereo. Filios enim reliquerunt, ab ea quam profitebantur perfidia valde abhorrentes, quos speramus decies tantumdem, pro antiquæ Christianæ fidei conservatione esse laboraturos, quantum parentes illorum, pro Lutheranae et Calvinianæ perfidiæ et impietatis propugnacione laboraverunt. Qui, cum existimarent sui similibus probari non posse, quod essent hostes Ecclesiæ, nisi Hosio quoque essent inimici, ne oculos quidem a terra ad Hosium transeuntem attollere voluerunt; cum tamen et Turcarum et Tartarorum infidelium oratoribus assurgere, et honorem habere soliti fuerint. Sed recte quidam scriptum reliquit: Qui se sectis dedunt, prorsus exiunt hominem. At utinam illud præterea, quod Remigii temporibus accidisset, ut superbia suam ac fallum agnoscentes, vera humilitate Ecclesiæ subdi voluissent. Sed, oh! profunda judicicia Dei! cum nonnulli ex his, qui Hosium disserentem audiebant, erroribus relictis, ad Ecclesiam accessissent, illi duo, qui dignitatem laudatissimi cardinalis contempserunt, qui reliquæ hæreticorum turbæ jucundi esse voluerunt, valde graves inhumanitatis suæ pœnas dependerunt. Nam uterque (proh dolor!) in perfidia sua ex hac vila, post aliquot annos discesserunt ».

255. Helbingenses pariter, suos hædos in comitiis his accusasse, ac de eorum pertinacia ac audacia Hosium questum fuisse, idem Rescius refert; qui narrat illos gravissime insimulasse, quod vocem sui pastoris audire nollent, quod regie voluntati non obtemperarent; quod ministros verbi Sathanæ alerent; quod in despectum regie majestatis (quam Christianum, Catholicum et orthodoxum regem esse constabat) ex superiori eos loco prædicare paterentur. Quod illos, qui in Missa Sacratissimam Eucharistiam adorabant, Diabolum adorare dicerent; quod sacerdotes a se missos, veros verbi Dei ministros, omnibus injuriis opprimere permisissent: « Hic hic (dicens) debet vigilare executio: cæteras omnes universi regni rationes Deus ipse fortunabit ». Nihilominus, quid hæc Hosii verba profecerint non dicit, sed ex ejusdem cardinalis verbis non obscure educi posse arbitramur, Confessionis Augustanæ concessionem, quam jam sibi a rege, ut diximus, permissam fuisse contenderent, rursus eum illis concedi pertimuisse. Dum enim Acta Elbingensia de bonis Lusiani, (de quibus pluribus anno præterito egimus) conscriberet: (quod hoc anno fecisse, haud inverisimile est), se intellexisse id, testatur his verbis, quibus etiam eadem Acta¹ concludit: « Ecce autem, dum hæc scribo, rumor quidam spargitur, Merlini regnum

¹ Ut supra cap. 33.

¹ Acta Elbingen. Lusian. Pagina. 133. in fin.

confirmatum, perfidiam Augustanam esse comprobata: Deus miseretur nostri, illuminet vultum suum super nos: nam cœcitate quadam et amentia percussus esse videmus». Et in Epistola ad Stanislaum¹ Carnovium, episcopum Vladislaviensem, sub die quinta Januarii hujus anni scripta: «Nunc illud (inquit) R. D. vestram latere nolo, quorundam opinionem esse, confirmatam iri Confessionem Augustanam in his tribus civitatibus; dummodo ne quis impediatur, quominus in causa fisci, quæ pridem decreta sunt in regni comitiis, executio tandem aliquando suum effectum sortiatur. Ab his civitatibus exordium sumere majestatem regiam velle: quod cum erit factum, minus cum aliis negotiis futurum».

256. Et quidem tam ingens malum ab iisdem tribus civitatibus avertere totis viribus satagit Hosius, ut patet ex eadem Epistola; et ex alia insuper, quam ad regem sacerdotali vere libertate dedit, cum ad eum Gedauensis consul proficisceretur; nam scripsit²:

«Proficiscitur isthuc Georgius Clenfeldius consul Gedauensis, qui, si quid extra causam religionis, a majestate vestra petierit, felicem illi successum precor; si vero, quod metuo, Confessionis Augustanæ confirmationem obtinere conabitur; quandoquidem, quamvis indignus, consiliarius V. majestatis sum; tamen quid illi respondendum esse censeam, in scheda præsentibus inclusa paucis perscripsi. Si schedam hanc, responsi loco V. majestas illi dederit; vere Christiani, Catholici et orthodoxi regis officio functa fuerit. Quæso per viscera misericordiae Dei, ut se Catholicum regem esse aperte declaret, nulla prorsus usa circuitione. Reipsa V. majestas experietur, si quid huic meo consilio loci dederit, quod omnium deinceps consiliorum est multo feliciores progressus et exitus habitura».

Schedula vero hujusmodi erat:

«Paulus ad Eph. Cap. iv: *Unus Deus, una fides, unum baptisma, unus Deus, et Pater omnium*. Hilarius ad Constantinum Augustum: Cum secundum unum Deum et unum Dominum et unum baptisma, etiam fides una sit; excidimus ex ea fide, quæ sola est, et dum plures fiunt, ad id cœperunt esse ne ulla sit. Idem ad eundem: Quidquid, præter unam fidem est, perfidia, non fides est. Unum Dominum agnoscimus, unam fidem, unum baptisma, unum Deum et Patrum omnium confitemur. Unum Deum patrem nostrorum, unam fidem patrum nostrorum. Si quid extra fidem illam concesserimus, perfidiam concesserimus. Quod procul absit a rege Christiano, Catholico et orthodoxo: quamobrem perfidiam a nobis approbari nemo petat, multo minus a nobis contendat aliquis,

ut majores nostros, quos pie Deum coluisse, quin et vitæ sanctitate atque miraculis claruisse constat, perfidiæ condemnemus etc».

257. *Merlinus hæreticus non Catholicis tantum, sed etiam Calvinianis intolerabilis.* — Nihilominus, in Hosii salutarem sententiam licet rex descenderit, ut mox dicitur, minime tamen descendisse eo modo, quo cardinalis optasset; vel inopportuna forte suaderet videtur, e Lublinensi, ut diximus, conventu ejusdem Hosii discessio; vel quod cum ibi esset, nec quidem Joachimum Merlinum deturbari, ut enixe petiisse verisimile agnoscitur, minime obtinere valuerat; vel quod post discessum, tamquam studiorum suorum infausti exitus pertæsus, remissius quam antea in Merlinum ipsum agere visus fuerit. Prius enim et longe ante, velis remissius contenderat, ut impius ille ac seductor pelleretur, ut non semel innuimus, ac patet ex sequenti Epistola, cui a se compositam decreti quoque regii formulam adnexuit, qua turbarum perfidus suscitator proscriberetur. Dicit enim¹:

«Fabulator ille Merlinus, cui nunc episcopi nomen a nonnullis tribuitur, ante quindecim plus minus annos, a D. duce in Prussia, non sine causa Regiomonte proscriptus, et ex terris ipsius facessere jussus, nuper Brunsviga reversus, quosdam secum fabulosos articulos attulit, et eos in vulgus sparsit; qui non alio pertinere videntur, quam ad inflammandos et exacerbandos harum terrarum incolas, contra majestatem vestram et adversus nationem Polonam. Qua de re, cum expositularem cum nonnullis D. ducis consiliariis, negaverunt a Merlino profectos fuisse fabulosos hos articulos. Cum autem ego responderissem, aut auctorem alium illis inveniendum esse, aut quominus Merlinus in suspicionem hanc veniat, fieri non posse; responderunt se quævisse diligenter, sed primum earum auctorem invenire non potuisse. Cæterum, ex D. Solikovskii audivi, quod unus ex illis, qui negaverunt coram me, fassus coram illo fuerit, quos eos Merlinus Brunsviga secum attulisset. Idem etiam, ex D. Castellano Gedauensi accepi; neque mihi dubium est, quin verum id sit. Nam, si quis alius esset horum articulorum auctor, pridem illius nomen editum fuisset. Unde conicere potest M. V. qualis hic vir sit, quem nunc episcopum quidam vocare non dubitant; qui, ne magnas turbas nobis det, vehementer metuo, cum præsertim etiam libellum typis excudendum Regiomonti curaverit, quo deterret suos, ne quam consuetudinem cum Christianis, quos vocal papistas, habeant. Utraque de re, utroque duce, et patre, et filio, per litteras exposulavi. Mitto litterarum exempla, tum quæ a me scriptæ, tum ab utroque duce mihi rescriptæ sunt. Videbit majestas ves-

¹ Epist. 120. — ² Epist. 115.

¹ Epist. 29.

tra, quos illi titulos tribuant, qui me non minus etiam offenderunt, quam illa temeritas hominis et audacia, de qua fui questus. Mirari satis non possum, cujus auctoritate sit factus episcopus homo laicus, qui non modo sacerdos, verum nec clericus quidem factus fuit, nisi forte fuit monachus apostata. Vestra majestas, cum sit superior dominus, quando nominal episcopos, juxta laudatissimum majorum suorum et aliorum regum Christianorum morem, eos Pontifici praesentat, ut ille judicet, num sint ad hoc munus idonei, necne. Caeterum hic, per quem nominatus, aut hujus auctoritate confirmatus sit, nescio; verum hoc scio, quod ex quibusdam ipsius D. ducis consiliariis, ante duos plus minus annos audivi, quod nihil potuerint aures illustritatis ejus minus ferre, quam ut aliqui ex suis praedicantibus, episcopus vocaretur; quem vero ministris suis praefecisset, aut superintendentis, aut praesidis nomen ei tribui voluit. Sed ego nolo majestati vestrae prolixioribus litteris obstrepere. Cum autem fuerim aliquando secretarius concellariae majestatis vestrae, nunc vero, quamvis indignus in consiliariorum illius numerum sim relatus, num abs re facturus videor, si nunc utroque munere fungar. Itaque nillo majestati vestrae formulam, qua scribi velim ad eos, qui nunc illust. D. ducis nomine rerum potiuntur. Non quod majestati vestrae praescribere cogitem, cujus judicio formulam hanc subijcio lubens; sed quod vix quisquam alius, quae gerantur hic, melius habere cognita potest, quam ego, in cujus propemodum conspectu res aguntur. Hoc tantum significare majestati vestrae volui, quod nisi mature providerit, periculum est ne sint novissima pejora prioribus, nec enim tantum erat ab omnibus Funckiiis, Horstiiis, Snellis, quantum ab uno Merlino, cujus est inquietissimum ingenium, metuendum. Nondum expulit Calvinianos, et jam etiam Christianos ex his terris exterminare cogitat. Sed in Deo meo fiduciam habeo collocatam, quod exterminabitur ipse prius et ad corvos relegabitur. Datum MDLXIX ».

238. Exemplum regii mandati, ab Hosio ab regem missi ¹:

« Praefertur ad nos, quemdam ex rigidis Lutheranis, quos Faccianos vocant, Joachimum Merle, juxta cognomen suum, fabulosos quosdam articulos, Brunsviga secum in nostras Borussiae terras importasse. Quod, quamvis ab illo factum esse nonnulli negare dicantur, tamen, ex fide dignis hominibus, ita se rem habere cognovimus, et quoniam alius harum fabularum auctor nullus profertur, ut, quod nobis renuntiatum est, falsum esse credamus, adduci non possumus, nisi quis alius repertus fuerit, per quem illos primum spargi coepisse constare

possit. Quamobrem hortamur fratrem V, et eis mandamus, ut in auctorem harum fabularum diligentius inquireant, et, si nullum alium reperire poterunt, Merlinum hunc cum suis istis fabulis, ex Borussiae terris facessere jubcant. Videtur enim in nihil aliud, quam quosdam contra nos motus excitare velle; nec facile nobis quam persuaserit, quod ab alio praeter ipsum hae fabulae profectae sint, nisi quis alius earum auctor indagatus fuerit. Cum praesertim ea re non contentus, etiam libellum quemdam Regiomonti mandandum typis curaverit, quo suis interdicit, ne cum Christianis, quos Papistas vocat, commercium ullum habeant. Cum autem, et nos Papistam, hoc est Christianum esse profiteamur, quandoquidem, juxta morem, a majoribus nostris Poloniae regibus observatum, quem etiam nunc, et aliis Christianis regibus omnibus, et ab ipsa Caesarea majestate retineri videmus, Pontifici Romano, tanquam Christi vicario studium et obsequium nostrum dicavimus; quid aliud is, quam a nobis hominum voluntates alienare velle videtur, ut facile suspicari liceat, hunc hominem, ante quindecim annos, non sine causa Regimonte pulsum a D. duce fuisse? Qui, cum ante biennium, bis puer factus esse nobis renuntiaretur; quorum opera perfectum sit, ut Regiomontem, praeter voluntatem illustritatis illius revocaretur, non est adeo difficilis conjectura. Quodque magis animum nostrum offendit, homini laico episcopi nomen tribui nobis renuntiatur; quod, ex quo tempore quintum Evangelium propagari coepit, vel in Germania, vel quibuscumque aliis in locis; nusquam alibi, praeterquam apud vos factum esse accepimus. Cum tamen, et hoc satis constet, illust. D. ducis aures nihil minus ferre potuisse, quam, ut quem suis ministris praefecisset, is episcopus vocaretur; cum ubi nullum sacrificium, nullus est sacerdos, quin abominationi sint haec nomina, ibi nullus esse possit episcopus; quod satis intellexisse videntur ii, qui sacerdotium et sacrificium abrogarunt; itaque quos ministris suis praefecerunt, eos aut superintendentes, aut praesides vocari voluerunt. Quod nomen etiam apud nos retinebatur, quoad illust. D. dux firmiore fuit valetudine. Iterum hortamur Fr. V, ut ita se gerant, ne videri possint hac tam affecta et aetate et valetudine illust. sui principis abuti velle; et si nullum fabularum harum auctorem, alium praeter Merlinum hunc reperire potuerint, eum isthinc ejiciant primo quoque tempore: sin autem inventus alius fuerit, quamvis hic homo valde seditiosus esse dicatur, hactenus tamen a Fr. V. tolerari poterit, quatenus ab inquietis istis consiliis temperaverit; verum, sicut nemo ei nomen episcopi tribuere, sed nec ipse vindicare illud audeat, nisi forte per Pontificem Romanum fuerit approbatus ».

Perlecto isto regio mandato, ducis adminis-

¹ Ibid. ut supra.

Iros Merlinum tota Borussia hoc anno facessere præcepisse; flosium vero, magnam exinde boni et vigilantis pastoris laudem assecutum scribit Bzovius ¹. At erroris evinci posse evidentissime agnoscitur, ex ipsa Epistola Hosii, ejusdemque regii mandati verbis, Nam, licet typographorum certe incuria, scripta eadem legatur Epistola sub hoc anno, sub quo illam et nos adnotavimus; tamen necillam, nec mandatum hoc anno exaratum fuisse, liquido ex eo constat, quod in ea dux bis puerile et ac valeludine affecta memoratur, et adhuc vivere dicitur; quem tamen præterito anno diem suum obiisse diximus. Insuper appositum illud regii mandati exemplar, non regis quidem fuit, sed Hosii ad regem, qui eo minime usum fuisse, cum illud cardinalis exaravit, ex illo apparet, quod hoc ipso anno, adhuc in Borussia commemoratus Merlius reperitur, ut mox ostendetur. Illud etiam composuisse Hosium, cum ducis administri ipsius Merlini partes luertur, ex præfata Epistola haud obscure intelligitur.

259. Cum igitur in Lublincensibus comiliis, frustra Hosius, tum in Elbingenses, tum in aliarum duarum civitatum populos, tum etiam (ut verisimiliter censendum est) in Merlinum quoque declamasset, reque infecta, eo saltem modo, quo illam perficere curaverat, ut diximus, animoque pertæsus, Lublino discedere decrevisset, imo jam discessisset: accidit (et certe, permitte[n]te Deo, qui, ut Augustinus ² docet: « Melius judicavit de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere », ut eo felici successu (fausta siquidem, felicioraque, ex hac, quam longe ante subodorasse, Hosii discessione, Merlinum sibi pollicitum esse, verosimile est), factum est (inquam) ut adeo Merlini temeritas cresceret, ut ipsi etiam hæreticis, iisque, qui cum fovebant ac protegebant, penè importabilis evaderet. Vix ergo, indignatus, comiliis, in quibus pro Deo ac Ecclesia, que meditata fuerat implere nequiverat, terga vertere Hosius statuerat, cum illum adire Fridericus Caniez, et Aulack, defuncti Borussiae ducis consilarii, graviterque cum eo quesiti sunt, de minime ferenda Merlini audacia; quod ipse, non Catholicis modo, sed Calvinistas etiam divexare præsumeret; ac enixis precibus ab eo obtinere commixti sunt, ut una secum operam daret, ut tanta hæc pestilentissimi hominis insolentia coerceretur. Officium primum detrectavit cardinalis, quod sat se munere suo perfunctum censeret; nihilominus eorum importunitate victus, de hac re Sigismundum, cui jam valedixerat (in itinere constitutus) sequenti Epistola ³ admonendum duxit:

« Pridie ejus diei, quo mihi discedendi Lublino, singulari beneficio majestatis vestrae, potestas data fuit, venerunt ad me Fridericus Caniez et Aulack, defuncti D. ducis consilarii;

solos enim hos duos ex consiliariis Lublino vidi; graviterque questi sunt, de minime ferenda Joachimi Merlini, qui se, nescio qua auctoritate, Sambriensem facit episcopum, arrogantia atque audacia; quod is, cum sit Lutheranus, et non Christianus, ausus fuerit Calvinianos, nihilo Lutheranis deleriores, loco movere, ac modo non ex terris D. ducis Borussiae proscribere; magnis precibus a me contenderunt, ut operam darem, quo tanta hæc hominis insolentia, cujus causa toties jam ex variis locis pulsus est, refrenari posset; ac ipsi polius in locum suum restitueretur, quam tantam hanc hominis tyrannidem ferre cogentur, quæ nec aliis aliquot in locis, ex quibus cum non semel pulsum esse constat, tolerari potuit. Mihi quidem hæc eorum cum primis justa visa est petitio, sed cum regiae majestati V. valedixissem, hoc officio mihi jam fungi minime licere respondi. Tum illi, saltem per litteras, ut ea de re cum M. V. agerem, rogantur; quod illis negare non potui neque debui. cum præsertim tam seditiosus hic homo, quanto cum periculo Regiomontanus episcopale sibi sumat, non ignorem, qui non solum Calvinianos, Osandrinos, Adaphoristas, Synergistas, Majoristas, Antinomos, verum ipsos etiam Papistas, sic enim istis appellare Christianos visum est, ex Borussiae terris exterminare conatur; non ita multo post idem de Registis quoque facturus, nisi maturo V. majestatis consilio, ne facere quæ cogital possit, provisum fuerit. Calvini sectam approbare nolim, nec eam ferendam esse censeo; sed in terrea ejusdam, ejusdem sectæ hominis sententiam reprehendere non possem, qui Bernæ superintendentem agens, vera mihi dixisse videtur; quod ab hæretico non potest rite corrigi hæreticus, cum correctionis opus non sit, nisi verorum Christianorum. Stupenda mihi quædam res esse videtur, quod Luthero divinum a quibusdam honorem tribui video, nec cum alio loco, quam Deum ipsum habere, nulli fas ut esse credatur ab ipsius opinione discedere. Et si quis id faciat, aut proscribat e vestigio, aut saltem loco suo moveatur. Licuit ab orbis totius Christiani judicio Luthero discedere, et illi suum judicium antepone. Quid autem dico licuisse? Quia summis etiam laudibus factum hoc illius effertur, ac propter hoc tam præclarum facinus in Deorum numerum refertur. Et si quis ab opinione Lutheri discedat, non modo non licitum id, verum et proscriptio[n]e et majori etiam alio supplicio dignum judicatur. Præclare dixit aliquando de Luthero Bucerus: Prohet se Deum esse, tum primum eodem loco, quo scribuntur, vel dicuntur ab eo, quo divina oracula, sumus habituri, nec unquam ab ejus opinione discessuri. Quæ potest autem esse major idololatria, quam ea, qua Lutherum adorari videmus? Quamobrem a

¹ Bzovius ann. 1569. n. 4. — ² Enchirid. cap. 27. — ³ Epist. 116.

majestate vestra peto, ut hortetur istos regentes, ut, sicut ipsi tolerari se in majestatis V. regno volunt, cum ab Ecclesia Catholica se segregarunt, et facti sunt Lutheristæ; sic, et ipsi, si ad Ecclesiam redire nolunt, sed in errore perseverare malunt, errantes quoque Calvinistas in sui ducis ditione ferant. Nam, sicut Lutherus sibi, quam Ecclesiæ, sic isti magistro suo Calvino plus aliquid a Deo revelatum esse censent, quam Luthero: quod ipsum de se suisque magistris sibi persuadent, et Anabaptistæ, et qui jam ad perfectionem quinti hujus Evangelii pervenerunt, Trideistæ. Non dubito quin sit majestas V. multos ex regni senatoribus habitura, qui, quod ad Calvinistas attinet, eandem, quam nunc ego, sententiam proferant. Nam, et qui fuit unus ex commissariis majestatis vestræ apud D. duce[m] anno superiori defunctum, visus est Merlini severitatem hanc valde reprehendere, et cum idem sentire me quoque cognovisset, gavisus est vehementer, et arrepto poculo, pro salute mea illud exhausit. Aut omnes ejiciendi sunt, aut omnes tolerandi, ne, si una tantum aliqua secta proscripta fuerit, aliæ receptæ videantur et approbatæ. Si vero, quod meum est consilium executioni mandari non potest, propter horum temporum difficultatem, saltem Parcoviensi decreto satisfaciatur. Sed et hoc secum V. M. diligentius expendat: num ferendum sit, quod regentes episcopum sibi constituerint. Nam, quamvis, neque dux ejus rei potestatem habeat, nec ullus rex Catholicus, nec imperator etiam ipse sibi usurpat; tamen et illud satis constat, quod nulla magis a re defunctus dux abhorruit, quam ut episcopi sibi nomen quisquam in terris ditioni suæ subjectis vindicaret; ut quidquid ejus factum est, contra voluntatem ejus factum esse dubitandum non sit. Nam, quo tempore Merlinum episcopum constituisse dicitur, judicio destitutus prorsus fuisse videtur. Nam, si bis puer, ante triennium esse dicebatur; quis est, qui possit ambigere, ter eum puerum fuisse, anno insequenti, quo Merlinus creatus fuit episcopus? Quamobrem omnino censerem, aut ejiciendum illum ex Prussiæ terris, aut saltem, ne sibi nomen arroget episcopi, providendum. Hæc ego brevibus, ex itinere, majestati vestræ scribenda putavi. Datum xx Maii, Pultorix MDLXIX.»

260. Nil tamen hac Epistola Hosius, nil conatibus suis Calvinistæ duo illi consilarii obtinuerunt; et licet constet ante hæc, Catholico principe dignis litteris, regem Regionontanos et Elbingenses perstrinxisse (ut inuimus), ex ipsius Hosii altera Epistola, sub die octava Maii hujus anni ad illum scripta, in qua ei gratulatus est, quod pie ac religiose (ut supra etiam adnotavimus) sacris diebus se gessisset, monuitque, ut hoc summo studio caveret, ne vide-

licet, quas dignitates aut præfecturas hæreticis mandaret (quod religiosissime Sigismundum etiam præstitisse pariter diximus); et regem ipsum insuper pietatis suæ ac fidei exemplis, ab impietate nonnullis ad Ecclesiæ gremium reduxisse, cardinalis idem testetur; tamen quoad Regionontanos, fatendum est, vel parum, vel nihil, litteris suis Sigismundum profecisse, cum ex allata Epistola, sub die vigesima Maii scripta, liquido appareat, loco, quem impie occupaverat, perfidum virum illum Merlinum, minime fuisse deturbatum; ac adhuc illum deturbare Hosium eundem contendisse. Quod idem, de Elbingensibus quoque censendum videtur; eo magis, quod Hosius ipse, regem collaudans de his, qua tum verbo, tum scripto in eos egerat, his usus fuerit verbis: «Credat mihi majestas vestra, quod, si me magna fortunarum accessione locupletasset, parem ex ea re lætitiã non accepissem: quam auxit etiam vehementer ardens vestræ majestatis studium in extirpandis hæresibus et fide Catholica propaganda: quod ex litteris, et ad Elbingenses ita scriptis, quemadmodum a vero Catholico et orthodoxo rege scriptas oportuit, facile videre licet. quarum et si quando futura sit executio, nescio; Christianum tamen hunc illius animum exoculor, et non possum non optime sperare etc.» Ex quo nimirum loquendi modo, ab eo adhuc tempore, tum de Elbingensium, tum de Regionontanorum correptione Hosium dubitasse deprehenditur; quod, quamvis scripto ac verbo, rem serio curasse rex visus esset; tamen id frustra egit, quod peropportuna, quæ ipse Hosius morbo curando remedia proposuisset, adhibere Sigismundus renuerit.

261. *Gedani commissarii regii non recepti, et utcumque restituta religio Catholica: Gedaniensium cum Danis res compositæ.* — Quoad Gedanenses, si militis cum eis in causa religionis rex ipse agere voluit, ut ipsius sui fisci juri consuleret, sicut, juxta Hosium, quorundam opinio tulit; certe, ex hac mundiæ ac terrena prudentia, qua temporalia spiritualibus præponere duxit, nullum inde Sigismundus retulit emolumentum, manifestoque Dei judicio, hoc ipso tempore intelligere potuit, primum querendum esse regnum Dei et justitiã ejus: omniumque consiliorum (uti toties monuerat Hosius ipse)¹ initium a Deo esse faciendum; nam summa regis majestatis injuria, missi ab eodem Sigismundo Gedani regii commissarii urbis ingressu prohibentur. Rem accipe ex Neugebavaro² his verbis:

«In Borussia intestini quidam motus Gedani, inter senatum et populum enati sunt. Cum enim, ex civibus quidam adversus senatum querelas ad regem detulissent, et a paucis ex

¹ Epist. 112. — ² Histor. lib. 3. pag. 626.

magistratu publicos civitatis redditus et opes in privatos usus converti, ac pro libitu omnia in republica administrari; et cives, occultis senatorum odiis obnoxios, in judiciis præter jus et fas vexari atque opprimi falso disseminasset; rex commissarios ablegal in urbem, qui civitatis statum ac bonorum publicorum administrationem cognoscant emendentque. Erant autem hi, Stanislaus Carkovius, episcopus Vladislaviensis, Joannes Sierakovius Palatinus Leveziciensis, Joannes Koska Gedanensis, Nicolaus Firleius Visliciensis, Simon Subseius Inouladislaviensis castellani. Quorum adventu audito, cum cives quidam turbulenti, jam antea senatui infestis, insolentius agerent, et voculas minitabundas adversus quosdam in magistratu mittrent; senatus, de vulgi motu ac commissariorum mandatis amplissimis, nimiam libertatem ipsorum refrænaturis, edoctus; obviam illis mittit, et capita certa ab illis stipulatur, priusquam in urbem accedant, commissarii vero, se urbem excludi indigne ferentes, recesserunt, et apud regem, de injuria illa, et crimine læsæ majestatis, quod in urbem regi subjectam intronissi non essent, graviter questi sunt. Rex ira exacerbatus, extrema quæque civitati minatur, nec placari initio ullis excusationibus potuit. Admissi post in urbem commissarii, omnium, qui se læsos injustis senatus ac judicium sententiis videri volebant, querimonias addiverunt; a consulibus et senatu rationes administrationum pecuniarum publicarum flagitarunt; quibusdam opificum collegiis, utpote lanis ac cervisia coctoribus, inusitata et ampla privilegia quæque regis nomine concedunt, contractibus, cum senatu antea ab illis initis, abrogatis. Portorium, quod ab urbis initio, solus senatus ad portus maritimi et Vistulæ aggerum munitionem, aliaque ædificia publica destinaret, geminandum; ac de singulis marcis bonorum importandorum, exportandorumque, quaternos numeros dinumerandos esse decernunt; quorum dimidia pars civitatis fisco, altera regi deinceps solveretur. Atque hanc unicam esse regis placandi, pristinamque ab eo gratiam obtinendi viam confirmant. Constitutionem etiam, de Republicæ statu, de jurisdictione, de dominio et usu maris, aliisque rebus sancunt; quas suis libertatibus ac privilegiis multipliciter adversari, senatus querebatur; et tamen placationis litteras, in quibus, præter mille auri pondo, portorii mediam partem regi addebatur, hac spe commissariis tradidit, quod Sigismundo tantum regi superstiti, non regno aut successoribus vectigal illud pendendum judicaret; et vicissim commissarii piratarum, et aliorum omnium, quæ contra privilegia irrepserant, abrogationem repromitterent. Quas quidem condiciones, diserte litteris conciliationis includere senatus cupiebat; sed a commissariis, qui indignissime

regem laturum aiebant, si non puram et simplicem, sed conditionibus adstrictam placationem efficerent, persuasi, per modum supplicationis illa quæsiverunt. Postea commissarii in regni senatu, de actionibus suis referentes, litteras illas placationis, ac portorii medietatem, regi perpetuo ex urbe solvendam, publico decreto communi curant. Cumque privilegium a rege Casimiro Pruteni haberent, quæ causæ eorum majoris momenti, adhibito Prusæ Ordinum consilio, nusquam alibi quam in Prussia, per regem aut ejus legatum cognoscendas et decidendas statuitur; tum novo decreto Gedanensium, et aliorum Prusæ Ordinum causæ notabiles in judicium senatus regni in Poloniam devoluta sunt, cum antea Pruteni jus proprium retinentes, regem solum, supremum regni caput, cujus ipsi, non secus ac Poloni et Lituani libera membra essent, dominum profiterentur; quo deliberationes, de controversiis Prutenorum gravioribus, de contributionibus in Prussia colligendis et similes, non in senatu regni, sed adhibitis Prusæ Ordinibus, ac statibus sanciebatur. » Hæc ille, qui addit, has commissariorum actiones, in tertium tamen fere annum protractas fuisse. Est nihilominus caute audiendum, in his præsertim, de quibus regios commissarios insimulat, quod hæreticorum studiosus, veritatem, ut suorum famæ consulere, uti debuisset, sectatus non fuerit; et culpam Gedanensium minuerit, ut plus justo, graviores ab eis inflictam pœnam exageraret.

262. Cæterum hac ipsa occasione factum credimus, ut non solum legatus Gedanensis ad Lublinsia comitia missus, ut diximus, non audiretur; sed quod ipsam in urbem aliquo modo Catholica religio, Pontificis opera revocaretur. Erat in ea (inquit Gabutus) ¹ Orthodoxæ veritatis ita lumen extinctum, ut jam omni Ecclesiastico ordine sublato, nullum fieret S. Missæ Sacrificium, nullæ sacræ conciones a Catholicis unquam haberentur; omnia denique Lutherana peste aliisque pessimis depravate religionis erroribus referata, miserandum in modum interiebant. Pontificis igitur ope, Dominicanæ Familiæ fratribus templum cenobiumque suum ibi restitutum est; quæ ædificia, et amplitudine et opere præclara, etiamnum extabant, militum hospitio ac præsidii exposita. Quæ restitutione facta, subjungit, plurimos egregios concionatores, aliosque præterea ejus Ordinis sacerdotes, eo missos fuisse, qui sacris faciundis, tantoque illorum populorum concursu atque frequentia, quanta explicari vix posset, concionibus habendis, Pontificis tum precum tum pecuniarum subsidiis adjuti, eas gentes ad fidem Catholicam reducerunt. Exinde (addit) per eas regiones omnes, ad illorum, quos ad sanitatem reductum

¹ Vita Pil. lib. 3. Cap. 2.

iri spes erat, commoditate, ingentem sacerdotum numerum decrevisse, cum polestate illos, modo ad saniora redirent consilia, a crimine hæreseos absolvendi; ex quo asserit admirabiles æternæ salutis fructus esse consecutos.

263. Gerente interea cum Mosco ac Sueco bellum Sigismundo, piratæ Poloni, receptum in Gedanensi portu habentes, naves Nervam et el Revalium, quas Succi tenebant, pelentes, accupare jussi, Danicas etiam naves subinde diripuerunt. Hanc igitur injuriam ut Daniæ rex rependeret, vicissim Gedanensium naves in regni suis portibus relinuit, ac navigationem Gedanensibus ipsis, per freti Danici fauces denegavit. Diu actum est de modo, quo res hujusmodi componeretur, verum cum, Sigismundi Augusti morte intercedente, omnia protelarentur, Gedanenses, moræ impatientes, nulla regii senatus auctoritate interposita, cum Dano rege transegerunt, centum Joachimicorum millibus ei persolutis.

264. *Ex comitiis Lublincensibus constituta concordia inter Lithuaniam et Poloniam, excogitata inter imperatorem et Polonum, et pharini ad veram fidem reducti.* — Ut autem ad Lublincensia comitia redeamus, summo Christianæ republicæ bono, constituta est Lithuaniam inter ac Poloniam optata concordia, quæ sexaginta jam annorum spatio sæpius agitata, stabiliri nunquam potuerat: reclamantibus licet nonnullis ex Lithuania proceribus, qui, ut præsentia sua eam non confirmarent, insalutato rege discesserunt. Id Pii studio tribuit Gabutijs; at quidquid fuerit, certum est, unionem hanc maxima Pontificem lætitia affectisse, quod gratulatoriæ ad Sigismundum ab ipso datæ, sequentes litteræ testantur:

« Charissimo in Christo filio nostro, Sigismundo Augusto, Poloniae, etc.

PIUS PAPA V.

« Charissime etc. Si, quod Apostolica voce monemur, ut cum gaudentibus gaudeamus, id privati etiam homines, de privatis suis rebus, recte inter se gratulantes, observant; quanto magis nos, in Apostolicæ servitutis fastigio, licet meritis imparibus constituti, hoc eodem officio tibi regi charissimo, et eximia in Deum omnipotentem pietate prædilo, præstare debemus, ut majestati tuæ, de re tanloperæ ad publicam istius regni utilitatem pertinente, cujusmodi est Poloniæ cum Lithuania conjunctio, toto animi nostro affectu, quemadmodum facimus, gratulemur? Cujus quidem conjunctionis diu agitæ negotium, cum, ex dilecti filii nostri et Sedis Apostolicæ apud te nuntii litteris, ex tua maxime sententia confectum esse cognovissemus, tanta animi lætitia affecti sumus, quantum, et rei ipsius magnitudo exigere, et pater-nus erga te noster amor, rerumque tuarum

cura postulasse videbatur. Gratias igitur agimus omnipotenti Deo, qui misericordiæ suæ non oblitus, medio maceriæ pariete soluto, ex utraque gente, duabus rebus publicis unam effecit; populosque istos a tam diuturna animorum suspensione, hac conjunctione liberavit. Cujus quidem conjunctionis oblata occasione, poterit M. T. quietiore aliquando animo, de rebus ad Catholicæ religionis utilitatem adjuvandam pertinentibus agere, et quasdam sensim hæresum spinas evellere conari. Quam ad rem M. T. sic hortamur, ut eam meminisse velimus, pro tanto duarum istarum gentium conjunctionis beneficio ab omnipotenti Deo sibi regnoque isti concesso, nullam eam divinæ suæ majestati majorem gratiam referre posse, quam si dies noctesque ea meditetur, quibus Catholicam religionem, ubique fere locorum, sed et in regno isto, propter perniciosissimas hæreses, non medioeriter afflictam, jacentemque erigere ac sublevare possit. Hæc nobilissimis majoribus suis clar. mem. regibus, teque ipso digna cogitatio est; hancque suscipere, et quotidie magis magisque acture debes. Quod te, pro eximia singularique tua virtute, divini que honoris zelo factorum semper esse non dubitamus. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub anno Piscatoris. Die xxii Julii MDCXIX, Pontificatus nostr. ann. quarto.»

265. Ipso Pontifice auctore, Sigismundum regem, sese cum Maximiliano Cæsare, ad rem Christianam a Turcarum furore vindicandam, clandestino fœdere conjungere, sororemque suam nuptam in Austriacam familiam collocare, alii que de rebus, imo in ipsius Cæsaris colloquium venire constituisse; idem Gabutijs affirmat: additque Neugebavarum, comitiis ipsis Lublincensibus, quæ annum fere integrum, magno cum sumptuum impendio producta sunt, regem, de itinere Vratislaviam, ad Maximilianum Cæsarem cogitasse. Quod quidem consilium diu occultatum, Cæsareos legatos, Guilielmum nempe Prussinorium, Olomucensem episcopum, (per quem Cæsarem ad cardinalem Hosium litteras dedisse supra diximus, quod in hoc forte negotio, Hosii opera apud Sigismundum egeret, ut ex ipsius Hosii responsis educi posse cognoscitur), et Joannem Mauranum, baronem Silesium, ad comitia missos fuisse dicit. Hæc tamen ne fierent, ut plerumque accidit, interposita negotia præpedivisse præfatus Gabutijs tradit. Neugebavarum vero, impiorum hominum miras excogitationes secutus, conventum Vratislaviensem causam fuisse dicit, quod rex suos sumptibus exhaurire curaret, ut, egentes, postea, obsequentiores haberet; conventum vero ipsum interversum fuisse asserit, tum obitu Malerani, tum quod Cæsar metuisset, ne Turcæ, alias suspicionibus nimis indulgentes, contra se aliquid meditari puta-

rent; atque inde etiam Ungari, occasione arrepta, novare aliquid audent.

266. Utilitatis demum illud, in his comitiis, religioni Catholicæ etiam accessit, quod plurimi, ad veram fidem reversi, hæresum errores execrali fuerint. Hosio præcipue agente, qui per omnem occasionem, ut referi Rescius ¹, et privatim, et publice, et vocabula rebus propria tribuens, multorum oculos, sententiarum suarum libertate aperuerit: nam ex senatu regio nonnulli, et inter hos vir illustris, manu et animo acer, Albertus Laski palatinus Syradiensis, cum semel et iterum (inquit) essent cum Hosio congressi, errores suos, in quos de religione inciderant, agnoverant, et non ita multo post, ad Ecclesiam Catholicam accesserunt. Syradiensis conversionem Paulo Sarbinio, Dominicanæ cœnobii Posnaniensis præfecto, tribuit Bzovius ². Nos utriusque narrationem veram censemus; et prima quidem fidei semina in Syradiensis corde, comitorum occasione, plantasse Hosium putamus, rigasse deinde Sarbinium, Deum tandem incrementum ac perfectionem dedisse. Quanta autem tam Pontifex, quam Hosius, ex hac tanti proceris conversione, lætitia fuerint affecti, ex sequentibus illorum ad eum litteris aestimare liceat:

« Dilecto filio, nobili viro, Alberto, Palatino Syradiensi ³.

PIUS PAPA V.

« Dilecte filii, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. Certiores facti ex litteris dilecti filii Vincentii Portici, nostri et Sedis Apostolicæ apud serenissimum Poloniæ regem nuntii, te, adjuvante Deo, relictis publicæ abjuratis hæreticæ pravitate erroribus, Catholicæ fidei veritatem agnovisse, ab eodem nuntio, unitati fidelium sacramentisque Ecclesiæ restitutum esse; præterire nullo modo potuimus, quin has ad te litteras nostras daremus, quibus, et tibi, de tanto divinæ misericordiæ munere gloriaremur, et nostram, ea de re conceptam, in Domino animi lætitiâ significarem. Et quidem, si vere in Domino gaudere lætarique volumus, iis maxime de rebus gaudendum lætandumque nobis esse, de quibus in Cælo, (in quo perfectum gaudium habitat) vel ipsius Redemptoris nostri testimonio, gaudere solent Angeli, compertum habemus. Quis enim, aut fidelis pastor, inventa, quæ perierat, ove, amicis vicinisque suis convocatis, non summopere gaudeat; aut bonus pater, redeunte domum filio, qui peregre profectus erat, peccasseque se in cœlum et coram eo confitente, adducto vitulo saginato, splendide et magnifice non epuletur, gaudiumque suum symphonia

choricisque non læsetur? Nec vero dubitare debes, dilecte filii, Romanam hanc, omnium Ecclesiarum magistram, Ecclesiam, cui nos indigni præsidemus, tuam et omnium Christi fidelium matrem, tanto de tua ad se reversione gaudio exultare, quanto ob tuum a se olim discessum mærore affecta fuerat. Quocirca, te, qui illi ac nobis tantæ auctor es lætitiæ, quibus satis dignis laudibus prosequamur, non facile reperire possumus: non enim te ipsum solum, animamque tuam salvam fecisti, sed aliis quoque nobilitibus illustribusque in isto regno viris, quid faciendum sit, exemplo tuo ostendisti. Quis enim, Alberto Laskio Syradiæ Palatino, viro non minus nobilitate quam virtute insigni, omnibusque animi corporisque bonis ornatissimo, publice, ut par fuit, Dominum Redemptorem nostrum confitente, hæreticamque pravitatem detestante, id facere erubescat, quod ipse fecit: qui tantam sibi, tamque insolitam laudem ab omnibus Christi fidelibus est consecutus. Quamvis autem pro certo habeamus, omnipotentem Deum, quo adjuvante, respuisti, tibi in fidei Catholicæ confessione constanter perseveranti, eadem qua cœpit, misericordia semper affuturum, tamen, ut ipsi nostram de salute tua sollicitudinem paternam tibi significemus, et commisso nobis ab omnipotenti Deo officio fungamur, te, non solum ad eandem Catholicam fidem, quam nuper tanta cum tua laude professus es, firmiter retinendam, perpetuoque amplectendam hortamur, sed ad alios quoque, qui ab ea erraverunt, ad eam, quantum facere potes, verbis et bonorum operum exemplis revocandos, excitamus: ut quam a Deo misericordiam consecutus es, eandem proximis tuis, in eodem, quo tu aliquando fuisti, excitatione errore versantibus, impendas. Quod quidem te facturum esse non dubitavimus, sed hac nostra paterna adhortatione, ejus rei desiderium nostrum testificari volumus. Omnipotens Deus, te, dilecte filii, custodiat, tibi que quotidie magis gratiam suam augeat. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xx Augusti m̄l̄xix, Pontific. nostr. anno iv ».

267. Allera ad eundem Palatinum Syradiensem cardinalis Hosii Epistola, ejusmodi fuit ¹:

« Cum allatum ad nos quoque fuisset, dominationem vestram, et Sathanæ laqueis, quibus, prohi dolor! multos post annos irretita fuit, se per Dei misericordiam extricasse, et remisso nuntio, vel Islebiensi, vel Gencvensi Antichristo ad Christum in Bethleem natum, eo ritu, quo majores nostri colendum, animum suum adjecisse, credibile non est, quantum ex ea re voluptatem acceperim. Semper enim propter multa præclara Dei dona, quibus affatim eam cumulatam esse vidi, dominationem ves-

¹ Vit. lib. 2. Cap. 32. — ² Bzov. sub hoc ann. — ³ Epist. lib. 3. Epist. 34.

¹ Epist. 118.

tram feci plurimi, verum unum hoc in illa considerabam, nec ut esses potius quam adversariorum, hoc est, ut eundem, quem sancti majores nostri, Christum, eodem ritu nobiscum coleret; nec in aliud Evangelium ab eo, quod jam inde a 96 annis, per longam episcoporum et sacerdotum successionem, nobis traditum, et S. Adalberti, cujus nostra memoria successor fuit, vir singulari pietate præditus, propatruus dominationis vestræ, et S. Stanislai sanguine obsignatum, se transferri pateretur. Itaque voti mei me compotem aliquando factum esse, non possum non gaudere plurimum. Quin et dominationi Vestræ tam pium hunc animum, ac magis adeo patriæ nostræ gratulor. quam, in tot sectas mirabiliter inter se dissectas, miserandum in modum dissectam, non sine magno dolore videmus et ingemiscimus. Nam bona spes tenet animum meum, illius exemplo facturos etiam alios, qui similibus erroribus infecti sunt, ut in viam ipsi quoque redeant, et ad matris Ecclesiæ gremium, a quo se filii desertores longissime disjunxerant, revertantur. Cum præsertim eo minime contentus fuerit, ut Christum utcumque confitereris; verum publicæ cujusdam pœnitentiæ signa dederis, quibus vehementer excruciarî te declarares, quod ab illo discesseris aliquando, et ab illius corporis, una, sancta, Catholica et Apostolica Ecclesia, te præcideris. Multa sunt in re militari feliciter a te gesta, quibus magnam apud omnes gloriam tibi comparasti. Sed hoc unum factum tuum, omnibus aliis a te præclare gestis rebus, anteferre non dubitaverim. Tu modo fac memineris ejus, quod a Servatore nostro dictum est: Non qui cœperit, sed qui perseveravit usque in finem, salvus erit. Quamobrem, si quis a via veritatis, quam per Dei gratiam cognovisti, abducere te voluerit, ac dixerit: *Ecce hic est Christus, ecce illic*; nimirum Willebergæ, vel Ienæ, vel Genevæ, vel, quæ nobis magis nota est, Pinczoviæ; noli exire, *noli credere*. Nusquam est Christus, nisi in corpore suo, una sancta Ecclesia Catholica, Apostolica Ecclesia; nec usquam est Christi fides, nisi in eodem corpore. Et sicut Ecclesia non est, nisi una, sic et fides non est, nisi una, Quidquid est extra unam fidem hanc, quemadmodum a Sancto quodam Patre verissime dictum est, non fides, verum perfidia est. Quamobrem, ab omni genere perfidiæ, sive sit ea Augustana, sive Tigurina, sive quocumque alio nomine vocetur; haud aliter atque ab immani aliqua peste tibi caveto. Et semper infixa sint pectori tuo, præclara illa D. Athanasii verba: Si male senserunt Patres nostri, et orbem terrarum doctrina sua seduxerunt; cesset omnino eorum memoria. Itaque vos ipsi, et eruite eorum reliquias ex monumentis, ut ab omnibus intelligatur, et eos fuisse seductores, et vos parricidas esse. Quæ tua pietas est, non facies

procul dubio; ut patrum tui Joannis archiepiscopi Guesnensis, quem non vulgari quadam vitæ sanctitate, et in tuenda fide Catholica singulari constantia præditum fuisse scimus, reliquias ex monumento, quod est in Ecclesia metropolitana Guesnensi necuimus; quin illius potius tu fidem sectaberis, nec unquam ab ea deduci te patieris. Plura scriberem, si vel plus otii haberem, vel te monitoris alicujus, ut, quam semel ingressus es rectam viam, ab ea ne deflecteres, indigere putarem. Sed in procinctu cum sim, et cum omnia mihi de tua constantia, et non mediocri animi robore pollicear, receptui cavendum esse existimo. Quamobrem hoc unum tantum addo, si quid erit, in quo, vel commodis vel dignitati tuæ possum inservire, ubicumque locorum Deus esse voluerit, habiturus es semper hominem ad omnia officia et obsequia præstanda tibi addictissimum, et qui non alium diem hitariorem sit sumpturus, quam quod bene merendi de te occasio aliqua data fuerit. Hoc tibi certo de me promittas licebit, non fallam opinionem tuam. Datum 11 Septembris, Cezaremi MDLXIX. »

268. Quo vero boni omnes gavisi sunt, super tam illustri principe pœnitentiam agente et ab erroribus converso; sic juxta Davidicum illud: *Peccator vilebit, et irascetur, dentibus suis fremet, et tabescet*; irati sunt ac adeo infremuere sectarii, ut flumine sanguinis, ut refert Rescius¹, et Laskii et aliorum ad veram fidem reditum, intercludere non dubitassent, si id quoquomodo perficere potuissent. At, quæ præcipue in Syrdiensem, scriptis editis, maledicta iniecerunt, sequenti anno dicetur.

269. Hosius autem, mandante rege, (ut innumus) hoc anno Romam versus iter arripuisse, ex Rescio² habetur, qui et præter quas attulimus rationes suscipiendi itineris, et iter ipsum his verbis describit: «Visum postea fuit Sigismundo regi Augusto, et regni sui rationibus vehementer expedire, ut Hosius Romam proficisceretur, idque ut faceret, summis ab eo precibus, et coram, et per vicecancellarium suum contendebat. Sed Hosius, quantum potuit, proficiscendi laborem detrectavit, tum ætatis ingravescentis, tum inopie, tum etiam episcopalis officii et pascendi gregis excusatione proposita. Rex vicissim laborem dicebat iis tantum gravem et acerbum accidere consuevisse, qui nolentes et inviti quidpiam aggredierentur; quod ab animo Hosii, et ab omnibus antea vite institutis esse alienum judicabat, qui pro patria sua periculosissima quæque non solum facere, sed etiam imperare fortissimis consuevisset. Quod ad sumptus itineris et urbanas impensas attineret, eos et libenter et liberaliter suppeditaturum esse. Quod autem ad pascendas

¹ Rescius ut supr. cap. 32. — ² Ut supra cap. 31.

oves Ecclesiae Varmiensis, eligeret sibi in coadjutorem, quem in Domino expedire iudicaret, qui in absentia populum Varmiensem verbo veritatis pasceret, et rapaces lupos ab ovili Christi prohiberet. Hosius itaque, impetrato ad deliberandum spatio (neque enim unquam quidquam incogitanter aggredi consueverat), se suaque omnia divinae Providentiae sollicitissime commendabat; modo, non totidem verbis, sicut olim Moyses contendens, ut provideat Dominus Deus spiritum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc, ne sit populus Domini, sicut absque pastore, provideatque illi Dominus virum secundum cor ejus: vel, ut Apostoli Pauli verbis utar, *sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, doctorem, domui suae bene praepositum, et testimonium bonum habentem, etiam ab his qui foris sint*, Martinum Cromerum, non neophytum, sed cujus jam in Ecclesiam Dei, et in patriam quoque suam, multa et magna extabant merita qui scriptis suis magno cum fructu haereticos oppugnavit, et in obcundis legationis muneribus, eum apud Ferdinandum imperatorem, et alios Germaniae principes, summum semper gradum tenuit dignitatis et gratiae; et res gestas Polonorum, elegantissimis commentariis comprehensas, ad universae posteritatis memoriam egregie illustravit. Hunc igitur virum, propter studiorum et consiliorum similitudinem, administratorem primo, deinde coadjutorem, successoremque futurum, accedente regis consensu, ac Pontificis maximi approbatione, tanto libentius designavit quod memineral, non solum ac tempestate nostra, qua versa et perversa in pejorem partem sunt omnia, sed majorum quoque nostrorum memoria, per ambitiosos et contentiosos homines, Ecclesias perturbari solere; et a sanctissimis illis Patribus, Ecclesiae Catholicae columnis, Valerio, Augustino, Alexandro, Athanasio, imo, et a Mose qui loco suo, vivus adhuc, Jesum designaverat; et a Petro, qui Linum et Clementem, et aliis idem factum esse sciebat. Tali itaque viro cum pascendum gregem Christi commisisset, iter Romam versus ingressus est, Augusto mense, maximo sui desiderio relicto in animis orthodoxorum, qui Hosium, ex Polonia discedentem modo, non totidem verbis prosequerantur, quibus olim Gregorium Nazianzenum, ex Thracia exeuntem prosecutum esse legimus: O Pater, Trinitatem tecum ejicis: idque propter horrendas blasphemias, quas homines impudentes in sanctissimam Trinitatem et in universam Christi Ecclesiam evomere non cessabant. Quamobrem plena luctus et mœroris erant omnia, in episcopatu praesertim apud Ecclesiae subditos, qui tantum illius amorem, tantam erga se benevolentiam experti semper fuerunt, ut a maternis visceribus majorem expectare non potuerint; quandoquidem illius prudentia, otium,

illius labores, delicias, illius industria vacationem eorum semper defendebat, et eo libentius imperanti parebant, quo remissius imperabat.

« Maximus autem Hosio, in toto illo itinere, honos habebatur. Pii omnes et orthodoxi, Abrahamicum senem ubique admirabantur et suspiciebant, haeretici vicissim (cum in vita quod morderent non haberent), persecutorem tantum, Evangelii Bapstmutter, hoc est, papae matrem appellabant: quod, cum in aliis locis, tum in oppido quoque Brigensi in Silesia accidit, in quo tantum est in sequenti nocte, tamque subitulum incendium consecutum, ut magna pars, non inelegantis oppidi, intra quatuor fere horas, flammis ultricibus conflagraret. Quamvis autem in vicina ei domo, in quam Hosius diverterat flamma sumserit initium; dedit tamen hoc Dominus innocentis Hosii meritis, ut flamma quidem circumcirca adjunctas domos depasceret, domum autem ipsam, tanti hospitii conservatricem non attingeret; sicut olim B. Germano, in simili incendio accidisse memoratur. In Italiam autem ingressus, a summis et principibus viris honores accepit plane extraordinarios, cum non spem futuri beneficii, sed quod in habendis honoribus spectari debet, illustria in Dei Ecclesiam tanti viri merita, et antea vite laudes, quibus jam erat toti fere orbi notissimus, respicerent; sibi quoque etiam gratulari videbantur, quod in Hosii meritis superiora saecula viderent, et opera sanctorum, quae in Ecclesiasticis Annalibus legebantur, in hac etiam prope deposita Reipublicae Christianae parte, oculis ipsi suis aspicerent etc. »

270. *Angliam appellit Mortonus, ad cujus vocem Catholici insurgunt, Northumbriae comitem sibi ducem eligunt.* — At nullibi jactatam magis Catholicam religionem hoc anno videre fuit, quam in Anglia; ideoque Pontifex, ut fere labenti penitus subveniret, praeter consilia ea, quae clam cum Roberto Rodulpho, nobili Florentino, agitare jam pridem coeperat, Nicolaum Mortonum, sacrae Theologiae doctorem, Anglum, ac unum ex presbyteris, qui poenitentis indicendis Romae praerant, in eam insulam misit. Ejus habemus Epistolas, quibus Mortonum in Angliam transfretantem Albano Duci Belgii gubernatori (ob dissidia, quae anno praeterito inter Elizabetham et ipsum, ut diximus, exorta fuerant indignato), enixe commendat, et hujusmodi sunt:

« Dilecto filio, nobili viro Duci Albæ etc.

« Dilecte etc. Nicolaus Mortonus, poenitentiarum noster in Ecclesia S. Petri, nobilitati tuae has nostras litteras reddet, sine quibus hominem pium et Catholicae religionis studio incensum noluimus ad te venire. Is mentem et cogitationes suas, Deo adjuvante, praesens presenti tibi subtilius exponet. Pro tua singulari in Deum pietate, petimus a te, ut ejus desideria cognos-

cas, quæ sunt illa quidem sancta et pia, sed tamen talia, ut divinis potius quam humanis auxiliis indigere videantur. Et quia nobis visum est, neque virum hunc bonum et absque consilio tuo aliquid esse tentandum, idcirco, eum tibi vehementer commendantes, nobilitatem tuam rogantes, ut illum, et prudentia sua, in qua summam in Domino fiduciam repositam habemus, et si illa res postulabit, re ipsa etiam juvare velit. Nos interea Deum omnipotentem oramus, ut quæ ad ejus gloriam honoremque diriguntur, his, pro sua misericordia bonum eventum largiri dignetur. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIII Februar. M^DLXIX, Pontific. nostr. anno quarto. »

274. Quæ vero per Mortonum (approbante Albano) Catholicis Anglis significanda curavit Pius; certum est ipsummet explicasse Constitutione edita, ad eosque per eundem Mortonum missa, de qua nos fusius anno sequenti. Statim igitur ac summi pastoris hi vocem audierunt : (perpaucos autem fuisse ex inferius ponendis elicitur, eo quod indiscriminatim, temere et ubique Pii decretum Mortonò evulgare non licuerit); quod de Elizabetha e throno dejicienda cogitantes, primo secretis coitionibus, deinde in aperta rebellionem proruperunt. At cum sibi ex imperita multitudine passim una conjunctis providere necesse haberent alicujus, qui omnium dominaretur, ac agenda seite ac prudenter disponeret; communi voto dum sibi Thomam Parcæum Nortumbriæ comitem delegerunt; virum, non minus animi virtute, quam generis splendore illustrem, sed præ aliis corporis animique dotibus, Romanæ ac Apostolicæ fidei præclarissimum assertorem. Ac statim, scripto proposito declararunt, si tamen Tarca-gnotæ ac Camdeno sit fides : « Se arma sump-sisse non alio consilio quam ut majorum religio restitueretur, consilarii pravi a regina submo-verentur; dux nempe Nortfoliæ, de quo infra, et alii proceres fideles, de gradu dejecti, in libertatem et gratiam reducerentur : in reginam autem nihil moliri, cui obsequentissimos sub-ditos se esse et semper fore devoto. »

272. In sequentem annum hæc rejicit Polinus; at erroris arguitur a scriptoribus cæteris, qui ante publicam Bullæ promulgationem, ista facta commemorant. De Nortumbriæ vero comite narrat Camdenus ¹, quod cum ineunte hujus anni Autumno rumor exortus esset, de rebellionem in Septentrionali Angliæ plaga; et mox auctus, ex frequentibus ejusdem comitis Nortumbriæ necnon alterius Westmorlandiæ aliorumque coitionibus, qui provinciæ præerat præses eos accersitos de rumore isto fuerat sciscitatus, qui eum quidem inaudisse non dif-

fusi fuerant, verum se rebellionis conscios negaverant. At cum rumor increbuisse, atque ad reginæ aures pervenisset, illam Londinum eos accedere primum ad omnem suspicionem dirimendam perbenigne hortatam fuisse, narrat. Cumque illi parere abnuissent, deinde peremptoriis litteris, omni tergiversatione semota, absque mora statim coram comparere præcepisse refert; ut hac ratione, vel a rebellionem omnino abstereret, vel in rebellionem profinus prorumpere impelleret, priusquam copias contraherent validioresque contra se evaderent. Regiis hæc mandatis acceptis, ancipili nihilo-minus cura Nortumbrium fluctuasse subjungit, incertus, an reginam adire, an fuga sibi consulere, et an demum contra eam in rebellionem prorumpere deberet. Quod cum animadvertissent, qui jam in rebellionem parati erant, tandem eum ad defectionem traxisse, asserit; comiti ipsi, in primis, religionis Catholicæ causa, ad quam asserendam se arma sumpsisse dicebant, proposita. Ista Camdenus, et quidem hand inverisimilia. At quæ addit, perperam in egregii principis odium exarasse cognoscitur, cum in Elizabetham, nimirum, Nortumbrium etiam insurrexisse tradit, exacerbatum injuria, quam ille interpretatus fuerat de divite æris vena in solo suo, ex majestatis jure sive prerogativa, in fœdibus regalibus adjudicata; cumque comitem ipsum, facilis ingenii virum describit, facile mendacii coarguitur, tam ex imperterriti, constantis et inconcussi illius animi innumeris argumentis, quam ex his, quæ sinceriori stylo ab Isselt ¹ monumentis tradidit, ex quibus insuper aliud deprehendes, qua nempe de causa vir prudens anceps fuerit, eum de facinore aggrediendo primo actum est. Scriptoris hujus hæc ipsa sunt verba :

« Comes difficulter quidem ab initio (quod eos ad tantam rem aggrediendam satis instructos negaret), ad hoc induci potuit; tandem tamen assensum præbuit ut neglecta rerum suarum cura, periculum faceret, an Catholicos ab hæreticorum injuriis erroribusque liberare posset; atque, ut fieri solet, ubi nulla sunt capita, cum alii aliter sentirent, dicerentque sibi consultius videri, ut non Catholicæ fides, sed alia quæpiam causa belli prætenderetur; Nortumbrius se aliam causam non scire nec agnoscere asseruit; neque enim hominum, inquit, opinor, sed Dei gloriam quærimus ».

273. Sic ille, ubi de præclarissima Catholica fidei confessione comitis Nortumbrii agit. Et quidem, ex his pensari valet, an integra etiam fides sit adhibenda scripto, quod Catholicos proposuisse diximus, ejus nimirum tenoris, quo illud exaratum, ut vidisti, Camdenus ac Tarca-gnotta scripserunt, licet in illo nil deprehendi

¹ Hist. Angl. lib. 4. cap. 24.

¹ Ab Isselt. Hist. pagin. 186.

possit, cui rite detrudere sectarii valuerint. Pro asserenda enim majorum Romana religione, vel saltem, pro eam exereendi libertate, Catholicis ipsis ad ea remedia confugere in Anglia licuisse, quibus toties in Scotia hæretici usi fuerant, sibi que licere contenderant; ut sibi met, nimirum eo in regno perniciosissimis hæresibus adhærere permitteretur; quod nempe, arma sumerent, ac in legitimam reginam rebellarent, fateri certe adversarii cogentur: id igitur magis sibi haud vetitum, Catholicos in Anglia contra Elizabetham censere debuerunt, quod contra illegitimam reginam agerent; idque sibi a Pontifice permissum intelligerent, negare non poterunt. Si insuper Scoti in Mariam insurgendum existimarunt, quod ipsa (quamvis falso ista vulgarent) nobilitate amota, per Rizzium omnia gerere visa fuisset; cur id etiam Catholicis Anglis non concessum, quod per nebulo-nem illum Cæcilium Baconem, de quo plura suis locis, Catholica nobilitate regni muneribus deturbata, in Deum ac fidem innumera ab Elizabetha scelera patrari conspicerent?

274. Non proposito libello modo, sed circumquaque Catholicos, per regnum ad confratres missis litteris, ad defectionem impulsisse, scribit Camdenus; additque, quod tantum abfuit, ut se consociarint, ut plerique potius acceptas litteras cum latoribus ad Elizabetham transmissis, suamque singuli, ex omnibus regni partibus, operam et opes contra illos certatim obtulerint: adeo ut illa summam certe et singularem subditorum fidem prospexerit, et hoc nomine divinam benignitatem agnovit. Verum, ex his quæ Sanderus et ab Isselt scribunt, circumquaque per regnum ad Catholicos, indiscriminatim missas minime fuisse hujusmodi Epistolas, evidentissime intelligitur: si enim, ut Camdenus asserit, ad omnes date fuissent, ad eorum animos in Elizabetham concitandos, initium ac rationem susceptæ conjurationis in ipsis procul dubio explicassent: Pontificis Maximi nempe nomine fuisse significatum omni dominio et potestate Elizabetham excidisse; impuneque idcirco in illam insurgere posse. Cum igitur præfati scriptores¹ scribant, Nortumbrium et Westmerlandium comites ideo ab Elizabethæ copiis in fugam fuisse actos, quod reliqui Catholicis se iis non adjunxerint, eamque excusationem obtenderint, quod adhuc per papam minime essent ab Elizabethæ ejusdem obedientia soluti, facile intelligitur, hujusmodi litteras (ut Pii Bullam) per totum regnum minime missas, ut Camdenus somniavit, cum Catholicorum partem potiore[m] eas non modo non accepisse, sed penitus ignorasse deprehendatur. Quapropter, quod scriptor idem, de divina erga se, hoc nomine, benignitate ab Elisabetha co-

gnita, ac de vana insuper ac futili ejusdem, ob subditorum fidelitatem gloriatione tradit, evanescit; nam quod in eam plerique non insurrexerint, non amor ac in Elizabetham obsequium, sed Dei timor, ac in Apostolicam Sedem reverentia, ne videlicet judicium ejus prævenirent, efficit.

275. *Catholici se dant in fugam.* — Armis igitur sumptis, Nortumbrius et Westmerlandium Dunelmium adeunt, ubi ingenti plebis applausu, Calvinianis ministris ablegatis, libros eorum dilacerant (quod desset Camdenus) mensasque profanas et templis ejiciunt. Hinc sacra altaria restituant, ubi sacrosancta mysteria omni cultu ac veneratione denno celebrarentur. Deinde parvis itineribus sub signis, in quorum aliis quinque vulnera Christi depicta erant, in aliis Eucharisticus calix, Richardo Northono, sene nobili et venerabili canitie, crucem cum labaro præferente, haud procul a Wetherbera progressi sunt. At cum audissent Scotorum reginam a Tuburia Conventriam urbem munitam fuisse abductam, (ad quam liberandam arma potissimum Catholicos induisse scribit Camdenus) et Elizabetham quadruplo majores copias in illos educere; nec Catholicos alios, ut speraverant, sibi auxilio præsto esse; pecuniarum etiam (ut vult Gabutius) inopia pressi; fracti animo dilabi cœperunt, ac fuga sibi consulere atque in Scotiam aliaque secretiora loca sese receperunt. Duos comites cum pauculis in eandem Scotiam, cæteris insciis confugisse, scribit ipse Camdenus; at cum hoc a scriptoribus aliis minime confirmari reperiat, ideo valde suspectum merito est habendum quod asserit, utpote qui Catholicorum hujusmodi comitum honorem ac famam carpere venenato dente semper studuerit. Certum nihilominus est Nortumbrium Scotiam tandem petiisse, ubi ab amico quodam Scoto, per summam perfidiam proregi Moravio proditus fuit. Is vero in lacum Levinum, sub arctissima ineluctum custodia comitem, postea Elisabethæ turpissime tradidit: cujus tandem jussu capitali supplicio Northumbrius affectus, admiranda constantia, ut suo loco dicetur, Catholicæ fidei confessionem, proprio sanguine decoravit. Carolus autem Nevelius Westmorlandiæ comes, postquam variis casibus agitalus fuit, singulari tandem Dei protectione, in Belgium evasit, ubi inopem quidem, sed passionibus pro Christo toleratis locupletem ac gloriosam vitam, ad senectam usque perduxit.

276. Non omnes tamen sic fuga sibi consulere potuerunt, ut cuncti pariter inimicorum manus evaderent; quin potius, ex his plures capti, et innumera sævissimæque passi tormenta, ac demum occisi; posteris fortitudinis et in Catholica fide constantiæ exemplo fuere. Ad sexaginta sex occisos, et quadraginta ad aliorum terrorem fuisse proscriptos, quod forte majorem nume-

¹ Ab Isselt, ut supra. Sander. de Schism. Anglic. lib. 3. pag. 417.

rum distincte recensere puderit, scribit Camdenus. Verum scriptores cæteri, quingentos (præter proscriptos) crudelissime fidei odio interemptos fuisse asserunt; et probabile quidem est, neminem eorum qui in Elizabethæ manus incidere, mortem ulli ratione evadere potuisse; cum fœminam adeo tum regni, tum hæreticæ superstitionis Zelotypam, nulli parendum illorum, qui, eam, vel regno disturbare, vel hæresim ablegare contenderint, existimasse, procul dubio censendum sit. At audiendus auctor¹ libri de Justitia Britannica, qui de his agens, hæc habet :

« Certe quidem illud miraculo imputetur necesse est, quod cum viri fere quingenti ex his, qui arma pro fide sumpserunt, ab hæreticis capti et morte affecti essent, nemo illorum repperit est, qui aut fidem Catholicam deseruerit, aut belli hujus auctores alicujus culpæ accusarit. Permulti vero unitati Ecclesiæ paulo ante reconciliati serio sibi gratulantur, quod vita prius ipsi exeuendum esset, quam novo aliquo scelere pacem nuper acceptam maculassent; nec se optare in illo regno diutius vivere, quod ipsum tandiu in Christo vivere desiisset. Omnes autem sub ipsa morte precati sunt, ut inchoata fidei Catholicæ restitutio, feliciter absolveretur. » Sic ille, egregiam tot martyrum fortitudinem describens. Pergit deinde, ac tum occisorum, tum proscriptorum, inter alios præcipuorum nomina recenset; hic certe merito ponenda, quod in cœlis describi meruerint, utpote qui strenue Redemptoris sectati vestigia sint : Dicit enim² :

277. « Inter eos autem facile princeps fuit presbyter quidam nomine Plumtreus vir doctus et pius, cui jam ad mortem ducto, cum vita offerretur, si abjurata fide Catholica, hæresim vellet amplecti, negavit se ita velle in mundo vivere, ut interim Deo moreretur. Quapropter fidem suam intrepide confessus, mortem in mundo per Dei gratiam pertulit, ut vitam æternam in Christo accipere mereretur. » Præclarum hujus martyrium ipsos hæreticos admiratos fuisse, laud obscure innuit Camdenus ipse his verbis : « Ad terrorem sexaginta sex pedanei magistratus, et alii Dunelmia: suspensi; inter quos Plumtreus sacerdos fuit notissimus.

278. « Nobile etiam martyrium eadem causa subierunt duo viri nobiles de familia Nortonorum, ex quibus alter dicebatur Thomas Nortonus, alter vero Christophorus : et Christophorus quidem Thomæ nepos erat ex fratre, ille autem huic patruus. Qui ambo, nec a fide sua dimoveri, nec ut Elizabetham confiterentur legitimam reginam, adduci poterunt, etiamsi primum suspensi, deinde adhuc viventes, dissectis visceribus membratim divisi essent.

« Qui autem in Scotia se receperunt, fidem Catholicam et Romani Pontificis primatum omnes ad unum confitentur,

« Thomas Perseus illustrissimus comes Nortumbriæ, dum Scoto cuidam se credit, ab illo proditor Jacobo Spurio (qui Scotiam tunc præter jus omne occupaverat) deditur, ab eoque in carcerem detrusus est, ubi usque in hodiernum diem vixit ac valet : Jacobo interim, qui eum misit in carcerem, per quemdam ex Hammilitionum familia e medio subita morte sublato. » Hoc autem accidit sequenti anno ut ibi dicitur. Nortumbrius vero anno MDLXXII obruncatus fuit Eboraci, ut pariter suo loco narrabitur. At ex his quæ sequuntur, anno MDLXX librum de Justitia Britannica, cujus ista, ut diximus, sunt verba, conscriptum fuisse apparet, nempe ante Spurii mortem : nam subdit :

279. « Anna Somerseta, clarissima fœmina, ejusdem comitis Nortumbriæ uxor, cum diu ab Elizabetha gravissimas persecutiones passa esset, adeo ut nusquam in universa Scotia quiescere permitteretur, tandem in Belgium appulsi, ubi nunc Deum pro mariti salute orat.

« Carolus Nevellus illustrissimus comes Westmerlandiæ, variis casibus in Scotia exagitatus, cum tandem in Belgium cogitasset, in itinere ipso ad portum quemdam littoris Anglicani appulsi, in quo certissimum ne prehenderetur periculum erat, nisi gubernatorem navis vi metuque ad vela ventis quamprimum committenda impulsisset; qui nunc Lovanii, cum reliqua sua familia incolumis agit.

« Leonardus Dacrius fortis et clarus Baro, ex Anglia in Scotiam tardius quam cæteri exiit, sed nunc par in fide profitenda studium adhibens, Mecliniæ cum familia sua degit.

« Christophorus Nevellus. Cubertus Nevellus. (Patru sunt comitis Westmerlandiæ).

« Egremundus Radeliffus, inelyti comitis Sveziæ frater.

« Joannes Nevellus equestris Ordinis vir.

« Richardus Mortonus, illorum qui martyrium pro fide subierunt, alteri frater, alteri etiam pater.

« Thomas Marckenfeldus, Ordinis Hierosolymitani eques.

« Georgius Marckenfeldius.

« Edoardus Dacrius, Leonardi Dacrii Baronis frater, in Scotia adhuc agit.

« Joannes Suvinornus, Brianus Palmus, Georgius Smitæus. (In Scotia captivi delinuntur.)

« Franciscus Nortonus, Christophorus Daniels, Joannes Trollopus, Thomas Jenius, Robertus Heihingtonus, Georgius Nortonus, Antonius Nollothus, Jacobus Suvinos, Robertus Carrus, Robertus Tempestus, Gulielmus Holmes presbyter, Franciscus Morus, Marmaducus Nortonus, Joannes Thuringus, Rodulphus Suvinos, Cubertus Armurerus, Gerardus Lodorus, Rodul-

¹ Pag. 49. — ² Ibid. ut supra.

plus Conjerus, Michael Tempestus, Georgius Staffordus, Sampson Nortonus, Gulielmus Slingsbuius, Ingramus Thuingus, Tristamus Fenicus, Robertus Colinvodus ». Ita ibi.

280. Occisorum autem alii Dunelmie interfecti sunt, ut Plontraus; alii Eboraci, (iique in libello de Justitia Britannica adnotati minime reperiuntur, eosque Camdenus numerat) nempe: Simonem Digbejum, Joannem Tulfropum, Thomam Bishopum, Robertum Penmanum; et alii demum Londini, nempe, quos diximus Christophorum et Thomam Nortonos, qui cum Elizabetham legitimam reginam ulla unquam ratione adduci potuisse referantur, ut confiterentur; id procul dubio fateri respuisse censendum est, quod ex iis fuerint, quibus de ipsius abdicatione a Romano Pontifice lata sententia innotuisset, a qua ne recederent, mortem potius optellere malueruntque vitam perdere, quam in Sedem Apostolicam obsequium ac obedientiam amittere.

In proscriptos pariter confirmatam fuisse damnationis sententiam, ab Elizabetha prolata, proximo parlamento, idem Camdenus asserit; at reliquis, qui fundos non habebant, et a regno minime profugerant, noxam fuisse remissam dicit; at qua securitate, quæ sunt subsequuta facile declarabunt.

281. *Maria Scotiæ regina ab Elizabetha diu-rius habita.* — Interea, ex his omnibus supra modum reginæ Scotiæ Mariæ ærumnæ multiplicatæ sunt; nam præter id, quod a Tuburia Conventriam, longius a regni sui limitibus translata est; quo magis Catholicos ejus libertati prospicere Elizabetha ac Moravius agnoverunt (præter enim ea, quæ comites Nortumbrius ac Westmorlandiæ commoliti fuerant, alia etiam aggressus fuerat Leonardus Dacrius, Edoardi Dacrii, quem paulo ante memoravimus, frater, licet et ipse frustra, ut illam e tam indigna eriperet captivitate Navurthi in (umbria): eo magis ipsam, quavis ratione perdere statuerunt; nil prorsus intentatum relinquentes, quo eam, assuetis artibus circumvenirent, ac objectis criminibus, tamquam ream, nec libertate donandam, sed omni potius plectendam pœna, palam ostenderent.

Ad opprimendos igitur, in primis omnes, quos posset, qui Mariæ in Scotia adhererent; illud Moravius excogitaverat, ut ipsa, datis ad eos litteris coliberet, et, ne suum in Scotiam reditum (de quo nonnulla præterito anno) curarent, districte præciperet. Quod illa, pro assueta bonitate nimique simplicitate statim præstiterat. At ubi primum Edimburgum Spurius se contulit, assumulata specie consultandi de modo, quo regina restitui posset, nobiles ipsos ipsi addictos accersit. Præsto inter alios fuere Hamiltonius dux Castri-Heraldi a regina regni vicarius constitutus, et Herisius, optimæ reginæ

litteris adducti. Verum cum Spurius eos in suam potestatem esse cognovit, in carcerem trudit, deinde omni simulatione abjecta, statim emctos reginæ fautores omnibus belli injuriis violenter exagitavit.

282. E contra vero Elizabetha, cujus consilio cuncta hæc Moravius aggrediebatur, ut tantam illius feritatem ac insolentiam contereret, minueret, et (quam frendentes ac iniquissimo animo Scoti ferebant tyrannidem), detestari ipsa ex animo crederetur; scriptum edidit, quo injectas in se ob Moravii facinora criminationes repelleret. Rumores siquidem jam longe disseminati fuerant, Moraviium ipsum ac Elizabetham inter se convenisse, (sicut Camdenus refert), ut tenellus Scotorum rex in Angliam educandus traderetur. Edimburgi et Sterlini castra, Anglorum præsiidiis firmarentur. Dumbritionum, in Anglorum usum expugnaretur. Moravius legitimus reginæ Scotiæ successor, si rex sine sobole obiret, promulgaretur, regnumque, ut Elizabethæ beneficiarius teneret. Quæ omnia, et si a veritate nil aliena procul dubio viderentur, scripto, ut diximus, refellere Elizabetha studuit, utpote quæ sceleris in scelere punderet; et, quod præcipuum est, rumores hos haud parum propria existimationi, ac Moravii, suisque machinationibus obesse rite existimaret. In vulgato igitur libello, verbo regio (sed tamen mendaci), declaravit præfata omnia a veritate alienissima esse, et ab iis conficta qui ultriusque regni tranquillitati inviderent. Inter se et Moraviium nullam omnino collisionem extitisse; nec in sui potestatem tenellum Scotorum regem habere studuisse, sed potius, ut ejus avo Lenoxio traderetur crasse, ut illius securitati consuleretur. Demum, per se non stetisse, quo minus res inter Scotorum reginam ac filiolum nondum esse transacta; ut vero transigeretur, elaboraturam pollicebatur. Et certe elaborasse, dicit Camdenus, ac una secum elaborare Moraviium videri studuerat, cum illum in Scotiam miserat; at non, ut ipse dicit, ut eam restitueret, sed potius ut qui restituere possent opprimeret. Quam fraudem Camdenus ipse mox collegere nequens, subdit: « Licet conflictaretur, (tanta est veritatis vis, ut ab invito ac infenso hoste etiam prodeat) hinc metu ex æmulatione inveterata, inde in innocentem miseratione », quam erga sui sortem, litteris amoris plenæ, Maria commovere satagerat.

283. Verum in imperiosa ac vaferrima muliere dominandi cupidinem, omnem prorsus miserationis sensum extinxisse (si tamen eum unquam habuit, quo semper caruisse deprehenditur, ubi religionis ac arreptæ tyrannidis res ageretur) ea perspicue declarant, quæ in ipsius perniciem adhuc commoliti curavit, injecta a præterito anno, ut diximus, inter Scotiæ reginam, ac duceum Nortfolcium, Moravio agente,

nuptiarum specie, de quibus nuptiis hæc Remundus¹, rem ab initio exorsus :

« Moravius ne faba in se cuderetur veritus, ad novos inde proditiōnis artes se convertit. Quare Nortfolciæ ducem adit, et Mariæ reginæ matrimonium ostentat, e quo non dubitaret, quin nec ipsa, nec universus Scotorum populus abhorreret. Et hæc quidem inter vicinos populos pacis conficiendæ ratio videbatur. Sed mox in Nortfolcii exitum verit Moravius, accepta non mediocri a Nortfolcio pecuniæ summa, ac libero comœatu, tum reginæ etiam litteris, quibus illa suos, ab actionibus contra Moraviū in Scotia institutis desistere jusserat; antequam discederet, rem omnem Elizabethæ exponit, et quanto id cum ipsius periculo futurum sit, ostendit; neque enim dubium esse, quin Nortfolcius homo potens et ambitiosus, tam Angliæ quam Scotiæ regem facere se, conaturus sit. Illa Moraviū quieto animo esse jubet. Nortfolcii ambitionem propediem se repressuram. Quominus vero etiam reginam Mariam evertat, Galliæ regem sibi obstare, cujus inimicitiam merito reformidet. Inter Elizabetham et Moraviū convenerat, ut Scotiæ regnum inter ipsos divideretur, utque Moravius regem puerum in Angliam mitteret, ipse vicissim Mariam in suam arriperet potestatem. Exinde Maria multo arctiori custodia fuit inclusa. In Scotiam reversus Moravius reginæ liberandæ in primis cupidum se simulat, et convocatæ nobilitati, matrimonium quod inter Nortfolcium et Mariam tractatur, proponit : misso interim Roberto Meluino, qui de reginæ voluntate certum aliquod testimonium afferret, quo deinde contra ipsam uteretur. Et Nortfolcius quidem promissis Moravi deceptus, per litteras eum monuit, ut promissum sibi cum Maria regina matrimonium maturaret : cui ille, novis iterum promissis onerato, amice respondit. Litteras interim Nortfolcii ad Elizabetham misit, quæ hominis jam ante sibi suspecti, ut qui Catholicis non obscure favebat, et capitalem contra Mariam sententiam pronuntiare recusaverat, tollendi occasionem amplexa, in turri Londinensi securi percussit jussit; edita ad populum causa, quod se invita, matrimonium cum captivâ Scotiæ regina tractasset; cum tamen constaret, ejus rei Elizabetham quoque non ignaram fuisse, nec ab eo consilio ab initio abhoruisse. Sed credibile est diffidentia abreptam, longe alium animum postea induisse. » Sic ille; at nos probabilius censemus, nec ab initio nuptias hujusmodi se approbare, nisi ea ratione monstrasse, quod hinc, tum in Nortfolcium, tum in Mariam novas insidias parare posset; indeque tam sibi invisum ducem, quam reginam Scotiæ perpendi occasionem captaret. Verissime autem asserere Remundum, infer Mo-

raviū ac Elizabetham conductum fuisse, ut hæc illi Mariam traderet, ipseque vicissim puerum regem in Angliam mitteret; ipse Camdenus¹ haud obscure initio sequentis anni innuit, cum scribit, sedulo cum Elizabetha Moraviū ipsum egisse, ut sibi Scotorum regina in manus daretur; eoque præterea nomine, et obsides obtulisse, et alia promississe. Inter obsides recensere puerum regem absque dubio debuisset; at infidelem scriptorem puduit tantum scelus, ac nefariam proditiōnem prodere, ne insuper eo turpiorem in patrato crimine Elizabetham ostenderet, quo regio verbo a scelere prorsus alienam præbnerat. In Nortfolcium tamen, non hoc anno, sed biennio post tantum, capitali sententia animadversum est. Moraviū vero hujus impiæ commolitionis fructu, Deo sic disponente, haud perfrui potuisse; quæ anno sequenti dicentur, declarabunt. Minime tamen prætereundum, hæc ipsa de causa nuptiarum inter Mariam ac Nortfolcium ipsum, alios plures Elizabetham in vinculis detineri jussisse; inter quos Robertus Ridolphus patritius ille Florentinus, cujus opera Pius, ut diximus, potissimum utebatur, Francisco Walsinghamo (ipso Camdeno teste) custodiendus traditus fuit. Verum tum ille, tum alii paulo post dimissi sunt, ipsa jubente, quæ ad ostentandam forsân facti ignorantiam id præceperit: quod jam rem totam (cujus ipsa artifex fuerat) sibi plane innotuisse monstraret; vel quod alia Catholicorum consilia, præter ea quæ sibi comperta erant, ab iis rescire non posse deprehenderit.

284. Tam arctæ custodiæ Conventiæ, ut diximus, mancipatæ Scotorum reginæ, cum nec quidem scriptis Epistolis consulere Pius posset, ob id tamen non omni erga illam officio se abstulit; imo, ut inter tot ærumnas, reginæ ejusdem in Catholica religionis studio propositum immobile permaneret, quoad potuit, curavit. Quod quidem ejusdem Pontificis jussu hoc anno scriptæ ad episcopum Blasgensem, seu potius Briehniensem, ipsius reginæ Scotiæ apud Christianissimum regem oratorem, ac Catholicæ religionis strenuum assertorem, a cardinali Alexandrino hujus tenoris testantur Epistolæ :

« Admod. rev. domine uti frater. Ita multa et gravia testimonia tibi apud S. D. N. nosque data sunt, cum devotionis erga Sedem Apostolicam, et insignis ejusdem studi erga religionem Catholicam, tum plurimorum etiam officiorum, quibus, et verbis, et litteris sæpissime functus es, ad Scotiæ reginam, cujus orator es, apud Christianissimum Galliæ regem in Catholica religionis cultu, et hujus S. Sedis devotione conservandam; ut Sanctitas Sua, quæ omnibus se debere intelligit, quorum præclaram operam, pro fidei Catholica conservatione navatam co-

¹ Florem. Remund. lib. 6. cap. 17. pagin. 185. ff. 4.

¹ Camden. Ann. 2579. init.

gnoscit; tibi, pro sua in Deum Omnipotentem pietate et eximio in ejus Ecclesiam studio, gratias nos per litteras agere voluit. Certe enim in multis et gravissimis curis, quibus in hoc Apostolicæ servitutis onere angitur, illa præcipue cor suum torquet, qua interdum vereri cogitur, ne ipsa regina, qua bene erga se Sanctamque Sedem animatam esse non dubitat, in tanta tamen religionis orthodoxæ perturbatione, tantisque ejus calamitatibus, aliquid (quod Deus avertat), de sua pristina in hujus S. Sedis reverentia remittere cogatur. Quo magis te toto corde complectitur, et præcipua quadam charitate diligit, qui tam necessario tempore eas officii partes susceperis, quas tibi, et episcopatus munus, quo in sollicitudinis Apostolicæ partem vocatus es, et ejus cui inservis reginæ charitas imposuit: et quanquam eum, qui sponte sua, tanta cura, studio, diligentia, pietate, tam egregiam plæclaramque operam præstiterit supervacaneum esse videatur, ad idem hortari atque incitare: tamen Sanctitas Sua, pro sui muneris officio, currenti tibi, quasi hortationis calcem admovere nos voluit. Itaque, et tibi primum Sanctitatis Suae nomine, gratias agimus, pro iis, quibus hucusque functus es officiis; teque rogamus, ut si quid ad præterita tua officia, si quid ad eam diligentiam, quam hucusque adhibuisti; denique, si quid ad illud tuum acerrimum studium addi postest, quod in hac ipsa re, de qua diximus, tantopere tamque necessario tempore declarasti; nihil omittas earum rerum, quas utiles necessariasque esse putaveris, ut reginæ ipsius animus, quotidie magis, in retinenda Catholica pietatis devotione confirmetur atque exciteletur. Præterquam quod Deus ipse Omnipotens, cujus oculi super justos sunt, quique bonarum adjutor est ac remunerator voluntatum; tuam virtutem ac labores remunerabitur, S. D. N. præterea, pro loco, in quo Dominus eum constituit, oblata occasione libenter reipsa tibi ostendet, quantopere hæc ipsa tam sinceræ tuæ erga Apostolicam Sedem devotionis officia Sanctitati suæ grata atque accepta sint.

« Datum Romæ, die IV Decembris MDLXIX. »

285. *Albano duci ruina Angliæ tribuenda.* —

illis autem minime contentus Pontifex ubi de turbis contra Elizabetham a Catholicis Anglis excitationis certior redditus est; ad Albanum ducem Belgii, pro Catholico rege gubernatorem, ac jam, ut diximus, in Elizabetham commotum, consiliorumque omnium conscius, fidei zelo plenas sequentes litteras dedit, ut quæcumque ratione posset, tum illis, tum captivæ præcipue Scotiæ reginæ auxilio esse vellet:

« Dilecto filio, nobili viro duci Albæ etc.

PIUS PP. V.

« Dilecte etc. Ex litteris primum venerabilis

fratris episcopi Nicostratensis, nostri et Sedis Apostolicæ, apud rempublicam Venetam nuntij; deinde, ex dilecti filii, Francisci Tit. S. Crucis in Jerusalem card. Pacechi vocati, sermone agnovimus, Catholicos in regno Angliæ adversus hæreticos atque adeo contra eam quæ se pro Angliæ regina gerit, sese commovisse. Id si verum est, quantum in eo momenti positum sit, non modo ad religionem Catholicam in regno Galliæ stabilendam, recenti præsertim victoria confirmatam, sed etiam, ad eandem in regno Angliæ restituendam, nobilitatem tuam pro sua prudentia intelligere compertum habemus. Itaque, quanquam te, cui ipsa Anglia prope in conspectu est, nihil, pro tuo juvandæ Catholicæ religionis ardentissimo studio prætermisurum esse putamus, quod afflictas ejus regni res excitare possit; tamen, pro nostra pastoralis sollicitudine faciendum nobis esse existimavimus, ut te his nostris litteris ad idem hortaremur. In primis autem nobilitatem tuam obtestamur, et quo majori possumus animi studio rogamus, ut si qua in re operam suam charissimam nobis in Christo filia Scotiæ reginæ, in libertatem regnumque suum restituendæ navare potest, ejus rei nullam occasionem præterire patiatur; cui quidem nos, siquidem rebus prodesse posse sciremus, nihil certe, quod illius adjuvandæ causa fieri a nobis posset, prætermitteremus. Nihil facere potest hoc nobilitas tua Deo omnipotenti gratius aut acceptius, quam si reginam, optime de fide Catholica meritam, hæreticorum hostium suorum potentia oppressam, in libertatem vindicaverit. In nos certe pauca, a nobilitate tua proficisci possent, quæ æque atque hoc, nobis grata jucundaque essent. Sed quia nobilitatem tuam ad bene de republica Christiana merendum ad omnia fortia egregiaque facta, satis sua ipsam sponte bene animatam esse cognoscimus; pluribus secum verbis, de hac ipsa re non agimus: pro certo habentes eam in religionis Catholicæ causa sublevanda, neque nostris neque ejusvis alterius monitis aut precibus locum esse relicturam. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die in Novembriis MDLXIX, Pontific. nostr. anno quarto.

286. *Anglos Catholicos pecunia juvat Pontifex, et in illorum gratiam Duacensis collegii fundamenta facit.* — At Albanum improbe his Pii officii studiisque respondisse, unumque prope fuisse, qui merito Catholicæ religionis in Anglia casus tribuendus fuerit, quæ infra narranda erunt, manifeste monstrabant. Pontifex autem ne tantum verbis Catholicorum in Anglia sollicitudinem gereret, cum illos pecuniarum inopia laborare intellexisset, ad centum quinquaginta millia aureorum (ut narrat Gabutius¹) Rodulpho curaverat, majoremque summam ad

¹ In Vit. Pii lib. 3. cap. 9.

eam expeditionem in dies paraverat. Hoc tamen subsidio, quod tunc in carcere esset, Catholicis subvenire Rodolphum non potuisse scribit. E carcere vero dimissus certam ejus pecuniæ partem illis dinumeravit, qui ea, ut propria securitati consulerent, indigebant, aliam inde partem Norfolkio duci, aliam vero aliis conjuratis occultis, ut in sententia persisterent, provide impendit.

287. Neque tamen his, pro debito pastoralis regiminis, ministerium suum implexisse credit Pius; sed alia etiam excogitavit, quibus periclitanti Angliæ subveniret; qua de re audiendus est Sanderus, qui rem hujusmodi prosequitur verbis :

« Cum hoc modo varii Catholicorum conatus frustrati essent, timerentque prudentiores, ne hoc in nos divinæ ultionis et tenebrarum tempus tam diuturnum foret, ut quos Anglia nunc domi vel foris viros vere orthodoxos habet, vel consumeret ætas, vel vinculorum ac carcerum squalor, vel frequentia multorum martyria exiliique longioris miseriæ conficerent; huic malo, nec aliud commodius remedium adferri, nec aliter posteritati melius consultum iri judicantur, quam si ratio aliqua iniretur, unde veribus fidei cultoribus ac defensoribus extinctis, novum cleri semen ac supplementum continuo pullularet; ita enim futurum confidebant, ut nec temporis diuturnitate, nec prolixo et violento hæreticorum dominatu deficerent in agro Dominico operarii, nec abominatio istius desolationis duraret usque in finem. Neque enim dubitarunt, modo non deessent sibi Catholici, quin aliquando citius vel serius religionis restituendæ opportunum a Deo ipsis daretur tempus, cum nulla unquam hæreticorum secta, vel hominibus placere diu, vel sine mutatione ullibi firmiter persistere, vel ad posterum integre derivari queat. Quod, vel illa una Arianorum latissime patens hæresis plane convincit, quæ licet orbem universum aliquod centenis annis misere vexaverit; tamen ita mutavit loca, tam multa dedit Catholicis ad se colligendos lucida intervalla (quod et nobis divina misericordia felicissime per interpolatam hæresim Mariæ temporibus accidit) proque vario imperatorum ac principum, vel pro secta, vel contra illam studio, et pro cujusque, sive ad clementiam, sive ad crudelitatem naturali propensione, sacerdotibus Dei nunc pacem et tranquillitatem concessit, nunc turbulentissimas in eos tempestates excitavit.

« Hac ergo de causa et hoc consilio, sperantes misericordiosissimum Dominum Deum patrum nostrorum in perpetuum genti nostræ non irasciturum, ex studiosorum patria pulsorum reliquiis, nonnulli Duaci in Belgio, sub regimine D. Gulielmi Alani, istic tunc Theologiæ professoris regii, in disciplinam collegialem

(exilium, vitam et studia ipsorum protegente et fovente Hispaniarum optimo maximoque rege Philippo) coierunt, qui paulatim in numerosum excrevere collegium, quod primum bonorum maxime elemosynis, postea incredibili Sedis Apostolicæ beneficentia sustentatum, plurimos peperit optime institutos sacerdotes, qui ad Catholicæ fidei restitutionem, in patriam certis temporibus mitterentur, et vicissim ex patria ingenii excellentioris quosque, ut orthodoxam capesserent fidem, advenientes recepit; unde paulo post, magna animorum mutatio, ac religionis in Anglia mira incrementa secuta sunt; factumque est hoc collegium ita hæreticis odiosum, ut a populo Belgico tumultuante facile illud Duaco ejici curarint. Sed postea, ita Deo disponente, et rege Christianissimo permittente, Rhemos migravit, ubi hodie feliciter amplificatum variis in Ecclesiam studiis ac officiis claret. Cui postea, ad uberiores in patria fructus faciendos, sanctissimæ memoriæ Pontificis Gregorius XIII, domino Audeno Ludovico referendario Apostolico¹, pietate ac prudentia præstantissimo viro, id in primis satgentia, aliud insigne collegium Romæ in antiquo nationis nostræ hospitali, amplissimis donatum redditibus, et Patrum Societatis nominis Jesu regimini et institutioni traditum, adjunxit. Quæ duo seminaria dederunt his annis supra trecentos in messem Anglicanam presbyteros, qui agrum ibi Dominicum sacro etiam sanguine rigarunt.

« In quo genere illud est plane stupendum, et non nisi digito Dei tribuendum, quod hoc tempore cum ad sacrum presbyterium, ne in Catholicis quidem provinciis, nisi emolumentum et honoris causa a multis adeo festinetur; ab istis tamen (in quibus tamen nobilitum filii et primogeniti non pauci) sine omni spe premii, imo cum dispendio hereditatis paternæ, cum certa expectatione ignominie, periculi et etiam mortis, tanta animi contentione desideretur ac suscipiatur, ut nullius damni aut dedecoris metu, nulla parentum aut carnalium amicorum dissuasione, a sancto proposito dimoveri queant.

« Ac parva quidem illius Duacensis seminarii initia, Elizabethæ consiliiarii contempserunt. Judicabant enim (quod et sæpe professi sunt) fore, ut ii ipsi, qui in illo collegio instituerentur, aut etiam presbyteri fierent, vel necessitatis vel emolumentum causa in patriam tandem redirent, beneficia acceptarent, Ecclesiisque Anglicanis, secundum regni sectam et leges inservirent. Aut si forte quidam obstinatiores id facere nollent, tamen nihil posse pauperes ac extorres (hoc enim erat judicium mundi) contra novam suam Ecclesiam, tantæ principis potentia, tot severis legibus, tanta ministrorum suorum diligentia, tanquam exactis undique

¹ Ann. 1579.

præsidiiis munitam atque substantatam proficere. Sed cum post non multos annos animadvertissent, passim ex scholis, gymnasiis et academiis suis, adolescentes plurimos, eosque ingenii excellentiores, ad collegia transmarina trajecisse; identidemque istinc in patriam continuo sacerdotes remitti, qui subditis verbo, scriptione, exemplo, sacramentorumque secreta administratione, ad Catholicam Ecclesiam reconciliatione, a schismate et sacrilegis hæreticorum officiis (quibus plerique, tum in Anglia, alioquin corde orthodoxi viri, metu legum se contaminaverant) averterent; vidissentque ex hoc commercio spirituali, magnam infinitis animis Catholicæ fidei impressionem esse factam, jamque rura, urbes, academias, principum ædes, ipsamque etiam aulam plenam esse novis Catholicis: tunc et se deceptos doluerunt, et sævis edictis, ac quibus poterant humanis consiliis ac terroribus, huic operi, quod a Deo factum interpretamur, se opposuerunt.

« Regebat eo tempore, quo primum illud seminarium institutum est Catholicam Christi Ecclesiam Pius Quintus, alter plane Phinces, qui hæreticos, Turcas, reliquosque infideles, utroque gladio, zelo, summo sacerdote dignissimo, diligentissime persecutus est. Is primus, quod sciam, non solum illius collegii alumnus, sed aliis quoque doctissimis sacerdotibus potestatem fecit eundi in Angliam, variisque facultatibus spiritualibus ad tam pium opus promovendum necessariis, per Breve suum Apostolicum eos impertivit, jussitque ad tollendum schisma cæteris præesse Albanum. » Sic ibi. Ex quibus quidem, tum ex subsequentibus, hoc anno seminarium incæpisse colligitur.

288. *Elizabethæ jugum excutere tentant Hiberni.* — Demum silentio haud prætereundum in Hibernia quoque tyrannicum Elizabethæ jugum excutere Catholicos tentasse, ut sic narrat Camdenus:

« Edmundus et Petrus Botcleri, Comites Ormondiaë fratres, qui vicinos in Momonia injuriosius tractaverant, legibus parere recusarunt: depredationibus et incendiis bonos cives infestaverunt, et cum Jacobo Litzmoris e familia Desmondia; Macarti, More, Fiez Edmundo Scheschallo Imockelliaë, et aliis, cui cum Pontifice Romano, et Hispano, de asserenda religione et deturbanda Elizabetha Hiberniaë regno sategerant, fædus inierunt. Unde perduelles denunciati et Petrus Carrew senior eos varia fortuna velitationibus exercuit. Nihilominus contractis prædatorum numeris Kilkenniam obsederant, civesque uxorem Warrhami S. Legeri in manus tradere jusserunt. Sed a præsidariis erumpentibus repulsi, misere regionem circumquaque devastarunt. Ad hanc seditionem inflammandam venit occulte ab Hispano Joannes Mendoza, et ex Anglia ad extingvendam comes Ormondiaë,

qui persuasit fratribus, ut se submitterent. Illi tamen in carcerem conjecti. Verum ne judicio sisterentur, quod eorum scelera efflagitarunt, impetravit, apud reginam assidua comitis intercessio, qui ægerime tulit ejusmodi maculam, quæ subinde illibatam hujus familiaë nobilitatem in suam gloriam trahere gaudebat. Rebellionis autem reliquias prorex per Hulfredum Gilbertum acriter persecutus, brevi dissipavit. Hactenus Camdenus. At quæ his fides sit adhibenda, eliciat lector ex aliis ipsiusmet scriptoris narrationibus. Nobis, cui vera ac sincera rei monumenta aliunde non suppetunt, unde ipsius commenta, ad hæreticorum ac Elizabethæ facta perpetuo commendanda concinnata, falsitatis rite coarguere possumus; ipsius lectoris judicio rem commisisse sufficiat.

289. *Romæ obiit Pechamus, strenuus Ecclesiæ defensor.* — Hoc demum anno obiit Romæ, confessionis Catholicæ fidei titulo præclarus, Robertus Pechamus, de quo hæc in libello, *De Justitia Britannica*: « Robertus Pechamus, equestris Ordinis vir, et a consilio reginæ Mariae, cum aliquot annis in exilio spontaneo sancte vixisset, mortuus est Romæ, quo se ob fidem suam confitentem, cum manifesto fortunarum omnium domi amittendarum periculo, contulit. » Sic ibi. Sepulturæ mandatus fuit in Ecclesiâ SS. Andrææ et Gregorii in Monte Cælio, non sine divino consilio, ut ibi verus fidelis requiesceret, ubi jam Anglorum Apostoli ædes fuerant. Ob novam Ecclesiæ ejusdem structuram, in ipsius porticum integrum et magnificum tanti viri sepulcrum translatum, ex quo hic inserendam Epigraphem desumpsimus.

Roberto Pechamo
Anglo Equiti aurato
Philippo, et Maria
Angliæ, et Hispan. Regib.
Olim a Consiliis.

Genere, religione, virtute præclaro,
Qui cum patriam suam
A fide Catholica deficientem
Adspicere sine summo dolore non posset,
Relictis omnibus, quæ in hac vita
Carissima esse solent,
In voluntarium profectus exilium,
Post sex annos,
Pauperibus Christi hæredibus
Testamento institutis,
Sanctissime e vita migravit
Idib. Sept. Ann. MDLXIX.
Ætat. suæ LIV.
Thomas Golduellus
Episcopus Asaphensis,
et
Thomas Kirtonus
Angli
Testament. Procuratores P. P.

290. *Res Moscoviticæ.* — Præsenti autem anno, cum Selimus Turcarum imperator, ducis Moscovitarum potentiam evolvere meditaretur, ad Volgam profectus est. Sed in obsidione fatigatus inediaque tabescens exercitus, laecer et prostratus, post plures clades acceptas, Constantinopolim reducitur. Ad præfatum vero Moscum, hoc ipso anno, Sigismundus Poloniæ rex ablegatos misit, si Neugebavaro ¹ creditur: at ipsi inhumanius ab illo habiti fuerunt, quod, ut idem narrat, ostentatione Polonicarum opum, ad invidiam accensus Moscum, nulla juris gentium ratione habita, quorundam Polonorum equos Thracios nimium exornatos dissecari mandaverit. Aliud tamen fuisse ex quo Polonos infensissimo odio prosequeretur, educitur ex his, quæ Genebrardus narrat in Chronicis. sub hoc anno, idque habet, ex Lascicio ² hærefico lib. de Theolog. Moscovitica; hæcque illius sunt verba: « Joannes Basilius Moscorum Cæsar in Isborg arce Livonica, trecentos nobiles Polonos orsus ipse cædem, in suo conspectu contrucidari jussit. Præsertim, quod Poloniam audierit in suo gremio fovere Lutheranos. »

291. Ob illatam igitur oratoribus suis a Mosco injuriam, merito ira accensum Sigismundum, cum jam intellexisset Maximilianum Wratislaviam venire minime posse, Versaviæ comitia indixisse idem scribit Neugebavarius ³. Alii autem hoc ipso anno Moscovitarum oratorem Sigismundum recepisse asserunt, ut Natalis comes ⁴, et Tarcagnotta; ac eum inter ac Moscum, mensium aliquot pactas fuisse inducias referunt. Campana ⁵ trium annorum eas fuisse commemorat, ac præterito anno initas. Verum, cum certissime constat, ex plurium scriptorum auctoritate, adhuc hoc anno se invicem armis Polonos ac Moscos impetiisse; præfatas inducias nullatenus ad præteritum annum, sed ad præsentis finem, vel melius ad sequentis initium pertinuisse dicitur, quo potius præfatos suos ablegatos ad Moscum, Sigismundum misisse credimus, ut suo loco, ostendemus.

292. *Pax inter Danum et Suecum confirmatur.* — Pacem vero, quam præterito anno cum Dano, Joannem Tertium Sueciæ regem inire curavit; violasse visa sunt quædam a Dano in Suecum mari terraque commissa. Nihilominus Maximiliano Cæsare ac Galliarum rege intercedentibus, sequenti fuit, ut dicitur, anno composita.

293. *Hispanorum simultates ex Granatensi bello exortæ.* — At in Hispania, ab incæpto rebellionis Maurisci hoc anno minime destitit; et licet consilium Christianos nocte Dominicæ Nativitatis Granatæ perdendi, minime implere

potuerint, ut diximus, tamen Faraxius, qui nov eorum regis vices gerebat, cum centum quinquaginta suorum delectis, per portam Gaudianam ad Albaicinum contendit. Per singulas antea noctes Tagaris et Monfariis, vagis circa Helenæ fanum discurrentes impressionibus, pridie sub urbis portas venerunt, ut viam ad Althabram facerent; verum non comparente Faraxio, ad propria redire.

Christiani autem, quamvis dissidia essent inter regios præfectos, singularum tamen regionum duces (insidiis ac commolationibus compertis) protinus ad suas quisque stationes concesserunt. Præerat pro Philippo rege Granatæ in supremo militari imperio Iunius Lupus Mendoza, Mondejaris Marchio, qui delectos misit, ut Althabram tuerentur, quousque dilucesceret, et interim ad fidem oppidanorum primarios hortatus est: cognitoque hostes in proximum montem evadere, insessis delecto milite aditibus, et dato negotio Tendillæ comiti filio, ut cum præsiario equitatu civitatem servaret, ipse summo mane, contra hostes, cum Petro Zunica Mirandæ Comite perexit.

294. Faraxius Nivelam versus cum suis iler arripuit. At in urbe stipendii pecunia laborabatur, unde seditionis metus incessit. Petrus Deca, qui prætoris juridici officio fungebatur, habebatque cum Mondejaro similtates, ad subitum periculum, Fassardum Munix præsidem, Mendozæ ejusdem æmulum, evocavit.

295. Abenhumeja autem, quem regem a Mauriscis electum anno præterito diximus, rebus e voto non succedentibus, Valorium superius contendit. Ex una parte exercitus deducitur, dum altera ad Origium cum Christianis conflictatur, in quos, præcipue monachos, inauditis modis Maurisci grassantur, licet id sibi displicere Abenhumeja simularet; qui idcirco edixit, ut imbelli sexui parceretur. Fratrem vero Abdalam cum mancipiis, ad prosultanum Algeriam donandis misit, qui etiam, jurata Selimo obedientia, auxilia ab eo promissa urgeret; ab anno siquidem superiore spes suppeliarum eis, ab eo Turcarum tyranno facta fuerat. Abdalam igitur prosultanus, ad Portam Othbomanicam commendavit et ablegavit. Romis interea Mauriscorum dux, qui mille quadringentos, alii quingentos scribunt, duces, Chitem Almeriæ vicum occupaverat, ratus fore, ut qui in urbe Maurisci erant, tam vicinis sociis arma caperent; a Garzia Uillaroclia Almeriæ præfecto, ingenti clade affectus est.

296. Mondejarus etiam, qui tertio nonas Februarii hujus anni, in rebelles copias eduxerat, Abenhumejam coegit, ut Orgivæ obsidionem solveret. Certatum etiam aperto Marte, reciproca fere clade. Poquera tamen, cum Mauriscorum uxoribus, liberis, pretiosisque omnibus ibi inclusis, in Hispanorum manus incidit; qui pariter

¹ Lib. 3. pag. 627. — ² Chronic. lib. 4. pag. 769. — ³ Neugebar. ut supra. — ⁴ Natal. Com. lib. 20. pag. 434. Tarcagnot. lib. 12 pag. 134. — ⁵ Campana in Vit. Philippi II.

Jubili et Paterna potiti sunt; et licet Barbari custodiam ad Pontem Tablatæ decessissent, locus tamen deinde à regis copiis recuperatur.

297. Cum sic res in Alphaxarra quietiores putarentur, novi motus ad Guajarvas orti sunt; nam cum dominus unius ex tribus pagis, qui ad Occasum sunt, inter Almuncemarem, et Lechinæ vallem ad montium radices, miseros rusticos, quasi de peste Mahumetana suspectos, captivitatem abducere vult, occupatisque eorum bonis, stuprandi libertatem militi concedit: illi ex desperatione, consilio cœpto, nocte intempesta, cum minime id putaretur, inopinatè oppugnatores aggressi, eos in vicinum templum compulere, igneque deinde admoto concremarunt. Loci dominus, dum foris pugnât, et ipse occiditur. Duo oppida viatores barbari occuparunt ac munierunt, quibus Abenhumeja duces præfecit.

298. Id ubi Mondejarus rescivit, ad Guajarvas cum duobus millibus peditum, ac ducentis equis contendit; at dum Villaroelius, qui cum eo erat, contra modum ab ipso præscriptum, in hostes progreditur, ab iis in fugam agitur, quod emendare Mondejarus volens, ad vesperum usque pugnât, et propugnaculi obsidium felici successu urget.

299. In Almeriensi territorio bellum etiam recruduit; in eum a Deça Præsidente amulo, Veselii Marchio cum duobus millibus peditum, ac trecentis equitibus vocatus, aliqua loca cœpit, et pluries hostem fudit. Subinde vero Granatam missi Joannes Mendoca et Antonius Luna, qui Tendillæ Comiti Mondejaris filio a consiliis essent; quo sic sensim patris et filii imminuta dignitas est, ita a Mauriscis instauratum bellum, ad quod peropportunum eis accidit, prædam omnem a Christianis eam asportantibus recuperasse, ex qua Abenhumeja rex vires sumens, ubi ante cursitando latebat, regia pompa deinde prodire cœpit, quadringentorum militum satellitio stipatus.

300. Rex Philippus interea supremum hujus belli ducem Joannem Austriam fratrem nothum elegit. At hostibus animi creverant, tum ex desperatione, tum ex regiarum rerum confuso ordine, ac præfectorum præcipue mutuis dissidiis, Consalvus Ferdinandus, cum quingentis ad Guadim asserendam missus, ex insidiis cæsus est. Trexillam præterea hostes communiere, et Abenhumeja edicto cavet, ne Christiani cæderentur, nec in captivitatem abducerentur, nec eorum templa incenderentur, nec bona raperentur. Quam animi moderationem in barbaro homine Joannis Austriaci, qui jam Granatam venerat, merito suspiciones auxit. Pariter Trexilliani Arravalum Cuazonem ad eos oppugnandos missum, fortiter propulsarunt; cumque Ludovicus Requesensius, ex Italia veniens, qui præsto esse Joanni Austriaco jussus fuerat, denuo cum-

dem Cuazonem cum Petro Padilla in eos misisset; hi de salute desperantes, consilium iniere, ut juvenes robustiores eruptionem facerent. At bis mille ad hoc delecti aufugere, ab Abenhumeja magna gratulatione accepti; et hinc minori negotio locus expugnatus fuit.

301. Verum majores, quam cum Mauriscis, erant forte (ut innumus) inter regios duces similtates, ad quas tollendas rex, summum armorum imperium uni Veselio attribuit, ac Mondejerum amicis litteris in aulam vocavit. Comitia insuper provinciæ eo ipso tempore Cordubæ iudici jussit, ad quæ ipsemet se conferret, ut præsentia sua præfectis suis animum daret, hostibus terrori esse. Vario Marte a Veselio cum barbaris certatum est: verum, quem illi deicere nequiverit, dejecit annoque penuria, qua pressus miles sensim a signis dilabi cœpit, et post murmura in apertas seditiones erupit; ita ut victoria, qua penes regios erat, ad viclos sine certamine inclinaret. His accessit quod Padulis oppidani, vires cum Mauriscis montanis conjunxerunt, et hostiliter cum præsidiariis suis agentes, triginta ex illis occisis, pluribus vulneratis, jugum excusserunt.

302. Veselii interim querelis permotus Joannes Austriacus, jam dissipato exercitu, largam annouam in castra sedulo portandam curavit; at nec ob id miles ad signa frequentior venit, et novæ in dies locorum defectiones accidere. Abenhumeja etiam multis Veselii ejusdem occupatis locis, ea destruxit, ac victoriis inflatus cum sibi jam securus videretur, avaritiæ ac libidini habenas laxavit. At repertus est Didacus Alquacil, qui non tam præmio olim constituto corruptus, quam in amore illustris fœminæ, regem rivalem non ferens, reque patrata impunitatem sperans, novum principem de medio sustulit. Cui magno Alcaidarum consensu, Algeriæ prosultano approbante, Abdala sufficitur rexque Granatæ et Andalusie salutatur. Ea tamen mutalione motus præsidiariorum Orgivæ compositus, et illi ipsi in montana ducti, a Mauris ad unum fere concisi sunt. Ad Orgivam diu satis pugnatum, donec Austrius exercitum submitteret, cui pars Maurorum, obsidione non ommissa, obviam ivit, et ex geminatis insidiis cladem dedit.

303. Malequino vero auctore Galeria rebelavit, et per triduum mille ducentis Quescarensibus frustra obsessa, nullo operæ pretio facta. Galerix exemplum secuta Oreche, jamque totus Almarcoræ tractus, Illipula magna, Filabra, Bacensis ager, in Abdalæ verba juraverat. Serona pariter, Tixola, Fossa, Malacæ, et Montana Rondæ, in ejusdem se potestatem dedere.

304. Veselius, contra Galeriam exercitum ducens, Hyeme ingravescente ejus obsessionem solvere cogitur; dum Quejarim Maurisci munitur, in quo belli robur Abdala collocaverat.

illud idcirco aggredi Austrinus statuit; quod cum Maurisci præsensissent, qui in oppido erant, mature se in Alpuxarram receperunt, quadri-
gentis sese in regios effundentibus, ex quibus quadraginta desiderati. Ex regiis pauciores, qui periere a Mauris insequentibus decepti, sed tamen inter eos Quixada ordinum ductor a muliere, ex superiori loco demissa petra obrutus. Quejari cum valido praesidio Joannes Mendoca; deinde paucis post diebus, Joannes Alacrus, cum suis cohortibus impositus.

305. His, quæ longiori dictamine ¹ Thuanus ac Joannes Lampadius narrant, plura ipsimet Hispanorum sævitie ac crudelitatis in Mauriscos facinora immiscuere; quæ nos, nec tamquam vera habere possumus, utpote a scriptoribus prolata in Hispanos eosdem, (et eo etiam nomine, quod Catholicam religionem, præ omnibus tueri viderentur) infensissimis, ac turpiter mentiri consuetis: nec tamquam falsa omnino rejicere audeamus, quod a fide dignis auctoribus nonnulla Hispanicæ ipsius severitatis argumenta adnotata reperiamus. Qua de re afferre sufficiat, quæ ab Isselt ² monumentis ita mandavit, et ad institutum nostrum præ cæteris pertinere videntur.

« Romanus Pontifex hujus tumultus certior factus, cum videret tot potentissimorum populorum, novis religionibus studentium, arma, uno tempore mota, putavit satis esse excitatos tumultus opprimere, novos nequaquam esse movendos. Litteras humanitatis et sapientiæ plenas ad regem Philippum dedit, quibus eum hortabatur ut mitiori modo Mauros Granatenses tractaret, mitigaret questionis rigorem, omnia ad opportunitiora tempora reservaret; non opporere tam esse sollicitum de aliorum salute, ut, vel propria propter nimium zelum amitteretur, aut per pertinaciam omnia amitterentur. Populis subinde aliquid indulgendum esse, ut in officio contineantur. His aliisque paternis Pontificis monitis rege acquiescente, omnis Granatensis seditio, magno quorundam aliorum regnorum et provinciarum exterarum, quæ hanc seditionem, suam salutem fore interpretabantur, mœnore sedata est. » Sic ille. Verum id, non hoc anno, sed sequenti, ut dicitur.

306. *Reformationi Ordinum Religiosorum rex Hispaniæ et Pontifex simul incumbunt.* — Inter hæc seditionum prelia, summa sedulitate religiosorum Ordinum reformationi in Hispania, rex simul ac Pontifex incumbunt. Operi huic, si fides sit Fr. Francisco a S. Maria Carmelitarum Excalceatorum historiographo ³, manum primum admoverant Catholici reges Ferdinandus et Elizabetha; illudque deinde prosecutus fuerat, qui eis successit, Carolus Quintus, cujus filius

Philippus tandem pertere aggressus est. Nescio quorum negligentia. Apostolica periisse Brevia, quibus visitandi reformandique Carmelitarum Ordinis munus Fratri Petro Fernandez, et Fr. Franciscatorum Ordine, Talavera priori, et Fr. Francisco de Bargas ejusdem Ordinis, Cordubensi item priori, demandabatur, scribit: unde factum est, subjungit, ut nonnulli, de tempore, quo eadem Brevia expedita fuerint rite sibi abigendum censuerint Diligentiores nihilominus (addit), anno MDLXX id accidisse putant, quibus et ipse adherere proficitur.

307. Et quidem his adstipulari videntur, quas hoc anno, ad ipsum Philippum regem scriptas in hunc modum Epistolas reperimus, in quibus, præter Carmelitarum, alios etiam religiosorum Ordines recenset, cujus reformationem, tum rex, tum Pontifex unanimi zelo et voto urgent:

« Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi Catholico etc. ¹.

PIUS PAPA V.

« Charissime etc. Ven. fratri archiepiscopo Rossanensi, nostro et Sedis Apostolicæ apud M. T. nuntio, proxime mandavimus, ut super reformandis tribus istius regni Ordinibus, Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, et Beatæ Mariæ itidem Redemptionis Captivorum, et Beatæ Mariæ Carmelitarum, sententiam consiliumque nostrum illi diligenter exponat. Pro tuo flagrantissimo spectatissimoque nobis juvande religionis studio, primum a te petimus, ut illum de hoc, quod non minus sibi quam nobis curæ est, negotio, tecum nostro nomine loquentem, benigne, ut soles, audire, eique fidem eandem habere velis, quam nobis præsentibus tecumque loquentibus haberes. Deinde quod reliquum est, M. T. vehementer cum Domino hortamur, ut commissariis Apostolicis, quibus isthic hujus reformationis cura a nobis commissa fuerit, ab officialibus ministrisque suis, omnem, quæ ad eam rem necessaria fuerit, opem, auxilium favoremque suum præstari jubeat; ut M. T. adjuli studio, tam pium sanctumque opus, ac omnipotentis Dei gloriam, quam primum, ex nostra suaque sententia conficere possint. Quod majestatem tuam, pro sua singulari pietate, eximiaque erga nos Sanctamque hanc Sedem devotione, sponte sua facturam fuisse compertum habemus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxx Augusti MDLXIX, Pontific. nostri ann. IV ».

308. Sæpe sæpius inclyla virgo Theresia in scriptis suis, Fr. Francisci Fernandez meminit, a cujus nutibus, quod visitatoris Apostolici munere fungeretur, in promovenda Propagandaque sui Ordinis reformatione, se pendere

¹ Thuan. Histor. lib. 48. pag. 667. Jo. Lampad. Mellific. Histor. par. 4. ² — Ab Isselt. pag. 189. — ³ Chronic. lib. 2. Cap. 30. pag. 313. n. 2.

¹ Ex Archiv. Vatic. ibid. ut supra.

proficitur. Ex datis autem, vel sub hujus anni finem, vel sequentis initio Apostolicis litteris, negotium id præfuitis viris demandatum cognoscitur. Cum vero, sub hujus anni finem, missum a Pio in Hispaniam habeamus Fr. Vincentium Justinianum, totius Ordinis Prædicatorum Generalem magistrum : (ut testantur Epistolæ, quas fidei vocant, et in Vaticano Regesto, ad Philippum regem, et cardinalem Spinosa, ad Rodericum Gomezium, ad episcopum Conchensem, ac demum ad Apostolicum nuntium archiepiscopum Rossanensem, datæ sub die undecima Octobris leguntur); licet scriptores passim asserant, Justiniano ipsi, ob Mediolanensis Ecclesiæ jurgia, legationem hanc potissimum fuisse demandatam: nihilominus eum, et alia præterea negotia ei commissa fuisse, tam scriptores, quam quas inuimus litteræ a Pio scriptæ non obscure significant; inter ea extitisse illud quoque, ut idonei ac apti seligerentur viri, ad reformationis religiosorum Ordinum opus feliciter inchoandum ac perficiendum; neminem rite vocare in dubium posse videtur, qui animadvertet Justinianum ipsum, utpote religiosum antistitem, præ aliis Apostolicæ Sedis administris, quæ ad religiones spectarent, agere maxime debuisset.

309. *Capituli Toletani querelæ ad Pontificem delatæ et responsio Pontificis.* — At Toletanæ Ecclesiæ ærummæ magis Pontificis animum torquebant. Obiit hoc ferme tempore, Tellius Gironius, cui Pius papa Quartus illius Ecclesiæ sollicitudinem gerere iusserat, donec Bartholomæi Caranzæ archiepiscopi causa absolueretur. In demortui locum, ex facultate ab eodem Pio Quarto sibi facta, rex Philippus alterum nominaverat, nominationemque hanc Pius Quintus ratam habuerat. Capitulum tamen et canonici Toletani ei acquiescere detrectaverant, quod jus illud ad se spectare contenderent; unde, et diuturnam nimis pastoris sui absentiam deplorantes, prætereaque innumera alia, ab ea allata incommoda, litteris ad Pium datis, eidem præ oculis ponere amaro propemodum animo studuerunt. Quibus ille in hunc modum respondit:

« Dilectis filiis decano et capitulo Ecclesiæ Toletanæ ¹.

PIUS PAPA V.

« Dilecti etc. Litteras vestras xxiii Julii datas, libenter legimus, quibus et istius nobilissimæ Ecclesiæ, proprii pastoris solatio tam diu destituta, incommoda deploratis, et nos de dilecti filii Tellii Geronii, in archiepiscopi vestri locum a felic. record. Pio papa Quarto prædecessore nostro successi, morte certiores fecistis. In altero, erga Ecclesiam pastoremque vestrum charitalis affectum amavimus; in alteros etiam

diligentiam vestram in Domino laudavimus. Nec vero dubitare, dilecti filii, debetis, Ecclesiæ vestræ incommoda, pro ea, quam ab omnipotenti Deo nobis impositam gerimus omnium Ecclesiarum sollicitudinem, æque ac nobis esse molesta; quibus terminanda archiepiscopi vestri causa, ut aliquando finis imponeretur, et antea semper sedulo laboravimus, et nunc quam maxime laboramus. Quantum enim operæ, quantum diligentia ac temporis, in tanta cæterarum rerum occupatione, huic causæ a nobis semper impensum fuerit; id clarius, atque apud omnes testatius esse existimamus, quam, ut a nobis in præsentia scribendum sit. Sed ejusmodi negotium fuit, ut ne tanta quidem adhibita diligentia, hucusque confici potuerit. Speramus tamen illud brevi confectum iri, quia in eum locum causa ipsa jam est adducta, ut ejus decisio diutius differri non posse videatur: quod nos, ut quamprimum fiat, quemadmodum adhuc semper fecimus, sic etiam post hæc diligenter curabimus. Quod vero ad præsidem istius Ecclesiæ in locum mortui sufficiendum pertinet, omnino nobis durum visum est, charissimi in Christo filii nostri regis Catholici nominationi jam factæ refragari, cum hujusmodi nominationis facultatem, sibi a felic. record. Pio IV prædecessore nostro concessam obtineret; quod eo etiam minus gravate concessimus, quia celeriter, ut speramus, archiepiscopi vestri causa terminata, cujuscumque præsidis in locum mortui successi regimen, diuturnum esse non posse videbamus. »

310. Diligentissimum studium id, quo absolvenda Caranzæ causæ se incumbere Pontifex proficitur, magis etiam perspicuum reddunt, quæ aliud agens, ut dicitur, ad cardinalem Portugallie intantem, sub hujusmet anni finem scripsit. Cum enim is Pontifici revocasset in mentem, quam olim habuerat, totius Christiani orbis generalis visitationis instituendæ cogitationem; Pius ei respondens, adeo ab hoc uno Caranzæ negotio se delineri sincerissime fateatur, ut propterea, non modo præfatæ visitationis consilium, sed alia etiam multa, ad Ecclesiasticæ disciplinæ utilitatem spectantia, et si non penitus abjicere, semovere tamen cogere- tur. « De universa orbis Christiani visitatione (inquiens) ¹, quod nos meminisse vis, in ea re singularem tuam in Deum omnipotentem pietatem, adjuvandarumque animarum studium agnoscimus, et debitis in Domino laudibus commendamus. Ejus rei curam ex animo nostro nunquam abjecimus, sed archiepiscopi Toletani causæ gravissimæ cognitio, cui tertium jam annum, maximo nostro cum dolore incumbimus, illa nos occupavit, ut et hanc ipsam visitationem, et alia multa, non mediocriter Ecclesiasticæ

¹ Ex Archiv. Vatic. ibid. ut supra.

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

disciplina corrigendæ utilia, non illa quidem omittere, sed in commodius tempus differre coegerit. Hoc vero tantæ occupationis impedimento, aliquando, ut speramus, sublato, nullam adjuvante Domino, earum rerum exequendarum prætermittemus, quas reipublicæ Christianæ tranquillitati, animarum salutis, et constituendæ Ecclesiasticæ disciplinæ utiles atque accommodatas fore putabimus.»

Sic ille : at impedimentum id, nec ipso vivente, et non nisi longe post Pii mortem sublatum, suo loco dicitur.

311. Toletani vero capituli ad Pontificem delatæ querelæ, in eo, inquam, fuisse apparet, quod propriis suis juribus detractum censeret, in attributa regi nominatione illius, qui absente episcopo, eam Ecclesiæ administraret; quod quidem ad se dumtaxat pertinere capitulum contenderet; uti revera, in Sede vacante, de jure, ad quodlibet capitulum spectare, nemo ignorat. Tam diuturnam archiepiscopi absentiam, vacantis Sedis speciem siquidem præ se ferre, censuit capitulum Toletanum.

312. Ad quamvis Pius reprehendere capitulum idem visus fuerit, quod nominatum loco Tellii defuncti a rege recipere recusaverit, quia, ex prædecessoris Pii Quarti indulto, a se pariter approbato, rite ac jure effectum fuisset, ut ex regis nominatione, Tellio alter sufficeretur; nihilominus, uti indulto ipsi ut capitulum idem sese, ut æquum erat, subjeceret, voluit; ita ex ejusdem querelis intelligens, nimia facilitate prædecessorem in laicam potestatem jus id transtulisse; et se quoque, ut idem comprobaret spe deceptum, quantocius Caranzæ causam completam foreque absolutam : ut quacumque ratione posset, factum, etsi non verbo, opere tamen corrigeret, in præfata ad Toletanum capitulum Epistola, his, quæ retulimus, ultro nec ista statim subnectit¹ : « Inactenus vestris litteris respondimus; nunc vero, quia ad nos allatum est, parochialem Ecclesiam, sub ista diœcesi positam, oppidi *della Puebla* nuncupati, obitu licentia Gondisalvi de Carranea vacavisse, nos dum prædictæ Ecclesiæ idoneus sacerdos rector a nobis provisus fuerit, illius indemnitati providere volentes, vobis virum Catholicum, probum atque idoneum (qua in re, nostram exonerantes, vestras conscientias oneramus), Ecclesiæ ejusdem, tam in spiritualibus quam in temporalibus œconomum constituendi ac deputandi, Apostolica auctoritate, præsentium tenere litterarum, damus atque concedimus, qui el fructus redditusque ejus Ecclesiæ illi, cui ipsius a nobis cura mandata fuerit, tradendos assignandosque fideliter tueatur ac custodiat, et alia omnia ad ejus utilitatem pertinentia exequatur. Hanc autem deputationem, vos facere volumus, etiamsi

antequam hæ nostræ ad vos litteræ perlata fuissent, alius quilibet, a quovis alio, quavis auctoritate, etiam nostra, et Sedis Apostolicæ constitutus deputatusque fuisset; quidquid secus super ea re, a quolibet factum esset irritum atque inane decernentes et declarantes. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xix Augusti m^olxi^o, Pontific. nostr. ann. iv »

313. *In Murcia regno caret Pontifex ne plebantur innocentes cum sordibus.*— Severe admodum, cum hoc pariter anno in Murcia regno animadversum fuisset in quosdam, qui detecti, quod, specie tantum Christianitatem præ se ferentes, revera tamen, vel Maurorum, vel alias, quas abjecisse videbantur, impias sectas sectabantur, debitas scelerum dare pœnas compulsi sunt : istorum supplicio, cæteri omnes adeo fuere perterriti, licet forte nullius criminis sibi conscii, ut eorum plures in Africam trajicere consultus existimaverint; alijvero saniori consilio, ad Summum Pontificem confugerint, cujus auctoritate, et citius, qui rei essent, deprehenderentur; alij vero, qui sceleris expertes fuissent, timor adimeretur, quo correpti, nec ipsi se innocentie suæ fidere arbitrabantur.

314. Huic tanto malo, quo una cum zizania et triticum forte evulsum iri rite metuendum erat, occurrit benignus Pontifex, scripta ad cardinalem Spinosa sequenti Epistola, qua ita Apostolicorum mandatorum vim adhibet, ut tamen, ex benignitate indulgeat, ut quasi ex Hispanicæ Inquisitionis officio, eadem executioni mandentur. Scribit enim¹ :

« Dilecto filio nostro Didaco, tituli S. Stephani in Cœlio-Monte, presbyt. cardin. Spinosa vocato.

PIUS PAPA V.

« Dilecte etc. Fecit Murcianorum causæ gravitas, ut ingens numerus illorum, qui in ea civitate, aut combusti, aut ob eandem causam aliis pœnis affecti sunt, quod hominum illius civitatis non negligenda animorum suspensio, ut perturbatio virorum, ac mulierum multitudo, qui non in Africam transierunt, sed ad nos, atque ad hanc Sanctam Sedem, omnium hæreticæ pravitate Inquisitionum caput, confugerunt, aliæque etiam justæ causæ, ut post maturam deliberationem, circumspeditioni tuæ mandatum esse decreverimus, prout mandamus, ut postquam has nostras litteras acceperis, illico, ac sine ulla dilatione ad eam civitatem mittas dilectum in Christo filium Gasparum Quirogam, quem et regium, et hæreticæ pravitate Inquisitionis generalis consiliarium esse scimus; de ejus probitate, doctrina, diligentia divini que honoris zelo, plurimum in Domino confidimus;

¹ Ibid. ut supra.

¹ Ex Regest. Vatic. Ibid. ut supra.

qui omnes et quascumque causas apud ejus civitatis hæreticæ pravitatis Inquisitionem pendentes, quocumque in statu sint, etiam post conclusionem cognoscat, et ad veritatem plene erudendam, et omnem falsitatis suspicionem purgandam, diligenter examinet, et demum, prout justitia sua debet, definiat. Quamvis autem nos prædictarum causarum cognitores, ipsum deputare, ipsique, et tibi mandare poterimus, ut voluntatem hanc nostram exequeremini; tamen, ut istius S. Officii auctoritas magis conservetur, placuit nobis, ut tu ipse potius deputationem prædictam faceres, eamque a te ipso proficisci intelligerent homines. Sed ut in hac, cæterisque rebus, quibus cum Domino poterimus, illud semper spectabimus, ut istius S. Officii auctoritatem conservemus atque augeamus; ita circumspectionem tuam decet, hoc ipsum et reliqua omnia mandata nostra sedulo exequentem, paternis nostris erga eam officiis, ea obedientia respondere, quæ tanquam capiti auctori quæque ejus, quam exercet jurisdictionis, nobis debetur; quos in his rebus, quarum homines causa ad nos Apostolicamque Sedem confugiunt, æquum est conscientiæ nostræ satisfactionem habere. Ipsum vero dilectum filium Gasparum Quirogam, non ignoramus multis ac magnis negotiis, tam regis quam ipsius inquisitionis occupatum. Ei tamen circumspectionem tuam mandare volumus, ut posthabitis cæteris omnibus rebus, illico ad eam se civitatem conferat, ibique earum causarum cognitioni ad ipsam usque ultimam earundem definitionem incumbat. Circumspectioni autem tuæ mandamus, ut his nostris litteris subito rescribas, nosque de prædicti Gasparis discessu certiores facias, ut ad ejus notitiam quandam ad idem negotium expediendum necessaria, perferenda curare possimus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxviii Aprilis MCLXIX, Pontific. nostr. anno quarto. »

315. Cum conterminum Granatensi regno sit illud Murciae, Granatenses quas retulimus turbas Murciaeorum ultra modum auxisse arumnas, quod Granatensium ausibus consentientes putari possent. A veritate absonum, nemo, ut puto, censebit.

316. *Valentinum episcopum, pastorale munus deponere cogitantem, Pius a sententia revocat.* — Pius insuper præsentis anno, Apostolico suo Diplomate concordiam ac declarationes aliorum Decretorum Concilii Provincialis Compostellani ultimo loco celebrati, et apud cardinalem de Aguirre ¹ offendens, confirmavit. Illud enim datum reperitur sub die duodecima Octobris, Pontificatus anno quarto. Joannem vero de Ribera patriarcham Antiochenum, et electum archiepiscopum Valentinum, pastorale illud

munus deponere cogitantem, sequenti Epistola a sententia revocavit.

« Venerabili fratri nostro Joanni patriarchæ Antiocheno ¹.

PPIVS PAPA V.

« Ven. etc. Litteras tuas decim. sept. kalend. Augusti scriptas accepimus, ex quibus consilium tuum, de onere episcopalis curæ deponendo cognovimus. Qua in re conceptum a te ipso quidem, ob presentium temporum calamitates episcoporumque ignaviam, animi dolorem, utpote a divini honoris zelo profectum, et amavimus vehementer et in Domino commendavimus. Est enim Apostolicæ sollicitudinis signum haud obscurum, si quis pro parte sua, populorum peccatis ingemiscit, si præditorum desidia dolet, si denique scandalis quæ ubique cernit vitur; consilium tamen tuum probare nullo modo potuimus, quia omnibus in ea vocatione mandandum esse ab Apostolo didicimus, in qua vocati sunt. Te vero ad episcopatum, Deo juvante, contra voluntatem etiam tuam pervenisse, et tu ipse in tuis litteris fatearis, et nos pro comperto habemus; cujus onere deposito, vide ne non tam illud deposuisse, quam abjecisse; neque tam Ecclesiæ tuæ consuluisse, quam officium tuum prodidisse, munusque ab omnipotenti Deo tibi assignatum, deseruisse videaris; præsertim cum causâ, quas ipse tui consilii affers, non ad recedendum, sed ad permanendum in ea, in qua a Deo positus es Ecclesiæ tuæ custodia, potius te impellere debeant. Quid enim? Si multa impediunt episcopali muneri recte administrando obijciuntur; idcirco ne deficere animo ac viribus, an non potius fortiter resistere debes? Sed fac non impedimenta solum, et moras ad bene agendum afferri; sed etiam terrores, minas, mortem denique intentari; illicone, tanquam miles ignavus, armis abjectis, stationem tibi creditam desereres? Quin potius sacerdotali vigore assumpto, stare in fortitudine, potestatibus mundi ex adverso ascendere, et pro domo Domini murum opponere debes, ne vivus, hoc est, sciens, in Infernum descendas. Illud etiam, frater, considera cujuslibet esse hominis, ad navis gubernacula sedentis, tranquillo mari, secundis flatibus, cursum dirigere: effervescentibus autem undis, adversantibusque ventis, sic clavum moderari ut cursum teneas, et in portum venias, id verum specimen spectatæ virtutis. Quod si in isto, cui præpositus es, munere administrando, ut parum tibi proficere, aut non tantum quantum velles gregi tibi credito prodesse videaris, noli ob eam causam diutius tristarî, neque id quod te fecisse decet prætermittere. Nostrum enim est currere; divinæ au-

¹ Aguir. Tom. Concil. Hispan. pag. 118.

¹ Aoad Aguir. ut sup. pag. 136.

tem potestatis est nos, ubi ei placuerit ad victoriæ palmam perducere; etsi enim agri Dominici cultores sumus, tamen, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Nam quoad alteram Epistolæ tuæ partem attinet, in qua ad hoc, quo fungeris munus obeundum, te ineptum infirmumque esse scribis, primum hæc tua prædicatio, magnum virtutis justitiæque tuæ signum est; *justus enim in principio sermonis accusator est sui*. Deinde, ut hoc tibi concedamus, non idecirco tamen sequitur, ut tuum de episcopatu dependo consilium probare debeamus. Quamvis enim tu infirmus, Deus tamen, qui te ad munus illud, vocavit, omnipotens est: in eo sperare fiduciamque tuam reponere debes. Qui enim Abraham contra spem filium dedit, is potens est tibi, pro ista Ecclesia laboranti spiritualium frugum incrementa donare, et earumdem uberrimos fructus multiplicare. Quocirca fraternitatem tuam, ut bono fidentique in Deum animo sit, fraterne monemus, eamque ad sui gregis curam, ad cleri sibi commissi depravatos mores corrigendos, ad tollendos abusos, ad veterem pie sancteque vivendi disciplinam revocandam, hortamur. Ob hæc autem, si quid aut adversi poterat, aut hominum vel gratia impediris vel terrore turbaris, hæc omnia patienter et æquo animo tibi sustinenda esse scito. Qui enim cordis tui inspector est Deus, laborum tuorum justam tibi mercedem reddet. A nobis autem omnia ad exequendum istud tibi ab omnipotenti Deo injunctum munus, paternæ nostræ benevolentia, potestatisque a Domino nobis concessæ, auxilia semper expectato. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI Septembris, Pontificatus nostri anno quarto ».

317. Maximo Valentinae Ecclesiae bono, Pontificis monitis ac præceptis acquiescisse Riberam, testatur Franciscus Scriva¹ in ejus Vita, Hispanico idiomate conscripta, quam etiam memorat præfatus Aguirre. Deceptum vero Bzovium², qui ipsum Riberam, non Valentinae Ecclesiae in Hispania, sed Antiochenæ in Asia, cujus tantummodo (ut mos est a Pontificibus conferri) titulum gerebat, onus deponere voluisse existimavit: ex ipso Scriva perspicue agnoscitur.

318. *Lusitanos episcopos objurgat Pius eo quod seminarium non instituerint in sua quisque diœcesi*. — Dum vero Valentinus archiepiscopus, pastorale onus abjicere meditatur, eaque a sententia illum Pius deterret; Lusitanos pariter nonnullos episcopos, ob non impletum pro debito pastorale ipsum munus, objurgandos ducit; ex eo præcipue, quod, juxta Concilii Tridentini decreta, clericorum seminarium in sibi commissis Ecclesiis nondum instituissent;

ad Egitanensem episcopum ac alios super hoc scriptæ ab eo Epistolæ¹, ejusmodi fuere:

« Venerabili fratri, episcopo Egitanensi.

PIUS PP. V.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Ejusmodi est decretum, quod a sacrosancto Tridentino Concilio, de institutendis in unaquaque Ecclesia seminaris factum est, tantaque ejus est tamque manifesta utilitas, ut episcopi ipsi, si quod eis a Concilio jussum est, ante Concilium sponte sua fecissent, magnam sibi ab hominibus laudem, et ab Omnipotenti Deo, tam boni operis mercedem promeriti fuissent. Cum vero idem decretum, tanto postea, non solum principum Catholicorum quorum legati Concilio illi adfuerunt, sed etiam venerabilium fratrum coepiscoporum nostrorum qui etiam interfuerunt, consensu factum sit; tanto magis ei ab episcopis obtemperandum est, quanto gravior culpa est, rebus a generali Synodo jussis eo non obtemperavisse, quam quæ nondum decreta sunt, quamvis utilia, omisisse. Id quo verius esse cognoscimus, eo magis mirati sumus te, ad hanc usque diem, quemadmodum audivimus, in Ecclesia tua seminarium non instituisse, Quod si verum est, dolemus certe eos, a quibus obedientia exemplum exteris tradi debueral, tam segnes tamque negligentes ad obtemperandum tam salutari instituto fuisse. Itaque fraternitatem tuam hortamur, eique districte etiam mandamus, ut memor officii sui, ejusque utilitatis, quæ inde ad Ecclesiam suam perventura est, ejus executionem decreti longius ne differat, cui eam jam pridem obtemperavisse oportebat. Cave, ne exigui cujusdam emolumenti cupiditas te impediatur, quominus agas ea, quæ boni fidelisque pastoris opera sunt; illud considerans, nos, quemadmodum nihil in hunc, in quem suscepti sumus, mundum intulimus; ita ex eo nihil esse exportaturos, præter ea sola quæ bene aut male in vita nostra gesserimus. Cogita Ecclesiastica bona, tibi, non ad dominium tradita, sed ad dispensationem esse commissa, fibique, sicut et nobis de illis rationem æterno illi judici reddendam esse, ante cujus oculos, nihil absconditum esse potest. Putamus nos quidem, fraternis te nostris vocibus admonitum, præteriti temporis negligentiam, adhibita in instituendo tuæ Ecclesiae seminario celeritate, emendaturum; sed si a te in ea re amplius cessaretur, prætermittens, pro officii nostri ratione ea remedia non possemus, quæ tibi cæterisque fratribus coepiscopis nostris, in eadem re negligentibus, fortasse displicerent. Nobis tamen, quibus omnium Ecclesiarum sollicitudo incumbit, magis necessaria essent quam jucunda. Id ne nobis necesse sit

¹ Scriva Vit. cap. 9. — ² Bzov. sub hoc anno.

¹ Epist. lib. 3. Epist. 27.

facere, potes, tu, frater, obedientiæ celeritate providere : quod ut facias te vehementer in Domino rogamus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvi Julii MDLXIX, Pontificatus nostri anno quarto. »

319. Ad archiepiscopum vero Elhorensem ¹ :
« Venerabili fratri archiepiscopo Elborensi.

PIUS PAPA V.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Oportebat quidem fraternitatem tuam, in exequendis his, quæ tuæ personæ munerique tibi a Deo imposito conveniunt, cum diligentiam adhibere, ut ad explendas officii tui partes fraternis nostris monitis non indigeres, sed quoniam id, aut negligenter omissum, aut studiose ad hanc usque diem prætermissum est, commissi nobis officii sollicitudo cogit nos, in vocem doloris erumpere, quod ea in re nimium negligens extiteris, in qua diligentiam tuam excitare, studium charitatis erga Ecclesiam tibi creditam declarare debuerat. Allatum est enim ad nos, te nondum in Ecclesia tua seminarium instituisse. Quod si verum est, vehementer timeamus, ne cuius rei tam salutaris festinans diligensque executio tibi apud omnipotentem Deum mercedem afferre poterat; ejus nimia dilatio aliquam peccati culpam, apud eundem Redemptorem nostrum contraxerit. Quocirca fraternitatem tuam hortamur atque etiam mandamus, ut quod a sacrosancto Tridentino Concilio, Deo auctore, de instituendis seminariis providentissime decretum fuit, et auctoritate Sedis Apostolicæ confirmatum; cuius decreto, istius quoque regni episcopi interfuerunt et assensi sunt; id in Ecclesia tua, nulla amplius temporis interposita dilatione, quamprimum, ad effectum adducere festines. Noli, quæsumus, frater, cupiditalis aut parvi emolumentis causa, quod Ecclesiæ tuæ tantopere futurum est utile, gravium tu a culpa prætermittere: nihil enim minus thesaurus in lucro animalium repositus est, quam cupiditatem rerum temporalium utilitati ovium sibi commissarum antepone. Memento nihil nos in hunc mundum intulisse, ex eodemque nihil cum decesserimus elaturos, exceptis his, quæ vel juste ac sancte, vel injuste et impie gesserimus. Hæc enim sola nos, ex hac vita discedentes, sequentur. Memento illius quoque, Ecclesiasticorum bonorum te, sicut et nos, non dominum, sed dispensatorem a Deo institutum esse: dispensationisque reddendam esse rationem, æterno illi Judici, ante cuius conspectum, omnia nuda atque aperta sunt, apud quem nullus excusationi locus futurus est. At speramus nos quidem fraternis te nostris vocibus admonitum, in instituendo quamprimum in Ecclesia tua seminario,

melius imposterum officio tuo consulturum; sed, si diutius tam salutari Concilii Tridentini decreto obtemperare differres, cogeremur ad ea remedia pro officii nostri ratione confugere, quæ non minus illa quidem nobis quam tibi displicerent; sed ea tamen sine magna nostra culpa prætermittere non possemus. Datum Romæ apud S. Petrum, die xxvi Julii MDLXIX, Pontificatus nostr. anno quarto ».

320. Ad episcopum autem Portalegrensem ¹ :
« Venerabili fratri episcopo Portalegrensi.

PIUS PP. V.

« Venerabilis frater etc. Pastoralis sollicitudinis curam, nobis ab Omnipotenti Deo impositam, negligere nolentes, sine gravi culpa prætermittere non possumus, quin quemadmodum quisque eorum officio suo fungatur, qui in sollicitudinis nostræ partem vocati sint, cognoscere atque intelligere velimus. Quia vero de instituendo in Ecclesia tua seminario audivimus te saluberrimum Concilii Tridentini decretum ad hanc usque diem minime executum esse, non mediocri ex ea re animi dolore affecti sumus. Itaque fraternitatem tuam hortamur, atque etiam ei mandamus, ut quod tanto venerabilium fratrum coepiscoporum nostrorum, qui sacrosancto illi œcumenico ac generali Concilio interfuerunt, consensu decretum statutumque est, et Apostolicæ Sedis auctoritate confirmatum; quodque te multo ante ad effectum adduxisse oportuerat, ejus executionem longius ne differas. Nec vero te, a tam salutaris observatione decreti, parvi alicujus emolumentis cupiditate abduci sinas, sed memineris nos, nudos de utero matris nostræ egressos, illuc ubi sua cuique opera locum invenerint, nudos esse venturos, nihilque ex hoc, in quem suscepti sumus mundo elaturos esse, præter ea, quæ bene aut male gesserimus. Cogita, frater, Ecclesiasticorum bonorum non dominium tibi traditum, sed dispensationem tantummodo, quemadmodum etiam nobis, commissam esse; de qua sollicito animo atque anxio esse debemus, perinde atque hi, qui ejus rationem in tremenda illa die, æterno illi Judici redditori sumus, ante cuius oculos, omnia aperta ac manifesta sunt. Quocirca fraternitas tua præteriti temporis negligentiam adhibitam, in obtemperando tam salutari Tridentini Concilii decreto, corrigere festinet; nam si ejus executio decreti, diutius a te cæterisque fratribus nostris istius regni episcopis protraheretur, cogeremur inviti ad ea remedia devenire, quæ tibi atque illis fortasse displicerent, quæque ab eodem Concilio in eos, qui hac ipsa in re negligentes fuerint, constituta decretaque sunt. Sed speramus te, fraternis nostris monitis excitatum, nullum im-

¹ Ibid. ut supra.

¹ Ibid. ut supra.

posterum reprehensioni correctionique locum esse relicturum : quod, ut facias, vehementer a te petimus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvii Julii M^DLXIX, Pontificatus nostri anno quarto ».

321. Ad episcopum quoque Visensem ¹, licet ad eam regendam recens electum, scripsit :

« Venerabili fratri nostro episcopo Visensi.

PIUS PP. V.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum venerabiles fratres nostros istius regni episcopos, qui cum gravi damno suarum Ecclesiarum, magnaque animi nostri molestia, nondum ad hanc usque diem, in suis Ecclesiis seminaria instituerunt, singulos ad ea quamprimum instituenda, pro officii nostri ratione, hortaremur, visum est eandem rem fraternitatem quoque tuam hortari. Quamvis autem sciamus te, quia nuper istius Ecclesiæ episcopus creatus sis, non tam cito, fortasse sacrosancti Tridentini Concilii decretum, super instituendo in Ecclesia tua seminario exequi potuisse; præterire tamen nolimus, quin te fraterne moneremus, ne aliorum fratrum copiscoporum nostrorum atque tuorum in ea re negligentiam tarditatemque tibi imitandam esse existimares; sed, quemadmodum pastorem animarum decet, saluberrimo generalis Synodi decreto, quamprimum obtemperares, officioque tuo satisfaceres. Qua in re, oportet te, muneris tibi ab omnipotenti Deo impositi memorem, majorem utilitatis Ecclesiæ tuæ quam privatorum tuorum emolumentorum rationem habere; illudque cogitare, Ecclesiasticorum bonorum dispensationem, quemadmodum etiam nobis, fidei tuæ commissam, non eorum tibi tributum esse dominium, ut illis ipsis bonis, non quomodo tu vis, sed quomodo officii tui ratio postulat, uti debeas. Nihil enim a Dei sacerdote longius abesse debet quam cupiditas, qui unus maxime ex omnibus hominibus intelligere debet, nihil se in hunc mundum intulisse, nihilque ex eo elaturum esse, præter ea quæ bene aut male in vita sua gesserit. Hoc igitur cognoscens, ita, et in seminarii institutione, et aliarum rerum Ecclesiæ tuæ utilium executione, ad Dei laudem animarumque fidei tuæ creditarum salutem stude atque invigila, ut tibi ante Redemptoris nostri in illo remunerationis tremendo Judicii die tribunal constituto, ab auditione mala timendum non sit; sed laborum tuorum æternam mercedem accipere merearis. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxvii Julii M^DLXIX, Pontificatus nostri anno quarto ».

322. Ad episcopum quoque Loriensem, et alios, eodem exemplo scriptum fuisse, disserte

M. S. Vaticanum asserit. At quia, quin minus ab episcopis salutaria hæc Pii mandata, simul ac monita executioni mandarentur, obstare videbantur eorundem Ecclesiarum capitula, quæ construendis præcipue seminariis, adjutrices manus, uti debuissent, admoveere detractantes, idcirco Pius, ea haud multo post, et officii sui admonere, et severius ipsa etiam perstringere, sequentibus Epistolis, sui muneris duxit.

Ad capitulum Egitanense ¹.

« Dilectis filiis decano et capitulo Ecclesiæ Egitanensis.

PIUS PAPA V.

« Dilecti filii etc. Inter multa, quæ a sacro Tridentino Concilio pie admodum statuta sunt, unum illud, de instituendis in unaquaque Ecclesia seminariis decretum, quod propagandæ bonorum sacerdotum soboli aptissimum est, tantam habet utilitatem, ut ejus executio decreti, sine maximo Ecclesiarum detrimento, aut omnino negligi, aut longius differri non posse videatur. Id, quo magis verum esse cognoscimus, eo vehementius dolimus, in ista Ecclesia nondum ad hanc usque diem seminarium, ex ejusdem Concilii decreto institutum fuisse. Qua de re, cum ad venerabilem fratrem nostrum episcopum vestrum scriberemus, cumque ad illud quamprimum instituendum hortaremur; vos quoque eodem tempore, ut tam sanctum tamque utile opus, pro vestra parte adjuvaretis excitandos monendosque esse existimavimus. Instituendorum autem seminariorum una illa facilis expeditaque ratio est, si neque episcopus officium suum negligat, et capitulum ipsum, ac reliqui, qui ejus diœcesi continentur, portionem singuli suam, solvere non recusent; quod, ne vos facere negligatis, neve privatim majorem emolumentorum vestrorum, quam publicæ ipsius Ecclesiæ utilitatis habeatis rationem, vehementer vos hortamur. Quid enim, aut Ecclesiæ isti inutilius, aut vobis ipsis turpius esse potest, quam Ecclesiam, clericos reliquosque sacerdotes indoctos illiteratosque habere? Quocirca, pro commisso nobis ab omnipotenti Deo pastorali officio, vos patenter monemus, ut cupiditate omni postposita, episcopo vestro, ad instituendum isthuc quam celerrime Seminarium, omni studio adesse, opem obsequiumque vestrum præstare velitis; quod nisi fieret, neque episcopus ipse vester, pro suo officio ea remedia omittere posset, quæ ab eodem sacro Tridentino Concilio, adversus resistentes, portionemque suam solvere recusantes provisæ sunt; et si negligeret, nos certe diutius negligere non possemus. Sed quemadmodum eum paternis nostris hortationibus admonitum, in institutione seminarii speramus officio suo functurum esse;

¹ Ibid. ut supra.

¹ Ibid. ut supra.

sic vos eisdem nostris monitis excitatos, non diffidimus eandem rem, pro vestra parte adjuvatorum, quod, ut faciatis, vehementer a vobis petimus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die IX Augusti MDLXIX, Pontific. nostr. ann. IV ».

323. Ad capitulum pariter Portalegren. ¹.

« Dilectis filiis decano et capitulo Ecclesiæ Portalegren.

PIUS PAPA V.

« Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum ad nos allatum esset, nondum ad hanc usque diem in ista Ecclesia seminarium esse institutum, præmittere, pro officii nostri ratione non potuimus, quin, quam ea de re conceptam animi nostri molestiam ven. fratri nostro episcopo vestro, per litteras significavimus, ejusdem vos quoque participes faceremus. Sicut autem cum, ad tam salutare tamque omnipotenti Deo acceptum opus, quamprimum exequendum hortati sumus; sic et vos, ut idem pro parte vestra adjuvetis, vehementer in Domino et hortamur et monemus. In quo, nolite, quaesumus, aut privatis emolumentis vestris servire, aut cupiditati morem gerere; sed potius ipsius Ecclesiæ utilitatem, publice vobis ante oculos proponite. Hoc enim si feceritis, nullam ad instituendum isthuc seminarium necessariam impensam recusabitis. In Ecclesia ista, cujus vos membra estis, clericos reliquosque sacerdotes vestros doctos esse, sacrarumque litterarum scientia præditos, nullius magis quam vestra interest; eosdem indoctos illiteratosque esse, nullis hominibus quam vobis, turpius inutilisque futurum est. Quocirca, cum in ea re vestrarum animarum salus, vester honor, Ecclesiæque istius dignitas agatur, omni studio episcopo vestro, ad instituendum in ista Ecclesia seminarium adesse, auxilium, opem obsequiumque vestrum præstare debetis; ut quod lucusque non sine magna pastoris vestraque culpa, oviumque detrimento negligenter commissum est, id ne longius amplius differatur. Nec vero ignorare vos arbitramur, eam sacri Tridentini Concilii sententiam mentemque fuisse, ut per quorum negligentiam stetisset, quominus seminaria quamprimum instituerentur, hi acriter et severe admodum corripentur; qui vero portionem suam solvere detrectarent, ad ejus solutionem cogentur. Itæc vos, quæ in negligentibus contumacesque remedia, non tam voluntarie quam coacte provisæ sunt, expectare, dilecti filii, non debetis; si ulla vobis officii vestri cura est, si vos ipsos Ecclesiamque vestram diligitis, si quæ omnipotenti Deo beneplacita sunt sectamini, si animas denique vestras potius salvas, quam facultates incolumes

esse cupitis. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die IX Augusti MDLXIX, Pontific. nostr. ann. IV ».

324. Ad capitulum vero Visen.

« Dilectis filiis, decano et capitulo Ecclesiæ Visensis.

PIUS PP. V.

« Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. Quamvis ven. fratrem nostrum episcopum vestrum, nuper creatum, in instituendo in ista Ecclesia seminario, cæteris istius regni episcopis diligentem futurum esse sperabamus, in quorum Ecclesiis nondum ad hanc usque diem instituta esse seminaria, magno cum animi nostri dolore, accepimus; præmittere tamen nolimus, quin cum quoque, ut cæteros, ad tam pium salutareque opus quamprimum exequendum hortaremur; quo eodem tempore visum nobis est, vos etiam, ad idem pro parte vestra adjuvandum, litteris nostris excitare; ut quam ille ab omnipotenti Deo, pro adjuvata in ea re Ecclesiæ suæ utilitate remunerationem accepturus esset, ejus ne vos quoque expertes essetis. Quocirca dilectiones vestras quanto majore possumus animi studio hortamur, ut omni cupiditate posthabita, episcopo vestro, ad instituendum quam celerrime in ista Ecclesia seminarium, auxilium, opem obsequiumque vestrum, quemadmodum æquum est, præstetis, scientes quantopere Ecclesiæ vestre utile, vobisque ipsis honorificum futurum sit, clericos, reliquosque sacerdotes, doctos et litteratos habere: quod nos quidem, pro ea pietate, quam Ecclesiæ vestræ debetis, præstare vos esse; neque portionem vestram solvere recusaturos, aliaque omnia, quæ ad institutionem seminarii necessaria sunt, prompte atque alacriter facturos esse speramus; quæ nisi fierent, præterquam quod episcopus vester, pro suo officio, ea remedia omittere non posset, quæ ab eodem Concilio Tridentino, adversus resistentes provisæ sunt; præterea, quantopere ea res nobis molesta esset, dissimulare nullo modo possemus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, sub annulo Piscatoris die IX Augusti MDLXIX, Pontific. nostr. anno quarto ».

325. Ad capitulum etiam Elboren ¹.

« Dilectis filiis decano et capitulo Ecclesiæ Elboren.

PIUS PAPA V.

« Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum venerabilem fratrem nostrum istius Ecclesiæ archiepiscopum, de instituendo in sua Ecclesiæ seminario, nuper per litteras nostras hortaremur (quod quidem seminarium, ex sacri Tridentini Concilii decreto, jam pridem

¹ Ibid. ut supra.

¹ Epist. lib. 3. Epist. 3.

institutum esse oportebat); faciendum esse existimavimus, ut eodem tempore, vos quoque, de tam utili, tamque Deo omnipotenti accepto opere adjuvando, moneremus. Scitis enim institutorum seminariorum eam esse rationem, ut nisi qui in capitulo diœcesiae sunt una cum archiepiscopo vel episcopo suo ea de re consentiant, difficilis admodum sit eorum institutio. Episcopum autem, cosque qui sub illius regimine continentur, cum semper convenit benevolentia se mutuaque charitate complecti, tum præcipue de his quæ ad Ecclesiæ utilitatem pertinent, decet esse concordēs; ut communi consensu, quæ in rem Ecclesiæ sunt, sedulo provideantur, quæ autem nocitura sunt, prudenter caveantur. Quid enim aliud est, vos necessariam, ad instituendum seminarium impensam recusare, quam privatim cupiditati vestræ servire, ipsius autem Ecclesiæ utilitatis nullam rationem habere velle? Quod si hoc vobis placet, placeat etiam nullam esse apud vos, qualem Tridentinum Concilium esse voluit, puerorum sanctam religiosamque institutionem; placeat vestros clericos, reliquosque sacerdotēs, indoctos atque illiteratos esse: quod quantopere Ordini sacerdotali turpe sit, neminem esse vestrum, qui ignoret, existimamus. Itaque vos, pro officii nobis ab omnipotenti Deo commissi ratione, monemus, hortamur, et, quatenus opus sit, vobis mandamus, ut ad instituendum in Ecclesia ista seminarium, archiepiscopo vestro, opem auxiliumque vestrum præstetis detisque operam, ut tam sanctum tamque utile opus, pro parte vestra quamprimum perficiatur. In quo, si officio ipsi vestro, vobisque satisfacere velitis, illud curare debetis, ut præteriti temporis negligentiam, executionis celeritate corrigatis. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1x Augusti MDCXIX, Pontific. nostr. anno quarto ».

Quid vero Pius, de recipiendis alumniis in Ulyxiponensis provinciæ seminariis, hoc ipso anno decreverit, mox dicetur.

326. *Erectioni novæ sedis episcopalis in oppido de Elbas obstant Elborensis et Ceptensis episcopi.* — Præ cæteris autem Lusitanis episcopis, Ecclesiarumque capitulis, plus negotii hoc ipso tempore fuit Pio, cum præfatis Elborensis capitulo et archiepiscopo. Elborensis ejusdem Ecclesiæ diœcesis, nimiam amplitudinem rex Sebastianus perpendens, prudenterque considerans unius pastoris sollicitudinem, tot ovium, quam oportuisset, complecti curam non posse; cniæ apud Pontificem egerat, ut in oppido de Elbas novam Cathedralē institueret, cui ex proxime adjacentibus oppidis, ad ipsam Elborensē et ad Ceptensē Ecclesias pertinentibus, diœcesim attribueret. Regiis tam æquis postulatis, Pontifex annuere non recusavit; at acriter ea archiepiscopus et Ecclesiæ

Elborensis capitulum rejecerunt, utpote qui, e suæ diœcesis corpore, ea membra avulsa ægerime ferrent. Repulsam igitur ab illis passus rex, ea qua pollebat pietate, non vi, (ut non raro sæculi principes consueverunt) rem agendam credidit; sed potius per suum oratorem ad Pium deferri voluit: cujus permotus precibus Pontifex, ne quid, cum alicujus injuria committeret, ad præfatos Elborensē¹ archiepiscopum et capitulum ita scripsit:

« Venerabili fratri, dilectis filiis archiepiscopo et capitulo Ecclesiæ Elborensis.

PIUS PAPA V.

« Venerabilis frater etc. Pro Apostolicæ Sedis, cui indigni præsidemus, auctoritate, omnia diligenter circumspicere et prudenter prævidere debemus, quibus, non solum omnium Ecclesiarum, ab omnipotenti Deo, fidei sollicitudinique nostræ commissarum, status recte constitutus conservetur; sed etiam, si quæ illarum meliorem commodioremque in statum collocari possint, id, ut quantum in nobis est, adjuvante Domino, efficere studeamus. Nuper, igitur, charissimus in Christo filius noster Portugalliæ rex, per dilectum filium oratorem apud nos suum, exponendum nobis curavit, se, quia diœcesis Ecclesiæ tuæ Elborensis, in eam longe lateque patet magnitudinem, ut eam, neque commode visitare, neque, ut bonum pastorem decet, præsens gregem tibi creditum pascere possis, cupere, ut ab ea oppidum de Elbas, una cum aliis quibusdam locis, eidem oppido finitimis separaretur, ibidemque nova Cathedralis erigatur Ecclesia, cujus diœcesis Ceptensi posita oppida de Elbas vicina assignentur. Cumque a te, frater archiepiscope, et a vobis, dilecti filii, postulaverit, ut operi tam pio tamque religioso assentiremini, vos id facere recusavisse, nulla, cur prædictæ separationi assentiri nolletis, alicujus ponderis causa allata; quamobrem fraternitati tuæ, vobisque simul, in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut illico, ut has nostras litteras acceperitis, litteris vestris documentisque publicis, de omnibus causis nos certiores facialis, quæ vos movent, quominus prædictæ separationi atque erectioni assentiamini; in quo illud tantummodo vos monitos volumus, vos, nisi vestra recusationis justas causas ac rationi consentaneas attuleritis, sine ullo vestro consensu, ad prædictam separationem creationemque deventuros fore. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1x Decembris MDCXIX, Pontific. nost. anno quarto ».

327. *Providet Pontifex ne majores Ecclesiæ dignitates neophytis in Lusitania conferantur.* — Pia hæc studia, quibus sedulo Ecclesiæ utilitatis

¹ Ex. Archiv. Vatic. Ibid. ut supra.

incumbere visus est Sebastianus rex adhuc puer, haud dubio optimis consiliis patris cardinalis infantis tribuenda agnoscuntur. Ipse siquidem, et in propaganda religione, et in sarcinendis Ecclesiasticis rebus, totus fuit; sicut et quæ alibi retulimus, et quæ hoc eodem anno à Pio obtinuit, abunde testantur. Præerat ille hoc tempore (ut infra explicabimus) Ulyssiponensis Ecclesiæ archiepiscopus, commissæque sibi diœcesi, necnon provinciæ saluti diligentissime invigilans, præter, ea, quæ a sacro Tridentino Concilio, quo ad Ecclesiasticos viros, vel ad Ecclesiasticos gradus promovendos sapientissime statuta erant, ac in morem induci omnino præceperat; pro loci personarumque qualitate, quæ in eadem provincia existent, alia quoque summi Pontificis auctoritate decernenda existimavit, eaque fuerunt: Ne Cathedralibus vel majoribus Ecclesiis præfici neophyti possent; sed ii dumtaxat, ad huiusmodi dignitates promoveri valerent, qui olim et antiquitus, et Christianam Catholicam fidem professi, et ab ea nunquam defecisse probarentur. Insuper, quod ad archidiaconatus, Ecclesiarumque ejusdem provinciæ scholasterias ii pariter promoveri nequirent, quos ex uno saltem latere, parentibus ab antiquo tempore Catholicis et Christianis natos, perspicuum esset. Tertio demum, ne in seminaria (quorum erectionem adeo, ut vidimus, in Lusitania tota hoc tempore urgebat Pius), pueri reciperentur, qui, aut a progenitoribus recens ad Christianam fidem conversi, aut ab hæreticis originem duxisset constaret.

328. Pius rationabilibusque postulatis অনুendum censuit Pontifex, utpote, qui huiusmodi decretis, magis religionis securitati ac decori consultum iri censeret; cum, videlicet, e sacris muneribus arcerentur, qui parentum forte nequitia aliqua polluti, cæteros quibus aliquo modo præfici accideret, perfida aliqua labe contaminare posse contingere valerent. Verum, quoad arcendos omnino e seminariis pueros, infantis cardinalis voluntati obsecundandum non censuit; quod putaret, ex lapidibus istis, ex mala licet silice erutis, Deum aliquando filios Abrahæ suscitare posse: ideoque, quamvis in ipsis pueris, in prædicta seminaria recipiendis summam adhiberi circumspeditionem voluerit, ex illis tamen excludi noluit. En, quæ cuncta hæc complectitur, edita a Pontifice Bulla ¹:

PIUS PAPA V.

« Ad perpetuam rei memoriam.

« Exponi nobis nuper curavit dilectus filius noster Henricus tit. SS Quatuor Coronatorum, presbyt. cardinalis infans Portugallix, Ulyssi-

ponensis Ecclesiæ archiepiscopus, sibi evitandi scandali gratia, atque etiam ob alias justas et rationi consentaneas causas, valde necessarium videri, ut in examine, juxta Concilii Tridentini decreta, de illorum moribus et idoneitate habendo, qui in Ulyssiponensi provincia, deinceps cathedralibus, vel majoribus Ecclesiis præficiendi fuerint; præter cætera omnia, a sacris canonibus, ejusdemque Concilii decretis requisita, illud quoque a nobis statuatur et decernatur, ne huiusmodi perficiendi neophyti sint, sed ex his parentibus geniti, qui olim et antiquitus Christianam Catholicamque fidem professi, ab ea nunquam desciverint. Utque assumendi similiter ad archidiaconatus, Ecclesiarumque ejusdem provinciæ scholasterias, parentibus, ex uno saltem latere, ab antiquo tempore Christianis et Catholicis nati sint. Præterea, ne pueri, qui, aut a progenitoribus non ab antiquo tempore Christianis aut hæreticis originem duxerint, in seminaria, juxta ejusdem Concilii decretum, in singulis provinciæ diœcesibus instituenda, admittantur; ac propterea nobis humiliter supplicandum curavit, ut præmissis rebus, Apostolica benignitate, providere dignaremur. Quocirca nos scandalis, pro commissis nobis ab omnipotenti Deo pastoralis officio, obviam ire volentes, ejusmodi supplicationibus inclinati, Apostolica auctoritate, præsentium tenore litterarum, statuimus et decernimus, ut qui imposterum cathedralibus, sive majoribus prædictæ Ulyssiponensis provinciæ Ecclesiis erunt præficiendi, de his, præter alia a jure ejusdemque Concilii Tridentini decretis requisita, illi, ad quos examinati, juxta idem Concilium, habendi cura, pro tempore spectaverit, illud etiam inquirent, an ex his parentibus geniti sint, qui olim et antiquitus Christianam Catholicamque fidem professi, ab ea nunquam defecerint: qui, si præter cætera, ut supra a jure Concilii Tridentini decretis requisita, taliter quoque inventi fuerint; ad prædictas Ecclesias admittantur, sin minus, ab eisdem rejiciantur. Archiepiscopo vero et episcopo, aliisque ordinariis ejusdem provinciæ collatoribus, pro tempore existentibus, eadem auctoritate, harum tenore interdicimus, ne archidiaconatus et scholasterias, suarum Ecclesiarum, illis qui tales non fuerint, posthac conferant, conferre mandentur vel faciant; a qua quidem re, et nos abstinere curabimus, et successoribus nostris, ut idem faciant indicamus. Novos autem Christianos, prædictis seminariis excludi nolumus, sed locorum ordinariis mandamus, ut diligentius posthac attendant, quos et quales ex his ad ipsa seminaria admitti permittant. Præmissa vero omnia, ita, ut dictum est, observari mandamus atque præcipimus. Si quid autem secus actum fuerit, irritum decernimus atque inane,

¹ Ex Archiv. Vatic. ibid. ut supra.

sicque per quoscumque iudices iudicari decidi- que debere sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi decidendique potestate et auctoritate. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque, etc. Datum Romæ, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxv Augusti MDLXIX, Pontifical. nostr. anno quarto ».

329. *Cardinalis infans Portugalliæ. relicta Ulyssiponensi sede, ad Eborensem suam priorem Ecclesiam redit.* — Post mortem Ferdinandi Vasconelli, qui Ulyssiponensi metropolitane præfuerat, cum oporteret Henricum, cardinalem infantem Ulyssiponæ, ad gubernacula regni, cui adhuc Sebastianus immaturus erat, assidere, Apostolicæ Sedis auctoritate, ab Eborensi Ecclesia, quam sanctissime rexerat, ad Ulyssiponensem transitum fecerat; cuius utilitati eximia sedulitate incumbens, quæ prædiximus, à Pio obtinere studuit. Denique, ubi rex Sebastianus, regni habenas suscepit, ad Ecclesiastica obeunda munia ipsum piissimum cardinalem totum se rursus convertisse ac Ulyssiponensi relicta Ecclesia, ad priorem suam Eborensem rediisse, suo loco dicendum erit.

330. *Laudat Lusitanum regem Pius quod reformationem Ordinum militarium aggredi in suo regno statuerit.* — At cum tradant scriptores, eundem Henricum diu ante militaribus Ordinibus, Christi, divi Jacobi, et Avisiano præpositum, magno eorumdem Ordinum fœnore, suam decorasse præfecturam: idcirco cogitare absonum non videtur, eodem suggerente, Pium superiore anno quædam, ad eosdem Ordines pertinentia, in ipso Lusitaniæ regno custodiri iussisse; quæ quoniam segnius quam exoptasset executioni mandari intellexisset, idcirco novis litteris ad regem datis, pro illorum observantia instare sui muneris dixit: sic enim ad Sebastianum¹ scripsit:

« Charissimo in Christo filio nostro Sebastiano Portugalliæ et Algarbiorum regi illustri.

PIUS PP. V.

« Charissime, etc. Quamvis M. T. ea sit in Deum omnipotentem pietate prædita, eoque Christianæ religionis adjuvandæ propagandæque studio incensa, ut, etiam non admonita, ipsa per se intelligat, quæ sibi in his rebus, quæ ad Republicæ Christianæ utilitatem institutæ sunt, in regno suo exequendis, pro sua parte conveniat, tamen piæ devotionis affectum, paternis commendationibus angere scientes, simulque commissi nobis à Deo officii, muneris satisfacere volentes, M. T. hoc tempore studiose in Domino hortandam rogandamque esse prævidimus, ut, quæ a nobis, per litteras nostras

Apostolicas sub plumbo, superiori anno idus Septembris expeditas, super præceptoris tam salutariter atque utiliter statuta sunt, ea ut in regno tuo observentur curare velis. Decet enim te præcipue, charissime fili, quem Deus omnipotens tot tantisque virtutibus ornatum tanti regni regem constituit, earum rerum quæ a nobis ad Dei gloriam, pro Christiani nominis utilitate decreta sunt, executionem maxime adjuvare. Quid enim aliud rex ipse est, nisi minister ejus, per quem reges regnant? Ac nos quidem, in statuendis rebus his, quas, et rei publicæ Christianæ tuendæ, et religionis Catholicæ propagandæ, utiles esse iudicamus, tanquam boni agricolæ, æternum illum agricolam imitantes, quasi semina quædam bona spargimus, quibus confidimus nos quidem Deum, pro sua misericordia incrementum esse daturum; sed tamen necesse est reges ipsos et reliquos Christianos, Catholicosque principes, pro sua singulos parte satagere, ut exequendis rebus orbi Christiano utilibus Dei adiutores fiant; scientes unumquemque, pro suo labore, mercedem propriam accepturum. Illud etiam M. T., pro sua eximia in Deum pietate considerare volumus, duos istius regni Militares Ordines, quorum alter S. Jacobi, alter de Avis appellatur, idcirco ab initio institutos fuisse, ut regnum illud religionemque simul Christianam adversus Mauros, intra ejusdem regni fines versantes, tuerentur; qui licet his temporibus, Deo favente, devicti, tibi regnoque tuo amplius molesti non sint; non ideo tamen eorum Ordinum milites, præceptoris frui debent, et militare non debent, cum ipsas præceptorias, militandi causa acceperint. Cur enim ad bellum, quod in Africa contra infideles geritur, non proficiscuntur? Cur alterius istius regni Militaris Ordinis Jesu Christi, qui hoc facere dicuntur, exemplum non imitantur? An æquum est, eos præmia laborum sine laboribus accipere? Quod si M. T. aliquibus fortasse de causis, regno suo minime expedire iudicaverit, eorum Ordinum militibus qui nunc sunt, ad bellum proficiscendi necessitatem imponere, illud saltem, quod æquissimum est, statuere imposterum debet, ut qui deinceps ad præceptorias admittantur, ut vel bellum, quod in Africa geritur, singuli pro facultatum suarum modo adjuvent, vel ipsi ad bellum proficiscantur, vel utrumque, qui possunt, etiam faciant. Quod eo quoque justius facere potes ac debes, quod omnium istius regni Militantium Ordinum magistro, præcipue illorum regendorum cura commissa est, ut non solum in his, quæ ad eos Ordines optime gubernandos pertinent, statuere ipse debeas, quæ utilia fore iudicaveris; sed etiam, ut provideas, quemadmodum singuli, qui præceptorias habent, suo quique officio fungantur. Quod te quidem tua sponte factu-

¹ Ex Archiv. Valican. ut supra.

rum fuisse, pro tuo juvande religionis studio non dubitamus; sed nostris paternis vocibus admonitum, aliquanto studiosius præstaturum speramus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxviii Junii MDLXIX, Pontificatus nostri anno quarto ».

331. Sebastianum salutaria hæc Pii monita, non modo gratanter accepisse; sed insuper Pontificem exorasse, ut in reformandis hujusmodi Militaribus Ordinibus, Apostolica sua quoque auctoritate sibi auxilio esse vellet; ex mox dandis ejusdem Pii litteris, quibus Sebastiani aliis respondet, aperte intelligitur.

332. *Lusitani regis matrimonium urget Pontifex.* — Præ his omnibus autem, totius Lusitaniae regni vere paternam gerere sollicitudinem Pius idem hoc tempore visus est, cum, nimirum, ad magis jungendos contra Ecclesiae hostes Catholicorum principum animos summo molimine illud tentavit, quod jam pridem, ut suis locis diximus, curare cœperat: ut juvenis videlicet rex Sebastianus, quem præclarum in religione asserenda principem agnoscebat, uxorem duceret. Maximiliani alteram filiam præteritis annis ei tradendam curaverat; verum ubi, ex illis una Philippo Hispaniarum, alia vero Galliarum regibus nuptui data essent; ut saltem Margaritam Valesiam, ejusdem Christianissimi regis sororem, uxorem acciperet, ex qua, prole concepta, illius regni res lutiore evaderent, novaque ea affinitate, quæ ad religionem quoque spectarent in dies magis firmarentur, totis visibus hoc anno incubuit. Crevit in Pio rei perficiendæ desiderium et ardor, ex majoribus pietatis speciminibus, quæ Sebastianus ipse præbebat. Totus enim in profligandis Christi hostibus incumbere, totus in tollendis quæ irrepserant abusibus deditus erat. Quo magis igitur præclara hæc, et ab oratore Lusitano Romæ commorante, et ab ipso cardinali infante, de Sebastiani virtutibus sibi delata fuissent, eo magis matrimonium hujusmodi urgendum Pius existimavit; vel ut tantæ spei princeps immature forte sublatus, in successore saltem superstitem haberet; vel ne inter regales delicias ac mundi illecebras malitia illius sensum mutaret, vel animam ejus deciperet. Ad cardinale infantem referri scripte ipsius litteræ id testantur.

« Dilecto in Christo filio nostro Henrico tit. SS. Quatuor Coronatorum, presbyt. cardin. Infanti.

« Dilecte fili, etc. Gratissimæ nobis fuerunt litteræ tuæ proxime ad nos scriptæ, ex quibus serenissimi regis nepotis tui in regno suo gubernando, ætate adhuc tenera, prudentiam, religionem et sapientiam, magna cum animi nostri lætitia agnovimus. Quod etiam M. S. apud nos orator, pluribus verbis nobis confirmavit, diligentissimæque litteras tuas suo sermone

subsecutus est. Ea res Salomonis, qui et ipse puer parvulus regnum regendum accepit, sapientiam nobis ad memoriam revocavit. Quocirca, qua ipsum benevolentia prosequimur, illum talem esse, qualem et antea accepimus, et nunc tu quoque confirmas, perinde ac debuimus, in Domino gavisi sumus; sperantes omnipotentem Deum, cujus perfecta sunt opera, qui M. S. talem mentem dedit, eundem quoque bonæ mentis adiutorem futurum. Sed quia ætati illi ineunti multa undique pericula solent imminere, idcirco optimum factu esse judicavimus, ut quamprimum fieri potest, uxorem ducat; ut uno eodemque tempore, et regni posteritati et morum snorum integritati consulat. Quamobrem circumspeditionem tuam vehementer in Domino hortamur et rogamus, ut quod inter illum regisque Christianissimi sororem matrimonium, Deo adjuvante, propediem futurum speratur; id, quam celerrime ad effectum perducatur, omni studio, opera, auctoritate denique, pro parte tua interposita, efficere conetur. Nihil potes, neque regno isti utilius, neque rege ipsi consultius hoc tempore facere; quod te, pro tua prudentia, et erga regem nepotem tuum charitate facturum esse, non dubitamus. Id erit nobis etiam gratissimum. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die prima Septembris MDLXIX, Pontificatus nostri anno quarto ».

333. Sub ipsa die, qua ista ad cardinalem infantem scripsit, sequentem etiam ad ipsum regem Epistolam dedit; qua propemodum moræ impatiens se ostendit, dum, quod nondum effectum fuerat, Sebastianiano tamen matrimonio gratulari videtur. Dicit enim:

« Charissimo in Christo filio nostro Sebastianiano, Portugalliaë et Algarbiorum regi illustri¹. »

PIUS PAPA V.

« Charissime etc. Cum de tuo cum charissimi nobis in Christo filii regis Christianissimi sorore matrimonio, ea quotidie ad nos perfecturum, quæ vehementer, pro nostra erga majestatem tuam paterna benevolentia cupiebamus, magnam ex ea re in Domino lætitiâ accepimus, quam his nostris litteris majestati tuæ significandam esse existimavimus; non solum, ut hoc illi nostri erga se amoris voluntatisque signum tribueremus, sed ut eodem quoque tempore gratulareremur, quod M. T. tanti regis filiam, puellam probam, Catholicam, optimis moribus educatam, devotam, et ad omnia sancta piaque opera exercenda valde propensam, suique omnino similem, in matrimonio habitura esset. Quo quidem tuo matrimonio, et aliis duobus, quæ inter charissimum

¹ Ex Archiv. Vaticanæ, ut supra.

in Christo filium regem Hispaniarum, et Maximiliani Romanorum imperatoris electi filiam majorem natu; interque Christianissimum regem, ejusdemque imperatoris filiam natu minorem, futurum speratur, non solum istius regni posteritati, sed etiam Reipublicæ Christianæ tranquillitati optime consultum iri. M. T. igitur in Domino hortamur et rogamus, ut ad perficiendum pro ista parte, ex sua nostraque sententia, quamprimum toto animo incumbat; ut, quod nos, suæ communisque utilitatis causa, quam celeriter sibi faciendum esse judicamus; hoc factum esse, cum M. T. primo quoque tempore, in Domino gaudere possimus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 1 Septembris MDLXIX, Pontific. nostr. anno quarto ».

334. Quid his litteris apud Sebastianum egerit Pontifex, elici aequaliter posse cognoscitur, ex ejusdem ad ipsum regem, quas hic dabimus Epistolis aliis. De matrimonio hoc cum Valesia totum negotium Philippus rex Hispaniarum tractandum susceperat; cui, an cordi esset, ut felici fine absolveretur, nulla ratione sibi suadere poterunt, qui Lusitanæ regno Philippum ipsum inhiasse putarunt. At, quod deterius, à nuptiis, ut suo loco uberius narrabitur, Sebastianus ipse abhorrebat: quare, licet in speciem eas rejicere non auderet, tamen moras necere, cunctari, difficultatesque objicere studebat, quibus iter ad rem perficiendam occluderet. Ad vellicandum interea Pontificis animum, id sibi consilii inesse, ad eum scripsit, ut totam Africam armata manu aggrediretur, ut ibi Mahumetana superstitione depulsa, triumphalem Christi Crucem deligeret. El revera consilia hæc in animo versasse, abunde quæ subsequuta sunt comprobarunt. Quo etiam ad trium Militarium Ordinum, quam innumis, reformationem, non modo se illam abnuere Sebastianus respondit, sed Pii potius præsidium sibi præsto esse exoravit, ut melius ex utriusque sententia ad optatum finem perducere posset, uti factum esse sequenti anno dicitur.

335. Verum licet Pius hæc Sebastiani vota ac studia maxime probanda censeret, ex hoc tamen minus urgendum matrimonii negotium non duxit; imo illud aliis præferendum existimasse, quæ illius litteris respondens scripsit his verbis probant:

« Charissimo in Christo filio nostro Sebastiano, regi Portugalliæ illustri ¹. »

PIUS PAPA V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Quo in statu sit matrimonium tui cum charissimi nobis in Christo filii Francorum regis Christianissimi sorore

negotium, non solum intelleximus ex litteris tuis vigesima quarta Octobris die ad nos datas, sed etiam ex dilecti filii oratoris apud nos tui, majestatis tuæ nomine, super eadem re, nobiscum habito sermone cognovimus. Quia vero, quemadmodum, et eidem oratori tuo diximus, et alias majestati tuæ scripsisse meminimus, ex tali inter te et Christianissimum regem affinitatis conjunctione, magnam ad rempublicam Christianam utilitatem perventuram esse speramus; idcirco totum hoc negotium, quamprimum ex sententia confici, vehementer in Domino desideramus. Quam ob causam, ad id, et antea majestatem tuam semper hortati sumus, et nunc quoque magnopere hortamur. Certe, quod magni reges in primis spectare solent, neque clariori genere ortam uxorem ducere posse videris, neque probitate, morum sanctitate, pietatisque studio præstantiorem; præsertim charissimo nostro in Christo filio rege Catholico hanc ipsam affinitatis conjunctionem conciliante; quo neque aptiorem nullum conciliatorem, neque potentiorum, neque tibi ipsi conjunctionem habere potes: quem quidem speramus, in tractando hoc negotio, tuorum quoque commodorum, rerumque istius regni, eam, quam par est, rationem esse habiturum. Quæ cum ita sint, cumque in tali matrimonio ea quæ potissimum spectantur omnia insint, decet te, charissime in Christo fili, etiam si nonnihil aliarum non ita magni momenti rerum, in conditione propositarum deesset; id nequaquam tanti aestimare, ut propterea, aut a tali contrahendo matrimonio abstinas, aut totam hujus ipsius negotii conclusionem minus urgeas; sed potius communis Reipublicæ Christianæ utilitatis causa, aliquid de jure desiderioque tuo, in rebus non magni ponderis remittas; quod te, pro tua singulari, in Deum omnipotentem pietate, facturum esse non dubitamus. Quæ vero aliis tuis litteris, duodecima Octobris datis, de tuo Catholice religionis adjuvandæ propagandæque studio testificatus es; similiter ea, quæ de subigenda Africa ad nos scripsisti, ea perinde nobis ac debuerunt gratissima fuere, nec solum eximium tuum divini honoris zelum, ut par est, debitis in Domino laudibus commendamus, sed etiam Africæ subigendæ consilium tuum valde probamus, tibi que ejus rei nomine benedictionem nostram impertimur, Deum omnipotentem nunc rogantes, et in posterum humiliter rogaturi, ut earum rerum, quæ ad sui nominis gloriam a te diriguntur, prosperos tibi successus, pro sua misericordia largiri dignetur. De reformandis autem tribus istius regni Militaribus Ordinibus, quod a nobis majestas tua fieri vult, in re tam justa, quemadmodum decet, voluntati, postulatisque tuis satisfacere parati, totum hoc reformationis negotium, ut,

¹ Epist. lib. 3. Epist. 51.

ex tua sententia quamprimum conficiatur, studiose curabimus; pro nostra erga te paterna benevolentia, tuaque in nos et erga hanc Sanctam Sedem Apostolicam observantia, sedulo operam daturi, ut quantum cum Domino poterimus, tuis semper honestis desideriis satisficiamus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xxviii Decembris MDLXIX, Pontificatus nostri anno quarto. »

336. Hac ipsa die, cardinalis infantis respondens litteris, laudata quidem Sebastiani pietate, sed cæteris omissis, vel quæ ad Africanam expeditionem, vel ad Militarium Ordinum reformationem spectarent; in id unum incumbit, ut quam citius, quovis alio respectu posthabito, regii matrimonii negotium conficiatur. « Quæ litteris tuis (inquit ¹), xxv Octobris die datis, de charissimi nobis in Christo filii regis Portugalliæ nepotis tui matrimonio, de sua tuaque erga nos Sanctamque hanc Sedem Apostolicam observantia, ad nos scripsisti, ea nobis, ut par fuit, gratissima fuerunt. Semper nos quidem hanc inter Christianissimum regem et M. S. affinitatis conjunctionem, ut quamprimum ad effectum adduceretur, optavimus; et nunc quam maxime optamus, propter eas causas, quas et M. S. in præsentia scribimus, et alias eidem M. S. circumspeditionique tuæ scripsisse meminimus: nam, et ad nefarias populorum adversus proprios principes seditionum flammam extinguendas, vel ad hæresum multiplicia venena comprimenda; nil Catholicorum principum mutua inter se affinitatum conjunctione utilius esse existimamus. Cui nos conjunctioni, communi Reipublicæ Christianæ utilitatis gratia, pro suscepta communis omnium parentis persona, præcipue studere debemus. Quamobrem circumspeditionem tuam hortamur, ut eam rem conficiendam, omni studio auctoritateque incumbat. Et quoniam in ejusmodi matrimonio, ea, quæ in primis expetenda videntur, omnia insunt; suscipiendæ scilicet prolis spes, generis claritas, puellæ probitas, morum integritas, et eximium pietatis studium; etiamsi aliquid earum rerum deesset, quæ cum cæteris quæ adsunt comparatæ, parvi momenti sunt; serenissimo regi nepoti tuo auctor esse debes, ut non propterea minus, de hoc contrahendo matrimonio cogitet; sed quod ab eo, tali virtute pietateque prædito, maxime expectatur, communis Reipublicæ Christianæ utilitatis, quam privatorum commodorum, majorem rationem habere velit. Est enim commune bonum, privatis utilitatibus semper præferendum. » Hucusque Pius; cætera ad rem hanc pertinentia, in sequentes annos sunt rejicienda.

337. *Æthiopia expeditio contra Turcas*

Sebastiano regi commendata. — Dum autem Sebastianus rex, egregia pro religione facinora mente revolvit, infidelibus Mahumetanis, haud parva damna Lusitani intulere; nam in Mecæ regione, in qua celebre Mahumeti ipsius delubrum, ut Tarcagnotta ¹ et ab Isselt narrant, Arabes, Lusitanorum auxilio suffulti, plura loca ceperunt victoribusque armis excurrentes, non leviter Selimo extiteret infensi; hostium, neque numerum, neque impetum coercere, vel suslinere valentibus, militibus ab ipso missis. Cum vero eo ferme tempore accepisset Pontifex, tum a multis, tum præcipue ab Andrea Oviedo Ethiopiæ patriarcha, qui litteris respondens, quas sub anno MDLXVII, recensuimus scriptas, quibusve hic, Pio jubenti, ut ad Sinas vel Japoniam sesse transferret, si fidei Christianæ se Ethiopiæ finibus continere proficuum minime existimasset, rescripsit, et se eam regionem deserere detrectasse, et ad vires Turcarum infringendas, atque Indiam tutandam, expeditionem Ethiopicam, ab Lusitano rege non esse omittendam, quod vel modica classe facinus aggredi feliciter posset; ideoque, quanto maximo valeret studio, Pontificem deprecaretur, ut cum rege Sebastiano transigeret, et hujus generis alia, quæ ex mox apponendis habentur; Pontifex optimam occasionem nactus, de ipsa expeditione sequentem ad regem Sebastianum, quem rerum hujusmodi pro fide ac religione suscipiendarum tam studiosum compererat, Epistolam ² dedit:

« Charissimo in Christo filio nostro Sebastiano regi Portugalliæ illustri. »

PIUS PAPA V.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum, ex venerabilis fratris nostri Ethiopiæ patriarchæ Catholicici, tum ex aliorum quoque fidei dignorum litteris cognovimus, gentem illam, posteaquam patriarcham a se postulatum, sibi que, annitente in primis serenissimo rege Joanne avo tuo, a Sede Apostolica datum recipere noluit; multis variisque calamitatibus, omnipotentisque Dei flagellis eruditum, magna animorum mutatione facta, non pauca interdum neque obscura penitentia, atque ad Apostolicæ Sedis unionem revertendi voluntatis signa ostendere, nec solum Catholicos ipsos, sed etiam ex primatibus schismaticis nonnullos præ se ferre, valde se ad eam rem, majestatis tuæ populorumque regno tuo subjectorum, quo, postquam ad unitatem Ecclesiæ redierint, a Turcarum Maurorumque incursionibus tuti esse possint, opem auxiliumque desiderare; ut sperandum sit, majestate tua illuc duces suos cum copiis

¹ Ex Archiv. Vatican. ut supra

¹ Tarcagnot. lib. in pag. 454. Isselt. hist. pag. 474. — ² Epist. lib. 3. Epist. 42.

mittente, gentem illam Sanctæ Sedis Apostolicæ mandata facturam. Quæ res, sicuti magnum in Domino gaudium nobis attulit, hæc consentientium in eandem sententiam primatum populorumque signa cernentibus; sic etiam non mediocrem animo nostro curam iniecit; ne ullum erga eos, quantumvis longe a nobis positos populos, voluntatis nostræ paternæ officium prætermittamus. Mater enim et custos bonorum omnium charitas absentes non existimat eos, quos oculus mentis habet præsentem; nam, si ille paterfamilias filium suum, qui in regionem abierat longinquam, quamvis a longe venientem, tamen conspexit, eique ad se revertenti magna cum animi lætitia occurrit, quanto magis nos, communis omnium Christianorum patris personam sustinentes, tot filios ad Ecclesiasticam unionem redire volentes, respicere debemus? Quamobrem majestatem tuam, ad suscipiendam hæc Æthiopicam expeditionem, vehementer in Domino hortamur. Sicut enim ejus gentis conversio et conservatio, quemadmodum intelligimus, rebus tuis Indicis magnam afferre potest utilitatem; sic ejusdem ad alias infideles nationes, majestate tua negligente, defectio, iis valde nocere potest. Expeditio ipsa præterea, eximia majestatis tuæ in Deum omnipotentem pietate, singularique propagandæ Catholicæ religionis studio digna est; quæ si potissimum a majestate tua, honoris divini totque animarum salutis causa suscipiatur, sperandum est Redemptorem nostrum, non solum his quæ præcipue, ad sui nominis gloriam diriguntur, sed reliquis etiam tuis inceptis, bonis prosperosque successus, pro sua misericordia daturum. Denique, si hoc fecerit, id ipsum præstabit, cujus causa serenissimis regibus inclytæ memoriæ progenitoribus suis, earum nationum, quotiescumque Evangelii prædicationi restiterint, subigendarum jus concessum est. In primis aulem, ab omnipotenti Deo nobisque ipsis, qui hoc, populorum salutis causa, ardenti animo desideramus, maximam gratiam inibit. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xvii Decembris MDLXIX, Pontificatus nostri anno quarto. »

338. Quod vero expeditio hæc Pio, ob tot animarum salutem summopere cordi esset; hinc eam apud regem agere, hæc tantummodo Epistola sat non habuit, sed, ut id sedulo curaret, altera etiam Epistola Henricum Portugalliæ cardinalis, ut consuevit, hortatus est. Ea vero hujusmodi fuit ¹.

« Henrico S. R. E. cardinali Portugalliæ nuncupato. »

PIUS PAPA V.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam

benedictionem. Nuper, ex venerabilis fratris nostri Æthiopiæ patriarchæ Catholici litteris aliorumque fide dignorum relatione cognoscetes, Æthiopum gentem post multas variasque calamitates, quibus, nostris suisque peccatis facientibus, jam inde maxime ab eo tempore afflicta est, quo patriarcham superioribus annis a se postulatum et a Sede Apostolica concessum, recipere noluit; magna animorum mutatione facta, multa neque dubia pœnitentiæ signa ostendere, sic, ut sperandum sit, charissimo nostro in Christo filio rege nepote tuo duces illic cum copiis mittente, populos illos ad unitatem Ecclesiæ reversuros, Sedisque Apostolicæ mandata facturos; majestatem suam litteris proximè ad eam scriptis, ad suscipiendam Æthiopicam hæc expeditionem hortati sumus. Quia vero inceptum adeo sanctum, Deoque omnipotenti acceptum, te potissimum, pro tua in Redemptorem nostrum pietate, et pro eo, quo istic fingeris Apostolica legationis munere, decet adjuvare; idcirco te quoque nostris litteris vehementer in Domino hortandum esse existimavimus, ut ad eandem rem, serenissimi regis animum proposita illi propria communique Christianæ Reipublicæ utilitate; et (quod his omnibus magis est) æternæ remunerationis præmio incitare velis. Intelligimus enim ab hominibus rerum illarum peritis, expeditionem hæc susceptam, et ad eum, quem speramus exitum, Deo adjuvante, perductam, magnam serenissimi regis nepotis tui rebus Indicis utilitatem: omissam vero atque neglectam, eisdem magnum detrimentum afferre posse. Res ipsa est præterea, non solum Reipublicæ Christianæ, ipso recuperandæ talis tantæque provinciæ titulo gloriosa; sed etiam tot animarum pretioso Christi Domini nostri sanguine redemptarum, ad unionem Ecclesiæ revocandarum nomine fructuosa, ut circumspectio tua ejusmodi suadenda expeditione, nullam, neque utilioerem serenissimo regi, neque Deo omnipotenti acceptioerem operam navare possit. Nisi eximium tuum propagandæ Catholicæ religionis studium exploratum nobis esset, circumpectionem tuam pluribus verbis, ad eandem rem, consilio auctoritateque sua apud regem adjuvandam hortaremur: sed quia compertum habemus eam, in rebus ad omnipotentis Dei cultum gloriamque pertinentibus, nullius hortatione indigere; idcirco plura in eam sententiam scribere supersedentes, Deum omnipotentem humiliter rogamus, ut his quæ ad sui nominis gloriam diriguntur prosperos successus, largiri pro sua misericordia dignetur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die xvii Decembris MDLXIX, Pontificatus nostri anno quarto ».

339. *Siones ree Lusitanorum ope restitutas.*

¹ Ut supra Epist. 10.

— Sequentis vero anni initio, Siones regem, e proprio regno jam pridem deturbatum, eo quod Christianæ fidei nomen dedisset, Lusitanorum tandem ope restitutum, scribit Tarcagnotta¹: Sacchinus vero sub anno MDLXVIII id refert. At nos, ex Epistola Ternate, sub die vi Martii hujusmet anni scripta, a Petro Mascarenias Societatis Jesu presbytero, perspicue intelligimus hujus initio accidisse: fuit autem sic. Consalvus Pereria, Lusitani regis dux præcipuus, Siones regi sponderat, classe atque milite se auxilium præbiturum, ut rebelles ad jus fasque compellere posset. Jam pæne elapso Januario mense, Pereria tamen juxta conductum non adfuit; cum ecce præfectus quidam Lusitanæ cohortis, nomine Mendorlenas præsto fuit, cui obviam processit Siones rex, Pereriam cum esse arbitratus; ex eo tamen intellexit Pereriam ipsum, Zebuensi expeditione nullo effectu tentata, vi tempestatis aversum ab Sione, in Molucum rediisse: quo nuntio quam percussus rex fuerit, haud explicare facile. Id autem cum agnovisset Mandruelas, se cum suis præstiturum adjutorumque ut rex sua reciperet, pollicitus est; ac Deo adjuvante, rem tam prospere gessit, ut brevi dierum spatio, ipse cuncta pæne sibi ablata recuperaverit. Hunc felicem successum, fidem ac bonitatem regis (præter æterna Cœli præmia) in terris promeruisse Sacchinus et Mascarenias existimant; adeo (scribunt) moderate adversam fortunam tulit, adeo se, et pium in Deum, et in homines seu male seu bene meritos clementem et gratum præbuit. Pacate vero cum jam regnum possideret, Mascareniam Ternatensem repelenti, natu maximum filium fere novennem tradidisse in Ternatino collegio erudiendum, idem Mascarenas testatur.

339. Dum præclara hæc, pro religione ac fide a Lusitanis aguntur, ac prosperis rebus eorum pietas emicat; adversis etiam ipsorummet virtutem omnipotens Deus probare voluit; nam hoc anno lues Ulyssipone immanem stragem edidit. Sub extremum Ver illa exorta, ac prope contempta, majores in dies vires sumpsit; donec Augusto mense, urbi pæne toti cladem indixit. Ingentem publicæ huic calamitati, vel avertendæ, vel sublevandæ, regina ac cardinalis Henricus subministrarunt pecuniæ vim; rex vero, quidquid ea necessitas posceret, regiis suis expensis abunde tribui, Martino Pererio urbis præfecto, munificentia vere regia ac Christiana imperavit. Verum rex ipse et cardinalis, ubi periculum increbuit, Ulyssipona egressi, varia subinde mutantes loca, Eboram Octobri mense se contulere; cum tamen prius ægre urbi consultissime providentes, tum temporalium auxiliorum, tum spiritualium

a Summo Pontifice impetratorum subsidiorum, nil ab ea desiderari passi essent.

340. *Brasiliæ proregem Pius hortatur ad Catholicam fidem propugnandam.* — Inolitum interea viliorum, in ea Indiarum parte, quæ Brasilia dicitur, et Lusitano regi subfacebat, evellere Pontifex desideraverat; licet enim earum incolarum haud pauci Christi fidei nomen dedissent, non tamen sic omnino veterem hominem exuerant cum actibus suis, quin nonnulla a Christiana modestia simul ac lenitate aliena retinerent; utputa illud, quod detecto turpiter corpore incederet, ac humanas carnes ferali quodam instinctu esurirent. Ad abolendas igitur penitusque eradicandas tam pravas consuetudines, et ad episcopum S. Salvadoris, et ad Brasiliæ proregem, hac hoc anno dedisse litteras reperimus:

« Venerabili fratri Petro episcopo S. Salvadoris in provincia Brasiliæ¹.

PIUS PAPA V.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Etsi fraternitatem tuam, in gubernando grege fidei tuæ commisso, cum adhibere prudentiam ac vigilantiam existimamus, ut ad explendas officii sui partes, hortationibus admonitionibusque nostris non indigeat; tamen quia et Ecclesiarum omnium curam et sollicitudinem nobis ab omnipotenti Deo commissam gerimus, et eos etiam, qui in perfectæ virtutis stadio currunt, paternis nostris vocibus adjuvare posse credimus; idcirco te, quem tanto marium terrarumque spatio disjunctum, Christianæ charitatis vinculum et pastoralis officii societas nobiscum conjungit; paterno primum debitæ salutationis officio prosequentes, studiose in Domino hortamur, ut neophitorum, qui recenter ad fidem nostram Catholicam, eorum cæcitatibus miserente Domino, conversi sunt, paternam curam gerere velis; sic ut eos, et boni prudentisque rectoris officio gubernatos, et fidelis sapientisque doctoris disciplina institutos, ad cælestem patriam perducere possis. Illud quoque te curare volumus; ut, quantum in te est, gentem istam, et præcipue eos, qui in fidem Christianam, adjuvante Domino, recepti sunt, a ferino victu atque cultu, ad mitiores mores civilemque vitæ rationem revocare contendas: eisque persuadere studeas, ut relicta ea cui assueti esse dicuntur corporis turpitudine, convenientem Christiano pudori civilique cultui vestitum assumant. Quod ut obtinere possis, nullum prætermittes eorum officiorum, quæ, vel apud istius provinciæ rectorem, vel apud alios quoscumque, utilia fore judicaveris. Et quoniam te Deus omnipotens, in illis regionibus animarum pastorem

¹ Tarcagnol. par. 3, lib. 43, pag. 199.

¹ Epist. lib. 3. Epist. 24.

constituit, unde multum afferre fructum possit; ideo divini in hoc beneficii gratiam recognoscens, in munere tibi commisso diligenter vigila, terrenisque negotiis relictis, congregandarum in æterna ovilia animarum, cælesti negotio incumbere. Sit in lingua tua sermo, qui quasi gladius acutus, vel durissimos gentis illius, ad religionem Christianam animos percurrere possit; sit charitatis ardor in animo, ut in eorum numero esse merearis, supra quos igneas consedis linguas legimus: vere enim supra nos igneæ resident linguæ, cum, aut in fratribus nostris ab infidelitatis tenebris ad veritatis lucem traducendis; aut his, qui traducti jam sunt, magis magisque in dies instruendis, et in fide Catholica retinendis, laborantes, divini spiritus ardore incendimur. Creditum tibi Dominicum agrum, dum licet, fortiter exerce; semen tuum, dum tempus est, semina; certo sciens, te eorum, quæ seminaveris fructum, tempore suo esse percepturum: ut cum operæ tuæ beneficio, pestiferæ cæcitalis caligine depulsa, vera istic fides serenitatis suæ radios aperuerit: illud te, ante Redemptoris nostri oculos præmium cæleste expectet, quod omnibus bonis fidelibusque pastoribus in Cælo repositum esse scimus. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die vi Julii MDLXIX, Pontific. nostr. ann. 4 ».

341. Ad proregem alia ¹:

« Dilecto filio nobili viro Fernando de Vasconcellos, provinciæ Brasiliæ in partibus Indiarum pro rege Portugalliæ gubernatori.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. Qui terrenis regnis gubernandis aut provinciis regendis præpositi sunt, tanto propensiores esse debent, ad bene de omnipotentis Dei cultu religioneque Christiana merendum, quanto majorem præ cæteris hominibus hoc faciendi facultatem a Deo acceperunt; ut honorum operum fructu, non solum eorum, quibus serviunt principum gratiam promereri, sed celestis etiam regni præmium accipere possint. Hanc bene de fide Catholica merendi voluntatem, quamvis nobilitati tuæ, Deo adjuvante, minime deesse arbitremur, ac propterea te sponte tua, ad omnia, quæ juvandæ religioni utilia sunt exequenda, paratum esse pulemus: tamen quia paternæ vocis hortatio, bonis mentibus semper aliquid adjicere solet: omnes eos, qui nuper isthic ad Christi fidem conversi sunt, et cuncta, quæ ad fidem Christianam, sive propagandam, sive retinendam, in ista, cui præes provincia, pertinent, tibi universe eo, quo majore possumus animi nostri studio, diligenter agenda com-

mendam; hortantes nobilitatem tuam, ut quotiescumque opportunum juvandæ religionis tempus adfuerit, id, quod pro Dei laude animarumque salute istis locis exequendum erit, exequi ne differat. Illud autem in primis officere stude, ut homines istius provinciæ, ac præcipue illi, qui abdicato a se cæcitalis errore, Christianam veritatem, Deo miserante, cognoverunt; ferinum vitæ cultum deserentes, ad mansuetiorem vivendi modum civilemque morum rationem, quantum fieri potest, per te traducantur; utque relicta corporis, hominibus Christianis indecora, nuditate, convenientem pudori Christiano victum vestitumque assumant. In quo, non solum, si quid hujus rei causa agendum fuerit, ne id prætermittere velis, hortamur; sed etiam ut venerabili fratri nostro, istius provinciæ episcopo auxilium tuum impertiaris, ad hoc et cætera omnia exequenda, quæ officio suo istic exercenda utilia fore judicaverit, vehementer rogamus: ut et ipse in his rebus, quas pro animarum salute agendas suscepit, paratum sibi esse auxilium reipsa intelligat; et tu boni operis fructum, æternæ vitæ præmium, a Redemptore nostro merearis accipere. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die vi Julii MDLXIX, Pontificatus nostri anno iv ».

342. *S. Ludovicus Bertrandus e novo Granatæ regno in Hispanias rediit.* — Ab America Meridionalis ¹, novo Granatæ regno, in Hispanias hoc pariter anno rediit, insignis ille divini verbi præco sanctus Ludovicus Bertrandus, qui in iisdem regionibus, ab anno MDLXII usque ad præsentem, semine Evangelico disseminato, veritateque Catholica innumeris signis atque prodigiis confirmata, multa barbarorum infideliumque millia, ad fidem Christi convertit, ut Alonsus de Zamora, in sua Historiatestatur.

343. *J. Avilæ et Xisti Senensis obitus.* — Montellæ autem in Hispania obiit vir, toto Catholico orbe pietate ac doctrina celebris, Joannes Avila, vulgo dictus magister Avila, ob insignem in dirigendis in viam salutis ac Christianæ perfectionis animabus, peritiam. Cælestis sapientiæ referta haud pauca reliquit monumenta. Decessit autem hoc anno, mense Maio, ætatis suæ sexagesimo septimo, sepultusque est in Monticellano Societatis Jesu collegio. Januæ vero pariter ex hac vita migravit Xistus Senensis, ex Prædicatorum Ordine, vir probitate vitæ ac summa eruditione, ipsius Catholicæ fidei hostibus venerandus. Ab errorum tenebris ad veritatis lumen, et a sæculi ærumnoso mari ad religionis portum evocatus is fuerat a Pio, cum adhuc in minoribus esset:

¹ Histor. De la Prov. de S. Antonino del Nuavo Reyno de Granada del Orden de Prædic. lib. 2, cap. 3, pag. 198. F. lib. 3, cap. 13, pag. 222. En Barcel. En la Imprens. da Joseph Liepelin. da 1701.

¹ At supra Epist. 28.

(non tamen, ut scribit Morerius ¹, cum Magister Generalis Prædicatorum existeret, cum eo munere Pius idem nunquam fuerit perfunctus); ideoque grati animi ergo, ipsius Pii Pontificatus anno primo, et Bibliothecæ Sanctæ Librum edidit, et ipsi dicavit; in quo, inter cœtera, collata in se à Pontifice beneficia, his verbis complectitur ²: « Cum autem pii aliquot ac eruditi viri judicaverint, hoc quidquid est operæ meæ, sacrarum litterarum studiosis non mediocriter profuturum, et ob id etiam hortati sint, ut in publicum emitterem; ausus sum illud piissimo Beatitudinis tuæ nomini consecrare, existimans, nulli magis convenire Bibliothecam sanctam dedicari, quam tibi sanctissimo Christianæ Bibliothecæ reparatori, atque a me uno præsertim, quem tu olim, ab inferis revocatum et errorum tenebris erutum, sinceræ veritatis lumine illustrasti; et ad sublimioris disciplinæ observantiam perductum, habitu sanctæ professionis tuæ, tuis ipse vestibus, tuis ipse manibus induisti, et in filium tuo renatum spiritu adoptasti, meque in hoc sacro Prædicatorum Ordine, ita benignitate ac liberalitate tua, semper in hanc usque diem fovisti, ut nulli magis debeam in terris quam tibi, etc. » Sic ille; qui præmature quidem (nam anno ætatis dumtaxat quadragesimo) præreptus est; cum tamen, ad communem utilitatem, præter Bibliothecam sanctam, nonnullos alios probe conscriptos libros publici juris fecisset.

344. *Multa in hoc anno iræ Dei signa.* — Plura etiam prodigia hoc anno ostensa memorantur; nam, ut narrat Thuanus ³, juxta Lovanium in Belgio, horrenda tempestas terræmotum consecuta est, et terra semel atque iterum delibescere visa est; et prid. id. Maias, et decim. quart. kalend. Junias, visi volitare per cœlum serenum ignes. Item. quint. non. Martii, luna defecit, et Passavii ac Salisburgi in Norico, sext. id. Decembris cometes, colore livido, et flammis ardentibus radians, in prima facie quinti gradus Capricorni apparuit prope lucidam stellam, Sagittarii cauda, ad Orientem versa, sed in occasum vergens.

345. Præter ingentem cladem Veneto navali, ut diximus illatam ⁴, major quoque Constantinopolitanae urbis pars incendio consumpta est; nam, ex eo viginti templa, quindecim Judæorum synagogæ, balnea, thermæ, porticus plurimæ perire. Quod idem in Tartaria ad Tanaim accidisse dicitur. Plurima pariter damna, e contra, Neapoli ab aqua, Mense Octobri facta, recenset Costus ⁵; ita ut videretur, a Deo creatura quaquaversus armata, ad ultionem inimicorum.

346. *Urbini Concilium provinciale.* — Hoc vero anno, Urbini in Italia Concilium Provinciale celebratum est, ab ejusdem urbis archiepiscopo Felice Tyranno, atque a S. Apostolica Sede confirmatum; ut apparet, ex ipsius Actis, quæ edita habentur.

347. *Pius, dato Diplomate, fovet studium Andree de Gaspare Corso erga captivos.* — Præsentis demum anni rebus finem imponat, Apostolicum Diploma illud, quo exornatum Pontifex voluit Andream de Gasparo Corso, ut tutius ferventiusque operi Redemptionis Captivorum, sub potestate infidelium misere degentium, cui jam pridem se addixerat, incumbere posset. Illud hujusmodi fuit ⁶:

« Dilecto filio Andree, de Gasparo Corso.

PIUS PP. V.

« Dilecte fili, etc. Qui, pro redimendis Christianis captivis, inter infideles et barbaras nationes et immanes, magno cum vitæ suæ discrimine versantur, quoniam hac una maxime re, divinam bonitatem imitantur, ut proximorum salutem, incolumitatis propriæ periculo, anteponant, digni sunt, quos precipuo quodam amore diligentes, omnibus paternæ nostræ benevolentia indicii, quantum cum Domino possumus, libenter admodum prosequamur. Quocirca, cum acceperimus te in regionibus infidelium, præcipue autem Algerii, et antea per multos annos commorantem, in eis locis mercaturam fecisse, et nunc quoque ibidem manentem: ut nobis, qui animarum salutem, pro pastoralis nostra sollicitudine, invigilamus, rem gratam facias, Christianorum captivorum redemptionis operam sedulo impendere: tuam istam in Deum omnipotentem pietatem et in proximos charitatem, spiritalibus donis prosequi volentes; teque alioquin, sine nostra et Sedis Apostolicæ licentia ac dispensatione, prædictas regiones infidelium colere, et cum eis infidelibus consuetudinem habere et negotiari non potes: supplicationibus tuis, super hac ipsa re nobis oblatis inclinati, ab omnibus excommunicationibus et censuris, quibus, ob hujusmodi cum infidelibus consuetudinem, fortasse obstrictus teneris; similiterque a cunctis et singulis reatibus, ac peccatis a te commissis, etiam in Bulla in Cæna Domini contentis, seu alias quomodolibet nobis, et Sedi Apostolicæ reservatis, quamprimum ea, dolente contritoque corde, juxta ritum S. Rom. Eccl. confessus fueris, pœnitentiamque tibi propterea injunctam feceris. De Apostolicæ potestatis plenitudine, misericorditer in Domino, in foro conscientia absolvimus et liberamus. Ut vero in eodem captivorum Christianorum Redemptionis negotio, sine ullo conscientia scrupulo, ad

¹ Morer. in Dict. histor. Verb. Xist. — ² In Epist. dedic. ad libr. Bibliothec. sacel. — ³ Thuan. Histor. lib. 46, pag. 620. ⁴ Mellic. Histor. par. 4, pag. 867. — ⁵ Cost. Histor. Neapol. lib. 1, pag. 29.

⁶ Ex Archiv. Vatican. ut supra.

omnipotentis Dei laudem perseverare possis; tibi, quamdiu redimendis Christianis captivis operam dederis, ut sine ullo reatu et culpa infidelium regiones civitatesque incolere, cumque iisdem infidelibus consuetudinem habere et tractare possis, quæ quidem contra fidem non sint, præsentium tenore litterarum, licen-

tiam et facultatem concedimus et indulgemus. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque, etc. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die xiv Octobris M^oDLXIX, Pontifi. nostr. an. 4 ».

Et de hoc anno dicta sint satis.

CONCILIUM PROVINCIALE

S. METROPOLITANÆ ECCLESIAE RAVENNATIS

Præsidente in ea Illustrissimo, et Reverendissimo Domino

JULIO FELTRIO DE RUVERE

TITUL. SANCTI PETRI AD VINCULA

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI URBIN.

S. RAVENNATIS ECCLESIAE ARCHIEPISCOPO

sub anno 1568

EX MSS. CODD. RAVENNAT.

DECRETA

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus Sancti.

Nos Julius Feltrius de Ruvere, tituli S. Petri ad Vincula, sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis Urbin. : et Dei atque Apostolicæ Sedis gratia, sanctæ Ravennatensis Ecclesiæ archiepiscopus, de consilio et assensu RR. DD. coepiscoporum nostrorum, in præsentî Ravennaten. provinciali synodo legitime congregatorum : hæc quæ sequuntur statuimus et ordinamus :

Professio fidei.

In primis vero fidei confessionem, ut decet, præmittentes, atque in hunc qui sequitur modum, eam juxta formam in Bulla felic. record. Pii Quarti traditam profitentes, credimus et profitemur omnia et singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet : Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, factorem cæli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero ; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus et sepultus est, et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est judicare vivos et mortuos, cujus

regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi sæculi. Amen.

Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquas ejusdem Ecclesiæ observationes et constitutiones, firmissime admittimus et amplectimur. Item sacram Scripturam, juxta eum sensum, quem tenuit ac tenet S. Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum admittimus ; nec eam unquam, nisi juxta unanimum consensum Patrum accipiemus et interpretabimur.

Profitemur quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novæ legis a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis (licet non omnia singulis) necessaria : scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, et Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium ; illaque gratiam conferre : et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem, sine sacrilegio, reiterari non posse.

Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemnî administratione recipimus et admittimus. Omnia et singula, quæ de peccato originali, et de justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et de-

clarata fuerunt : amplectimur et recipimus.

Profitemur pariter in Missa offerri Deo, verum, proprium et propitiatorium Sacrificium, pro vivis et defunctis; atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, esse vere, realiter et substantialiter Corpus ac Sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi: fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem: quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat.

Fatemur etiam, sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi. Constanter tenemus, Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis juvari. Similiter et sanctos cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Firmiter asserimus Christi ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum sanctorum reliquias habendas et retinendas esse, ac eis debitum honorem et venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmamus.

Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnoscimus, Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori, ac Jesu Christi vicario, veram obedientiam spondemus ac juramus. Cætera item omnia a sacris Canonibus, et OEcumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata, indubitanter recipimus atque profitemur: simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas, nos pariter damnamus, rejicimus et anathematizamus.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsentem, sponte profitemur et veraciter tenemus: eandem integram et immaculatam usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime, Deo adjuvante, retinere: vel illis, quorum cura ad nos in nostro munere spectabit, teneri, doceri et prædicari, quantum in nobis erit, curaturos.

Præscriptam autem fidei professionem, ex ejusdem fel. rec. Pii Quarti Bulla omnino facere teneantur, quicumque de Beneficiis Ecclesiasticis, curam præsertim animarum habentibus, quovis modo provisi fuerint, quive imposterum, ad doctorales vel magistrales gradus promovebantur, seu hactenus sunt promoti: ea ratione habita, ut qui nondum sunt promoti, in ipso promotionis actu, alii vero infra tempus ab episcopo statuendum, fidem ipsam profiteantur; necnon publice vel privatim Theologiam,

canonicam vel civilem Jurisprudentiam, Medicinam, Philosophiam, Grammaticam, atque alias bonas artes quascumque profitentes legentesve, sub pœnis in eadem Bulla contentis.

De canonicatibus vero atque aliis Ecclesiasticis dignitatibus provisi, præter propositam fidei professionem in episcoporum manibus faciendam, in ipso quoque capitulo, infra duorum mensium spatium a die adeptæ possessionis, ex sacri Tridentini Concilii præcepto fidem profiteantur, ut fructus suos faciant et adepti illis possessio suffragetur. Quod si capitulum in ea recipienda negligens fuerit, graviter ordinarii arbitrio puniatur. Si vero ipsius provisi culpa id acciderit, ad distributiones, donec satisfecerit, non admittatur; nihilominus ad eam, gravioribus pœnis propositis, faciendam omnino cogatur. In fidei autem professione faciendâ præcipue observetur, ut publice ac palam ab omnibus fiat, adhibitaque jam præmissa verborum formula: necnon eandem, per episcopalis curiæ notarios, de ea rogatos in peculiari libro annotari, cum ipsius profitentis subscriptione ad perpetuam rei memoriam, episcopi curent.

De Hæreticis.

Quod ad conservandam Catholicæ fidei integritatem pertinet, ut ab eo potissimum exordiamur, quam maxime episcopos hortamur ac monemus in Domino, ut diligentissime in primis invigilent et attendant, ne virus aliquod, in tanta mali propinquitate, ex infecta aliqua radice latenter subrepat, quod regem et ejus pascua inficiat vel corumpat, studeantque ut opportuna adhibeantur remedia, quæcumque ad populos in orthodoxa fide continendos facere videantur; idque præ cæteris curent, ut conventicula rudium ac præsertim suspectorum hominum prohibeantur, de his quæ ad fidem pertinent ab idiotis præcipue et litterarum ignavis, nec publice, nec privatim disputetur a Catholicis et sanæ doctrinæ religiosis viris; sermones vel conciones quam sæpissime habeantur; et his similia. Quod si putridum quis appareat, statim resecari provideant, et quos semel infectos fuisse cognoverint, diligenter observent.

In hæreticis vel de hæresi quoquomodo suspectis perquirendis et extirpandis, non solum vigilantissimi sint episcopi atque ordinarii omnes, quod præcipuum est eorum munus, usque ad animam et sanguinem exequendum; sed etiam sæculi principes ac magistratus quoscumque frequenter admoveant, quemadmodum eos monemus et hortamur in Domino, ut episcopis atque aliis Sacræ Inquisitionis ministris, auxilium, favorem et consilium præbeant, quo canonicas pœnas evitent: atque excitentur in hoc tam necessario ac præcellenti

fidei negotio plurimum proficere; quo certe nihil Deo gratius aut populis salubrius excogitari potest.

De libris prohibitis.

Posteriorem librorum prohibitorum indicem, cum suis regulis episcopi ad unguem observari faciant; bibliopolisque atque impressoribus, quæcumque ad eos pertinent ad memoriam sæpe revocari curent, ne in aliquo delinquentes pœnas contra eos statulas incurrant.

Animadvertant præterea episcopi, in quorum dicesibus imprimendi ars exercetur, ut libri atque opera quæcumque, antequam imprimantur, exactissime perlegantur, atque, ubi opus fuerit, castigentur; cum primum vero typis excusa fuerint, non antea ex officina exeant aut venalia proponantur, quam cum originalibus diligentissime conferantur; eademque subsignata ad perpetuam rei memoriam fideliter conserventur.

Episcopi non solum in eos, qui libros quavis ratione prohibitos retinent, sed etiam in omnes sacræ Scripturæ verbis ad jocum, assentationem, contumeliam, superstitionem atque alios profanos usus abutentes, severissime animadvertant.

De verbi Dei prædicatione.

Non ambigitur episcoporum munus in pascendo grege ac diligenter in fide erudiendo potissimum versari; proprium itaque munus agnoscentes episcopi ipsi, illud pie ac fideliter exequi satagant; et spiritalen panem esurientibus frangant, sæpe recolentes ovium suarum sanguinem ex eorum manibus esse requirendum. Quod sane officium, si per se ipsos, ut decet, legitime prædediti obire nequeant, idoneos verbi Dei ministros, juxta sacri Concilii Tridentini decretum eligendos, sibi ipsis adjungant, qui eorum vices omni diligentia ac pietate suppleant, atque in primis attendent, ut eorum sana sit et illibata doctrina, ne mala sibi electio imputari possit.

Hæc autem præcipue a Verbi Dei prædicatoribus quibuscumque observentur, ne questionibus inutilibus, aut fabulosis, vel jocosis verbis, aut dubiis, vel implicitis sermonibus audientium menses occupent: ab historiis apocryphis, miraculorumque non approbatorum recitatione abstineant. Hæreticorum opiniones et argumenta (nisi id urgens rei necessitas postulet) quanto minus fieri potest, nominatim recenseant, sed omnino refellant, vitia generatim reprehendant, et Salvatoris exemplo populorum vitam componere atque instituire studeant; in aliquem tacite vel expresse non invehantur, prælatos et magistratus pie ac reverenter admoneant, subditosque ad eorum

obedientiam excitent atque hortentur. Quibus de rebus atque aliis hujusmodi, sacrarum concionum tempore, ab episcopis et curatis omnibus prædicatores præmonentur; ut quid magis vel minus, pro loci et popularium peccatorum qualitate, sit audientibus enuntiandum, intelligant, doceantque in vitiis redarguendis, atque animis Deo reconciliandis potissimum sibi esse laborandum, rejectis quibuscumque ad ostentationem et fastum tantummodo facientibus.

Ordinarii omnes in propriis et subditorum Ecclesiis, ubi commode fieri potest, statutis a Tridentina Concilio diebus, sacras conciones haberi curent, quibus non solum ipsi frequenter intersint, sed et clericos loci universos adesse curent.

Dei verbum, quocumque anni tempore, diurnis horis prædicetur. Item Passio Domini nostri Jesu Christi lucescente die, non autem nocte per prædicatores enuntietur; provideantque episcopi, ne quid per illos eo tempore, vel etiam alias, quandocumque dicatur aut fiat, etiam ad lacrymas promovendas, quod a Christiana disciplina aliquo modo abhorreat, et a tanti mysterii dignitate sit alienum.

Provideant insuper episcopi, quo ad ejus fieri potest, ut concionibus feminæ seorsum a masculis in Ecclesiis intersint, atque ita disponantur, ut a maribus, religionis ac honestatis gratia distinguantur.

Ne vero aliqua inter parochos et populos sibi commissos, de alendo prædicatore, eique de aliqua eleemosyna providendo, ut sæpe fit, dissensio habeatur, statuimus et ordinamus: laudabiles locorum consuetudines inviolabiliter amplecti debere; in dubio autem superiores admoniti, quod sibi magis expedire videbitur, efficiant, ac parochorum præsertim pauperum, quo magis fieri potest, indemnitati provideant.

In prædicatore autem eligendo inhibemus, ne sæculi potestates, magistratus, aut Universitas aliqua ullo pacto sese ingeret, cum hoc totum munus ad episcopos et Ecclesiarum rectores, ex sacrorum Canonum dispositione pertineat; qua in re, si difficultas aliqua suborta fuerit, ad ordinarium deferatur, qui modis omnibus Ecclesiarum immunitati consulat, sicuti magis conducere existimaverit.

De lectione theologica.

Theologiæ lector, ubi commode fieri potest sæcularis clericus, sin minus regularis, in subsidium in unaquaque cathedrali Ecclesia ac collegiata etiam insigni extra civitatem, per ordinarium adhibeatur: statuta eidem congrua mercede, vel ex præbenda proxime vacatura, vel alio quovis modo, juxta Tridentini Concilii decretum, veluti magis unicuique præfato videbitur, et Ecclesiæ suæ qualitas patietur.

Is autem, qui lectioni hujusmodi deputatus

fuerit, statis diebus et horis iuxta episcopi præscriptum sacræ Scripturæ libros, atque alios pro casuum pænentialium cognitione, a curatis et sacerdotibus habenda clero, præsertim per anni circulum in loco per episcopum designato interpretabitur; cuius lectioni, ut tam majoris quam minoris gradus clerici frequenter intersint, non solum episcopi curent, sed etiam sæpissime singulos illius auditores, ut in hujusmodi lectione proficiant, hortentur et admoncant.

De scholis et magistris.

Ut litterarii ludi, bonarumque artium magistri, non tam doctrina quam fide orthodoxa ac bonis moribus ornati, ab his ad quos pertinet eligantur, episcopi, atque alii locorum ordinarii exactissimam curam adhibeant; cum ex hoc ipso potissimum pendeat adolescentium salus, et incorrupta morum ac vitæ institutio et disciplina.

Caveant autem maxime profitentes hujusmodi, ne libros aliquos obscæna vel turpia tractantes, discipulis legendos vel interpretandos proponant: studeant commissos eorum disciplinæ pueros, honestis moribus in flexibili illa ætate, et ad malum prona, decenter imbueri; scientes scilicet de ipsorum negligentia Deo primum rationem reddituros, ac propterea sibi maxime cavendum esse, ne rebus pessimis vel profanis inicientur.

Ut ergo nullus sit eis dandus locus et via omnis fraudibus præcludatur, statuimus et ordinamus, ne quis litterarum ludum per provinciales dioceses aperiat vel privatim profiteatur, nisi facultate ab ordinario prius gratis obtenta, ac fidei professione emissa sub illius arbitrii pœna: cum sæpe reipsa reperitum sit, lupos sub ovina pelle delituisse.

Meminerint præterea episcopi, puerorum scholas, nedum gymnasia, ubi juvenus publice proficitur, ex officio sibi esse visitandas. Æquo jure plurimum confidimus omnem curam ab eis fore impendendam.

Hortamur autem sæculi principes et magistratus quoscumque, ut episcopis visitantibus favcant, ac eosdem proprium munus obeuntes, turbari nullo modo patiantur.

Illud insuper decernimus, ut ordinarii, in quorum diœcesibus generalia vel quævis alia studia vigent, id provideant, ne conclusiones publice vel privatim ostentandi ingenii causa, vel alia quapiam ratione disputentur, aut defendantur, antequam per eos examinentur et approbentur, quacumque consuetudine non obstante: nec item patiantur disputationes, quæ sine clamoribus fieri non possunt, de cætero in sacris ædibus haberi, sub eorum arbitrii pœna.

De sanctorum reliquiis.

Sanctorum reliquiæ, honestissimis in locis ac decoris vasculis in Ecclesiis asserventur; non sine luminibus populo exhibeantur, nec temere, et sine ordinarii licentia, ex propriis loculis extrahantur: neve ad aspiciendum vel tangendum alia quapiam ratione quam devotionis gratia proponantur. Pro certis autem nonnisi illæ habeantur, quæ rite fuerint ab episcopis approbatæ. Quæcumque vero pro reliquiis sunt habitæ, honestatis causa decenti ac tuto loco recondantur.

Si quas vero reliquias de novo detegi aut exhumari contigerit, episcopi provideant, ne incertæ pro certis habeantur; at quod religioni ac pietati consentaneum videbitur, adhibito quoque piorum ac religiosorum hominum consilio, decernant.

Abusus quoque, si qui forsitan in reliquiærum veneratione aut visitatione irrepsisse videantur, ab episcopis quamprimum tollantur, ne piorum animæ sub falsitatis imagine decipiantur; eam autem venerationem sanctorum reliquiis ab omnibus exhiberi et doceri episcopi curent, quam sacrosancta Tridentina synodus decrevit.

De sacris imaginibus.

In sacris imaginibus effingendis, id primum vitetur, ne insolita aliqua imago, vel insolito modo pingatur, sculpatur vel apponatur, præsertim in Ecclesiis, atque aliis piis et religiosis locis. Nil præterea indecens, indecorum, lascivum, profanumve habitu vel vultu, ac toto corporis statu adhibeatur: atque hujusmodi divorum imagines existant, ut in illis aspiciendis pietas excitetur, nec quicquam in eis appareat, quod prototypo ac exemplari suo, ex approbata Ecclesiæ consuetudine non conveniat.

Mandamus præterea ejus generis artificibus quibuscumque, atque imaginibus effingendarum curatoribus, ut nonnisi de episcoporum vel parochorum scientia, sacras imagines quovis modo effingere, vel in Ecclesiis piisque locis apponere præsumant; et quæ hactenus appositæ sunt, si se recte non habeant, eas episcopi deleri, corrigi vel instaurari faciant eorum sumptibus, ad quos ea res pertinet, sub eorum arbitrii pœnis.

Quod autem ad ipsarum sacrarum imaginum cultum et venerationem attinet, eam pariter reverentiam et honorem illis episcopi impendi curent, quam sacrosancta Tridentina Synodus statuit, idque sæpius populos edoceri studeant.

De miraculis.

In novorum miraculorum approbatione, formam a sacrosancto Tridentino Concilio

editam et traditam, episcopi diligenter observent. Sed quoniam sæpe vulgi concursu et populi clamore quid pro miraculo promulgatur, quod vere non est; studeant episcopi summopere, cum sese offert occasio, ut primis illis vulgi clamoribus obsistant, donec miraculi veritas habeatur ac legitime comprobetur, ne falsa pro veris recipiantur; atque incerta tolerando, eadem approbare videantur; ad populi nihilominus devotionem ac pietatem, quantum Catholicæ fidei ratio patitur, respicientes, dubia quæcumque juxta ejusdem Concilii Decretum, quamprimum decernantur.

De sacrarum gestorum representatione.

Scripturæ sacræ historia, sanctorum martyria et actiones, aut etiam Domini nostri Passio, quasi ex scena, seu alio quocumque modo, sive in sacro, sive in profano loco, aut etiam in Monialium monasteriis nullatenus represententur, cum exemplo constet, ex iis adstantes magis oblectari et ad risum et scandalum sæpius excitari quam ad pietatem accendi; nisi aliud, pro populi devotione, ac rei et temporum ratione episcopis, ex rationabili causa videatur, qui, re ipsa diligenter cognita, quod pietati conducere prospexerint, pro eorum prudentia statuerint.

De festorum dierum cultu.

Festorum dierum reverentiam, ore nobis Dominico propositam, episcopi atque alii ordinarii omnes, honore debito prosequentes diligenter curent, ut Dominici dies, et alii ab Ecclesia recepti, præcipue vero in honorem Dei, beate Mariæ Virginis, et sanctorum Apostolorum feriat, omni qua decet veneratione, juxta Sanctissimi Domini nostri domini Pii Quinti Bullam, per eorum civitates et diœceses observentur. Omnes Christi fideles diebus hujusmodi Ecclesias frequentent, divinis officiis devoti incumbant, atque eo potissimum tempore, ab illicitis quibuscumque abstineant. Qui vero festis diebus illicitum opus aliquod facientes deprehensi fuerint, ex quo lucrum præcipue sibi redundet, præter divinam ultionem, et alias pœnas, ex ejusdem Bullæ dispositione inflictas, graviter quoque pro modo culpæ, ex episcopi arbitrio puniantur.

Illas præterea festivitates, quæ juxta locorum consuetudinem, solemniter celebrari consueverunt; eadem consuetudine servata, propositis itidem ex arbitrio pœnis, ejusdem auctoritate, debita cum reverentia episcopi observari curent.

Prædicta vero omnia, non solum in civitatibus et oppidis episcopi festa observari studeant, sed etiam per agros et villas, quibus in locis, a rusticis et villicis hominibus, in hoc sæpe delinquitur: quod crebris parochorum

admonitionibus, et executorum adhibita diligentia consequi poterunt.

Ut autem divi Apollinaris primi Ravennatis Ecclesiæ antistitis, et martyris gloriosi, aliorumque undecim archiepiscoporum, qui per Columbam electi fuere, memoria pie ac digne habeatur; prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, et eorum decreta innovantes statuimus, ut a provincialibus episcopis, in suarum Ecclesiarum Calendariis eorum nomina perpetuo ascribantur, ubi id consuetudo ferat.

Quæcumque vero a fidelibus, festo tempore, vel agenda, vel vitanda sint, populos ex sui officii debito episcopi commoneri faciant; quo major festis diebus reverentia (ut par est) ab omnibus præstetur.

De jejuniorum observatione.

Sacra jejunia, quæcumque ex Ecclesiæ instituto indicta, pariter observari omnibus episcopi studeant. Quisquis autem eadem, legitima cessante causa, violare præsumperit; præter divinam ultionem quam cibus utendo vetitis ipso jure incurrit, graviter quoque ordinarii arbitrio, si id absque rationabili causa factum fuisse constiterit, puniatur, præsertim si sæpius in illud idem crimen inciderit.

Jejuniorum tempore, ac præcipue Quadragesimæ, vetiti cibi, pro imbecillium ac infirmorum usu, non alibi aut ab aliis vendantur quam in statutis locis et ad id deputatis; ac non nisi ex causa ab utroque medico comprobanda, ac licentia ab ordinario vel ejus vicario seu deputatis, ab eis gratis subsignata et obtenta, sub pœnis ex arbitrio statuendis. Extra urbes vero et oppida, a parochis licentia hujusmodi, ex rationabili et urgenti causa dumtaxat, ubi medici consilium haberi non potest, ac similiter gratis, concedatur, cum his tamen conditionibus, quæ suis episcopis necessaria videbuntur.

Cibus insuper jejuniorum solemnium tempore prohibitos coquentes, vel ad esum quocummodo parantes, aut absque prædicta licentia ementes, vel participantes, severius ab ordinariis ipsis plectantur: et si sit opus, et culpæ qualitas id exposcat, in subsidium quoque excommunicentur.

Quæ vero jejunii diebus observari vel vitari debeant, episcopi populos edoceant, eosque moneant, jejuniorum tempore, non solum a cibus vetitis esse abstinendum, sed etiam ex præscripta ab Ecclesia forma jejunandum; ubi quis a jejunii præcepto, aliquo rationabili jure non subtrahitur aut excusatur.

De maleficis et incantationibus.

Maleficos et maleficas quascumque, cum incantationibus, ligaturis ac remediis omnibus,

quæ non commendat ars medicorum, ex sacrorum canonum dispositione episcopi puniant; et si ita oportere intelligant, de hujusmodi crimine vehementer etiam suspectos, a suis diœcesibus eliminat. Quod si forte, vel homicida fuerint, vel in eorum maleficiis aliquis sacramentorum abusus interfuerit, legitime puniendos curent.

Res præterea quascumque ad maleficia paratas, exhibentes, propinantes vel ministrantes; item hi qui flagitia hujusmodi aspectaverint, vel cum eadem profitentibus participaverint, excommunicentur, atque aliter pro modo culpæ ex arbitrio puniantur. Necnon cum dæmone facite vel expresse quicumque convenierint, et a Catholica fide quoquomodo apostataverint maleficii causa, abhibito etiam inquisitore, canonicis pœnis afficiantur.

De superstitionibus.

Superstitiosas et vanas populi observationes, quæcumque sint, episcopi tolli, et ab ovis sibi commissis veluti rem perniciosissimam vitari curent: concionumque tempore, atque alias, quandocumque opportunum videatur, hæc atque alia hujusmodi, a recta fide aberrantia, subditos cavere moneant, et gravi quate pœna proposita, ex sacrorum canonum decreto compellant.

Certum insuper candelarum numerum, cum vana quacumque observatione, ad morbos, pœsertim ex vulgi opinione, repellendos, vel ad maleficia perpetranda, sive in Missæ sacrificio, sive alias quomodocumque adhiberi prohibemus, sub arbitrii pœna. Clerici vero consentientes, vel id fieri permittentes, aut scientes, nec ad episcopum deferentes, ab eo graviter puniantur.

De blasphemia.

In blasphemos quam maxime, ut reatus qualitas exigit, insurgentes, statuimus. Tam laicos quicumque sint, quam clericos, qui Deum et Dominum nostrum Jesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam ejus Genitricem expresse blasphemaverint, pœnis in Bulla Sanctissimi domini nostri Pii Quinti contentis, omnino afficiendos esse. Si vero reliquos sanctos maledictis lacesserint, vel eorum nomini detraxerint, pro personæ et culpæ qualitate, ex eadem Bulla ordinarii arbitrio corripiantur.

Blasphemantium parentes aut domini, filios vel ministros blasphemandi consuetudinem deserere nolentes, objurgent, deferant, et incorrigibiles ejciant: ne et ipsi divinæ Majestatis rei, tantum scelus perferendo, constituantur; quod et in eorum receptoribus locum habere decernimus.

Sæculares quoque potestates et magistratus,

in blasphemos insurgere monemus et hortamur in Domino; ut indulgentiam a posteriore Lateranensi Concilio illis concessam consequantur, neve pœnas, quas ab illis sumere prætermiserint, ex ejusdem Concilii Decreto, in seipsos convertant.

Studeant autem episcopi modis omnibus hoc execrabile blasphemiae scelus abolere, quod ut facilis assequi possint, vehementer hortamur, ut Societatem Nominis Jesu in eorum civitatibus et diœcesibus institui curent, juxta regulam eidem Societati præscriptam, una cum indulgentiis, in Bulla fel. rec. Pii Quarti desuper edita contentis.

De cathedrali Ecclesia vacante.

Quoties, Dei voluntate, cathedralem aliquam nostræ hujus metropolis Ecclesiam vacare contigerit, defuncti pastoris exequias ipsius vacantis Ecclesie capitulum, clericis omnibus adscitis, quo decet studio ac pietate celebret, illiusque animam, frequenti missarum sacrificio, aliisque sacris precibus, in quibusvis tam orbata civitatis quam diœcesis Ecclesie de more adhibitis, Deo plurimum commendari curet: quod item episcopos comprovinciales omnes, fraternæ charitatis memores, accepto de alicujus episcopi dormitione nuntio, quamprimum facturos esse confidimus; quemadmodum eos, ne id ullo pacto facere prætermittant, prædecessorum nostrorum vestigia sequentes, plurimum in Domino cohortamur. Tum publicæ supplicationes et privatæ orationes, juxta sacri Tridentini Concilii monita, decernantur, quibus universo clero adstante, a Deo religiosissime postuletur, ut eum viduato gregi pastorem concedere, ex sua largitate dignetur, qui tanti ministerii munus, digne ac laudabiliter exequi possit.

Caret autem vacantis Ecclesie capitulum, infra præstitutum ab eadem Tridentina Synodo tempus (ne jus hujusmodi ad superiorem devolvatur, ex ejusdem Synodi decreto), ut œconomus, ac vicarius orbata Ecclesie ejusmodi eligantur, qui eorum munus exequi, ac futuro pastori optimam de seipsis rationem reddere possint. Caveant autem præcipue, ne dimissorias ad Ordines, nisi post annum, quo sedes ipsa vacaverit, vel nisi aliquis jure arctatus existat, euiquam concedant, ex ejusdem Concilii Tridentini Decreto.

De promovendis ad cathedrales Ecclesias.

Quicumque mandatum Apostolicum de aliquo ad cathedralem Ecclesiam regendam examinando susceperit, eum, per viscera misericordie Dei nostri obsecramus, ut omnem curam, mentem et cogitationem pro ipsius conscientia exoneranda, ad hujusmodi examen recte faciendum adhibeat; memineritque,

vel ex hoc ipso potissimum, populi salutem, et orbatæ Ecclesiæ dignitatem pendere, ut pastor vere dignus assumatur, quive præesse ac prodesse sciat, et propterea in re tam necessaria, quam maxime esse animadvertendum.

Hæc autem examinis formula, ut sacri Tridentini Concilii monitis obtemperemus, a nobis in præsentî Synodo, pro assumendis ad cathedrales Ecclesiæ Sanctissimi domini nostri arbitrio comprobanda, præscribitur, ut accepto Apostolico mandato ab episcopo cui dirigitur, primum per testium, quo fieri poterit, graviorum, examen, cui ipsemet episcopus præsit super promovendi vitæ, moribus et ætate, quam diligentissime inquiretur, his vel similibus interrogationibus, propositis, quæ sequuntur.

Primo. An ex legitimo matrimonio, an ex Catholicis parentibus ortus; ubi, qualiter, et a quibus educatus, qualisve a pluribus annis citra fuerit illius vitæ et conversatio. An infamia unquam notatus, vel de aliquo crimine inquisitus vel suspectus. An unquam apostataverit, vel publice pœnituerit. An bigamus, an, et a quo tempore sacris initiatus, an sanæ mentis timoratæque conscientie. An, et qualiter aliquam aliam Ecclesiam rexerit. An domui suæ bene præsit, an aliquo corporis vitio, ac præcipue exitiali morbo laboret. Item, de animi dolibus, modestia, affabilitate, prudentia, sobrietate, continentia, et ejusmodi. An trigessimum annum expleverit, an in aliquo publico gymnasio professor fuerit, et an sit denique eis moribus et virtutibus ornatus, ut in Ecclesiâ Dei, non immerito præsil esse possit.

Cum vero in promovendis ipsis scientia maxime sit necessaria, ideoque, quamvis aliquis in Universitate studiorum magister, sive doctor, aut licentiatas in sacra Theologia, vel Jure Canonico sit promotus, seu etiam publicum alicujus Academiæ testimonium doctrinæ suæ ostendat: ut omnino via faudibus præcludatur, is nihilominus examinis periculo subiciatur. Adhibitis itaque non paucioribus, quam tribus, juxta promovendi professionem, Theologiæ seu Juris Pontificii peritis, duo illi puncta, seu articuli assignentur, quibus post integri unius diei et noctis intervallum congrue respondeat, atque ad interrogationes super illis extempore faciendas, apte eruditeque, juxta ipsius episcopi conscientiam, ac peritorum juratorum relationem replicet. Quibus peractis, ad fidei professionem admittatur, atque omnia a notario qui examini interfuerit in instrumentum relata, et ab episcopo obsignata, ad Sanctissimum Romanum Pontificem fideliter deinde transmittantur.

De episcopi dignitate et qualitate.

Illud primum episcopi, ex sacri Concilii Tridentini præcepto admonentur, ut pastores

sese, non percussores, constitutos esse existiment, nec dominandi quidem causa, sed ut subditos suos, uti fratres et filios ament, arguant, obsecrent, increpent in omni patientia et doctrina. In puniendis autem delictis, severitatem cum mansuetudine temperent, medicosque imitantes, a levioribus ad graviora remedia descendant, atque alia hujusmodi in hoc genere observent, juxta saluberrimum præfati Concilii decretum.

Subditi vero ita episcopos ipsos tractent, ut nullum obsequii genus erga illos prætermittant, quod ad eorum dignitatem tuendam pertineat; reverentiam atque obedientiam omnem illis exhibentes ac deferentes, eorum admonitionibus atque præceptis obtemperent et acquiescant, veluti parentes, eosdem vereantur et ament, illis non detrahant, sed subditos sese ad propriam ipsorum salutem semper agnoscant.

Sæculi quoque principes et magistratus omnes, quo majore fieri potest animi affectu, hortamur et obtestamur in Domino, ut episcopos, pro eorum dignitate venerentur, ac nullo pacto patiantur, ut in obsequiis quibusque episcopali ordini minime congruentibus, ipsis inserviant, ne divinam ultionem incurrant. Episcopos vero ipsos enixe admonemus, ut a sacri Concilii Tridentini decreto, quoad obsequia per eos principibus impendenda, minime discedant; meminerintque, si secus fecerint, in unaquaque provinciali Synodo, non sine eorum dignitatis nota, culpæ suæ rationem sibi reddendam esse.

Sit autem episcoporum vitæ et conversatio irreprehensibilis, qualem Dei ministros decet, prorsusque enitantur, ut a quacumque vel levis mali suspitione, nedum ab ipso malo caveant; atque ita seipos ac domos suas componant, ut cæteris sint exemplo nec jure merito redargui possint.

Sit præterea non nimis lauta, sed frugalis episcoporum mensa, spiritualis alicujus lectionis pabulo condita, quam, et benedictio præcedat, et gratiæ subsequantur. Supellex non sumptuosa vel superflua, sed moderata existat, omnisque luxur vitetur: et quæcumque ab Apostolicis traditionibus ac sacrorum Canonum dispositione super his, quæ ad vitam et mores pertinent, aliquo modo abhorrent, penitus episcopi ipsi ab illis abstineant. Parsimoniam, quæ tantopere nos Deo commendat, omnino sectentur, ut eo uberius his, quæ supererint, pauperum indigentia sublevari, et Ecclesiæ ipsæ commodius instaurari ac exornari valeant. Familiæ vero, numero, ætate et qualitate tot habeantur, quot pro eujusque episcopi dignitate congruere videbuntur; sint quæ et ipsi, religione ac pietate conspicui, nemini ullam offensionem dantes. Si quis vero in præmissis

reprehensibilis nunquam (quod absit) extiterit, de immensurata sua ipsius actione, merito redarguetur.

Meminerint præterea Episcopi, quod valde populum ædificat, et ad religionem excitat, ut sæpe publice, quam sæpissime privatim, festis præsertim diebus, Missæ Sacrificium celebrent ac divinis intersint; studentque ut omnia in earum Ecclesiis recte atque ea, qua decet, majestatem ac pietatem peragantur.

In Ecclesiasticis autem bonis distribuendis, quicumque bene præesse voluerint episcopi, atque alii Ecclesiæ prælati, qui communes omnium, præsertim subditorum, parentes existimantur; illam potissimum rationem servent, quam sacri Canones statuerunt: miserabiles vero suarum civitatum ac diœcesium personas præcipue respiciant, atque in necessitatibus protegant, earumque egestati paterna charitate succurrere non differant, ac ullo modo prætermittant.

De episcoporum residentia.

Animadvertant in primis episcopi, sibi minime licere a propriis Ecclesiis abesse, nisi ex causis a sacro Concilio Tridentino comprobatis: quo, præter mortalis peccati reatum, alias quoque penas ab eadem Synodo in absentes statutas evitent: sciantque de commissis hoc in genere, sese in provinciali Synodo rationem reddituros: libenti itaque ac hilari animo episcopi, ex proprio munere et conscientia in Ecclesiis eorum vel diœcesibus resident; ne si desertas oves, pastore nesciente, lupus comedat, id sibi culpæ ac vitio dari possit.

Ne sit autem otiosa pastorum residentia, pontificalia munia per seipsos episcopi obeant, nisi legitimo impedimento detineantur: promovendorum ad Ordines, ac si fieri potest, de Beneficiis etiam providendorum examini ipsimet præsent, subditorum pacem inquirent et prosequantur. Loca pia quæcumque, ac præsertim clericorum seminaria, et monialium monasteria recte curari studeant, atque alia omnia quæ pastoralis sunt muneris in Domino exequantur, quo frugifera sit ac populo salutaris prælati cujusque residentia.

De visitatione.

Diœceses suas episcopi atque alii locorum ordinarii singulis annis visitare, si per earum amplitudinem liceat, alioquin infra biennium, ex sacri Tridentini Concilii præcepto non prætermittant. Scopus autem in visitando præcipuus is sit: religio et pietas, vitiorum expulsio, lapsorumque morum et Ecclesiasticæ disciplinæ reparatio. Quos autem visitant, inutili sumptu non gravent, exquisitiores epulas devitent, ne visitatis clericis plus æquo sint oneri, quosque modum excedere comperint, arguant

atque comescant. Quanto vero citius fieri poterit, Ecclesiæ cujusque visitationem, commode tamen, absolvi decernimus; plurimum confidentes episcopos ipsos in comitatu atque aliis ad visitationem pertinentibus, pro eorum prudentia, ea moderatione usuros, ut merito reprehendi non possint, nec alicui conquerendi occasio præbeat.

Visitantes autem suas diœceses episcopi prospiciant, qua ratione pauperum Ecclesiarum rectoribus et presbyteris consuli possit; ne dum suo recte funguntur munere, egestate laborent: quod si nulla ratio iniri possit, qua curatorum miseria sublevetur, Summum Pontificem ea de re consulant.

Ubi quædam vero urbanæ alicujus parochiæ fines, extra locorum mœnia proleudi contingat, curent episcopi, ne parochia intra urbem vel oppidum pernoscant, quæ foris sunt animæ periclitentur. Idcirco provideant, ut vel alicui viciniore parochiali Ecclesiæ forensi, familiæ extra mœnia constitutæ aggregentur; vel Ecclesia de novo in suburbiis, ubi id per rectoris et forensium parochianorum facultates liceat, erigatur; vel alia aliqua ratione, præsentis decreti auctoritate huic malo episcopi ipsi succurrant, prout magis expedire videbitur.

Diligenter quoque visitando pendant episcopi, ut ubi parochiæ sunt ampliores, seque nimis late diffundentes, populorum comoditati ac saluti, aliqua ratione provideant: vel novas erigendo parochias, ex ejusdem Concilii Decreto, si fieri potest, vel alteri proximiori Ecclesiæ, quod longius abest, aggregando, vel commendando, prout satius fore judicaverit.

Ubi vero numerosus populus existat, quamvis latinus non diffundatur, ut sacerdos unicus minime sufficiat; vel alia parochiæ episcoporum judicio constituantur, vel tot sibi sacerdotes adjungere, juxta ejusdem Decreti formam, rector ipse cogatur, quot sufficere possint, ejusdem rectoris impensa alendis, ubi Ecclesiæ facultates et emolumenta pluribus suppetere valeant: alioquin, qua commodiore videbitur via, ab episcopis huic incommodo consulatur.

Provideant insuper episcopi visitantes, ne in sacramentis administrandis, ubi flumina transmare oportet, sacra præsertim Eucharistia fluminis periculo exponatur, quod valde abominabile videtur: ac propterea curent, vel parochianos trans fluvium existentes vicinis Ecclesiis adscribi aut commendari; vel saltem ex eadem Ecclesia sacramenta sumi, aut pontes, ubi fieri potest, constitui, vel oratorium trans amnem, aut etiam novam parochiam, erigi et ædificari, prout magis parochianis ipsis ac matri Ecclesiæ consultum fore videbitur: modo in deferendis sacramentis et sacrosancta præsertim Eucharistia periculum omne vitetur.

Cum autem potissima visitationis ac pasto-

ralis muneris ratio, in diœcesana Synodo celebranda consistere videatur: meminerint episcopi singulo quoque anno, ex sui officii debito, omni jure ad ipsam diœcesanam Synodum congregandam teneri, prout eandem nullo modo prætermitti mandamus; in qua præter ea, quæ de jure vel consuetudine fieri consueverunt, et examinerum electio vel confirmatio, judiciumque deputatio, et decretorum tum provincialium, tum Synodali receptio vel commemoratio fiet; necnon difficultates omnes, quæ inter visitandum acciderint, tractari, et definiiri poterunt, prout episcopo cuique magis oportere videbitur.

De beneficiorum collatione.

Collatores quoscumque, in Jesu Christi visceribus hortamur et enixe obsecramus, ut eos Ecclesiis rectores præficiant, qui vere suo muneri satisfacere possint, nec ambigendum sit, quin de Ecclesiis ipsis ac earum bonis et juribus bene sint promerituri. Ab indignis, atque iis præsertim, qui non religione et animi devotione ducti, sed suæ vel suorum commoditati potissimum consulentes, Ecclesiastica beneficia appetunt, omnino caveant; præcipue vero in parochialibus Ecclesiis merito conferendis, quam maxime invigilent, cum ex hoc ipso pendeat recta Ecclesiarum administratio, et animarum subjectarum salus, quæ cæteris omnibus est præferenda.

Quia vero exemplo constat, diutinam vacationem, Ecclesiis detrimentum afferre consuevisse, curata præsertim beneficia, ab his ad quos pertinet Tridentini Decreti ac sanctissimi Domini nostri Pii Quinti Bullæ servata forma, quamprimum conferantur; curentque episcopi, ut vacationis notitia, quanto citius fieri potest, habeatur, quo vacantes Ecclesiæ, infra præstitutum tempus, a suis collatoribus, juxta ejusdem Sanctissimi Domini nostri Bullam canonice conferri possint.

Illud autem summopere curent episcopi, ut in examinatores, ex præfati Concilii Decreto in unaquaque diœcesana synodo eligendos, ii proponantur et comprobentur, qui religione ac vite integritate cæteris præsent, et quod eorum electionis tempore jurant, fideliter exequantur; ita enim fiet, ut non nisi digni ad beneficia recipiantur et approbentur.

Animadvertant præterea episcopi, ne beneficia in eorum diœcesibus, vel alibi sita a subditis ita obtineantur, ut vel alter fructus vel emolumenta quæcumque absque Apostolica dispensatione percipiant; alter nudo nomine tantum, ad alterius commodum beneficium retineat, vel ad alterius nutum tacito vel expresso pacto eidem cedere teneatur: quæ simoniaca procul dubio existunt, tum ex sacris canonibus, tum ex fel. rec. Pii Quarti, ac etiam

Sanctissimi nostri Domini Pii Quinti Bulla.

Opportune insuper episcopi caveant, vel jurejurando, vel alia quapiam ratione, ne laici in beneficiorum quomodolibet ad se pertinentium collationibus, ab his ad quos spectat, faciendi, aliquid sibi dari paciscantur, aut ex hujusmodi causa consequi vel retinere quomodocumque præsumant sub excommunicationis poena, qua clericus quisque usurpationi alicui consentiens, ex ejusdem Concilii Tridentini decreto ipso facto innotabitur.

Nulli liceat in casibus a jure permissis, sese a vexatione redimere ab ordinarii licentia, qui re diligenter inspecta et cognita, quod juri et æquitati consentaneum videbitur, pro sua conscientia decernet et admittat.

Pro beneficiorum collationibus nihil penitus a collatoribus ipsis accipiatur; nec notarii ea ratione plus exigant, quam quod ipsis juste pro labore debeatur. Pro sigillo vero, non nisi quod in taxa desuper ab episcopis statuenda continebitur, persolvatur; quod episcopi ipsi diligenter curent; abusisque, si qui hac in re irrepsisse videantur, quamprimum tollere non prætermittant.

De beneficiis quomodolibet provisi, infra mensem a die adeptæ possessionis numerandum, ordinariis, in quorum diœcesibus beneficia ipsa consistant, eorumdem tam mobilitum quam immobilium rerum inventarium tradere ac præsentare teneantur, ut cum præcedentibus inventariis conferri possit, et si quid desit, episcopi restituendum curent, transgressoresque ipsos graviter ex arbitrio puniant.

In resignationibus admittendis, collationibusque ex causa resignationis de cætero faciendis diligenter attendant episcopi atque animadvertant, id sibi licere in casibus tantum a Sanctissimo Domino nostro Pio Quinto in ejus litteris expressis, non autem passim et indistincte: meminerintque ex earumdem litterarum dispositione, excommunicationem et suspensionem propterea contrahendam, Apostolicæ Sedi reservatam fore.

Quicumque de Ecclesiastico beneficio per inferiores ab episcopo provisos fuerit; is intra duos menses, ab ipso provisionis die computandos, patentes suæ collationis litteras, vel alterius cujuscumque provisionis testimonium præsentare debeat. Quod, si legitime præmonitus non satisfecerit, ejusdem beneficii de quo agetur, unius anni fructibus careat et nihilominus suæ provisionis titulum ostendere, propositis ex arbitrio pœnis, servato juris ordine, compellatur.

De judiciali foro episcopi.

Ecclesiastici judices quicumque, in administranda indifferenter omnibus justitia, maxime pauperibus ac miserabilibus personis, se

promptos et faciles præbeant, ut breviori qua fieri potest ratione, præcipue ubi summarie de jure procedere licet, causas expediant ac decendant, litigantiumque sumptibus, quoad ejus fieri poterit, parcere studeant; ac præsertim in causis alimentorum, mercedum, piorum locorum, atque hujusmodi, quæ moram non patiuntur, in casibus a jure permissis, absque judiciali protela, veritati et æquitati innitendo, ad expeditionem procedant.

Et autem omnis avaritiæ suspicio ab Ecclesiastico foro arceatur, prædecessorum nostrorum vestigiis inhaerendo, statuimus et ordinamus eujuscumque episcopalis curiæ notariis, cancellariis, carcerum custodibus, executoribus atque aliis hujusmodi ministris, in singulis ejusque operæ mercedibus, taxam legitimam et honestam per episcopos ipsos quamprimum præstitui, ubi hactenus præstituta non est: quam qui excesserint et officii privatione, inhabilitacione, et carceris maceratione, atque aliis, pro modo culpæ, severissime puniantur.

Ne autem indefensæ miserabilis personæ suo jure fraudenter, vel adversariorum potentia opprimantur, curent episcopi, personis hujusmodi, vel generales in suis diœcesibus procuratores, et advocatos constitui, vel quoties casus evenerit, illis per episcopos eorum vicarios, de opportuna defensione provideri: quam qui suscipere absque rationabili causa recusaverit, inhabilis ad Ecclesiastica negotia tractanda, ad episcopi beneplacitum censeatur.

Curent præterea episcopi, ut notarii quicumque, juxta sacri Tridentini Concilii decretum, examinentur; et quos minus idoneos invenerint, aut quomodocumque in officio deliquerint, eos ex ejusdem Concilii decreto, a spiritalium causarum usu arceant, studeantque Ecclesiastici fori notarios jurejurando, eorum admissionis tempore, compellere, ut causarum ad episcopalem curiam pertinentium acta et processus quicumque per eos exemplentur, atque omnium pro curia gestorum instrumenta, in authenticam formam redacta, in Archivio reponantur ac perpetuo conserventur. Insuper notarios ipsos modis omnibus episcopi cogant, ut infra terminum, ab eadem Tridentina Synodo statutum, in appellationum causis acta conscribant, et partibus ea petentibus exhibeant, modo et forma, ac sub pœnis in ipso decreto contentis.

Ne partes sumptibus inutiliter prægraventur, aut inhibitiones indebitas fieri contingat, in executionem sacri Concilii Tridentini decreti, de non recipiendis appellationibus, aut eorum commissionibus, vel inhibitionibus concedendis, nisi a definitiva sententia vel diffinitivæ vim habente, et cujus gravamen per diffinitivam reparari non possit; propterea decernimus ea

de re in primis a iudice ad quem breviori termino partibus præfixo, ubi probabiliter juxta communes juris regulas et doctrinas ea de causa dubitetur, esse discutiendum, an appellatio sit ejusmodi, quæ ex præfati Concilii decreto recipi vel rejici debeat: ne si quas minime deceat appellaciones iudex admiserit, vel admittendas rejecerit, justa conquerendi occasio alieni præbeat.

Carcerum episcopaliû custodiæ eos episcopi præficiant, qui diligentia ac pietate polleant, quive tam carceratorum commoditati, quam curiæ securitati consulant: meminerintque ordinarii omnes, quam sæpissime carceres, non solum episcopales, sed etiam, si fieri potest, sæcularium iudicum, quantum ad religionem, atque ad eorum qui carcere detinentur vitæ necessaria pertinet, per se, vel alium, ipsis impeditis, visitare, curentque ut opportunis temporibus carceratis ipsis Ecclesiastica sacramenta administrantur. In quo quidem charitatis opere plurimum confidimus et exoptamus, auxilium et favorem omnem, a sæcularibus potestatibus et magistratibus episcopis impariendum: velut eosdem in Domino monemus et exhortamur.

De archivio.

Instrumentorum atque aliarum scripturarum quarumcumque, de rebus ad cathedrales Ecclesias seu collegiatus insignes, earumque diœcesium pertinentibus perpetuitati prospicere cupientes: mandamus, in unaquaque cathedrali vel collegiata insigni, ubi hactenus non extant, archivia institui, vel episcopo et capitulo communia, vel separata, prout magis expedire videbitur, ut episcopi ipsi cum eorum capitalis convenierint. Quæ vero jam pridem sunt instituta, ea recte curare episcopi studeant, omnemque diligentiam adhibeant, et instrumenta quæcumque, atque aliæ scripturæ omnes in eis contentæ ita conserventur, ut eas nequeat vel temeraria manus attingere, vel ullo pacto violare.

Ut vero facilis Ecclesiæ ejusque jura ac monumenta quæcumque, ob temporum injuriam et hominum incuriam deperdita aut usurpata reperiri possint, canonica monitione præmissa, excommunicationis subjeantur, quicumque ea detinentes vel usurpantes non revelaverint, donec satisfecerint, scripturasque ac instrumenta ipsa, quæ ab aliquo detineri sciunt, omnino prodiderint. Qui vero ea detinent vel usurpant, ab episcopis certiores fieri debent, eos sacri Concilii Tridentini decreto, uti Ecclesiasticorum jurium usurpatores, excommunicationis sententiam incurrisse.

Unicuique autem archivio custos ab episcopo, pro suo et Ecclesiæ jure deputetur, fide integra ac spectata, qui diligentissime cuncta

conservet et administret, decreti clausula adhibita : quod a capitulo quoque fieri debeat, ubi archivia sunt distincta, custodi ipsi cuicunque per inventarium tradendo, quæ postmodum in sui officii fine ex eodem inventario restituantur.

Nullo modo liceat archivii ejusque custodi alieni, etiam ipsius episcopi vel capituli procuratori, ex archivio ipso archetypa sive originales scripturas, tradere, etiam data fide aut pignore deposito. Si quis autem contra fecerit, ab ordinariis graviter ex arbitrio mulctetur.

Ne vero, episcopali sede vacante, publicum aliquod documentum ad episcopalis mensæ jurisdictionem vel proventus pertinens intercipiatur, præsertim, ubi episcopi archivium a capitulari sit distinctum : statuimus, ut cum primum prælatus decesserit, ipsius archivii claves, fide publica, a custode, vel alio illius præfecto œconomio, et capituli vicario tradantur; et si illarum traditio differatur, etiam exigantur, et penes eosdem fideliter conserventur: quæ quidem postea, in eorum fidei ac diligentie testimonium, futuro pastori consignentur.

De seminario.

Episcopi, qui nondum pauperum collegia clericorum pro seminario erexerunt, juxta sacri Concilii Tridentini præceptum, infra annum, a præsentis Synodi fine computandum, inchoata perficiant, et nondum cœpta mature instituunt, ex præscripta ab eodem Concilio formula. Ea autem taxandi compendive, pro seminariis instituendis et conservandis ratio servetur, quam Sanctissimus Dominus noster Pius Quintus decrevit.

Episcopi seminaria quæcumque in suis diœcesibus erecta persæpe visitent, et a deputatis visitari curent, bene prospicientes, an omnia recte se habeant, et quos virtuti et religioni minime deditis, vel ad malos mores propensos esse perspexerint, post trinam admonitionem, ex ejusdem Concilii decreto, e contubernio ejiciant.

In eo autem potissimum omnem curam et exactissimam diligentiam impendendam esse decernimus, ut magistri pueris hujusmodi numero, ætate et moribus tot atque ejusmodi eligantur; ut præter bonarum artium, et Ecclesiasticarum rerum disciplinam, quam percipere possint, bonis etiam moribus in primis imbuti, veræ pietatis alumni efficiantur.

In seminario vero admissi pueri, in habitu et tonsura clericali semper incedant. Festis diebus in cathedrali Ecclesia solemnibus intersint, nec alio unquam, nisi vultus atque relaxandi animi causa, olio fruantur. In eodem cubiculo, si commode fieri potest, omnes decumbant : libros autem sacros et bonos mores edocentes, et maxime Catechismus Sanctissimi Domini nostri Pii Quinti jussu nuper editum,

assidue præ manibus habeant, quos eis interpretandos episcopi curent. Cibis absque benedictione gratiarumque actione ab illis non sumatur; inter refectionem spiritualis lectio nunquam desit.

Collegii constitutiones singulo quoque mense pueri perlegant, præsertim, quæ ad religionem ac vitæ honestatem pertinent, easque ad unguem observent, atque omnem præceptoribus obedientiam ab eisdem præstari episcopi curent, præcipue vero ei qui moribus præest, quocumque religiosissime et conjunctissime vivant.

Discedendi autem a collegio facultas nemini detur, absque superioris licentia. In casibus vero ab episcopis statuendis exeuntes, non nisi bini, atque ea qua decet religiosos adulescentes modestia et gravitate, progrediantur.

Duodecim annis minores in collegium non assumantur, ac diligenter episcopi curent, ut et ingenio et animo ad religionem propensi sint, atque his omnibus qualitatibus præditi, quæ in illis ex sacri Tridentini Concilii decreto requiruntur.

Pueri vero ditiores, qui in hujusmodi collegia, ex facultate sibi ab eodem Concilio attributa, assumi voluerint juxta eum numerum, qui rationabilis episcopo, pro loci qualitate et collegii captu, videatur; ejusdem ætatis, habitus, professionis et animi esse debeant, eisdemque legibus, et clausuræ, et morum disciplinæ vivere, prout ordinarii ejusdem collegii pueri : tantumque proprii æris conferre debent, quantum ad seipsos atendos, et ad alia onera proportionabiliter perferenda, ex ejusdem Concilii decreto sufficiat.

De vicariis foraneis.

Foraneos vicarios, quam maxime necessarios fore prospicientes, statuimus, ut in singulis suarum diœcesum regionibus, ubi non adsunt, de cætero per episcopos constituantur; quicumque magis idonei videbuntur : et ut sua dignitas unicuique servetur, in regione qualibet digniores eligantur, ut archipresbyteri, vel præpositi rurales, si sunt idonei; alioquin ex inferiorum numero, magis probatos episcopi deligent.

Ii vero vicarii diligenter invigilent, et scire contendant, an in parochiis sibi commissis omnia recte agantur; num curati omnes resideant, et eorum munus exequantur, absentes deferant, et episcopo indicent. Quos vero in aliquo delinquere perspexerint, primum fraternaliter admoncant, deinde, si opus fuerit, per litteras, vel alio quovis modo, prout res ipsa postulerit, superioribus denuntient: præcipue autem inquirant, an a parochiis erga miserabiles suæ curæ personas, debitum persolvatur

officium; provideantque ne quis ob vitæ incommoda decedere cogatur.

Et autem debitus vicariis ipsis honor et obedientia tribuatur, decernimus et mandamus, ut in his quæ ad eorum officium pertinent subjecti eis clerici atque presbyteri pareant; inobedientes vero, episcoporum arbitrio puniendos deferant: quod si in aliquo ipsi quoque forte deliquerint, ab ordinariis ipsis puniri, vel etiam ab officio amoveri debebunt.

Semel saltem in mense vicarii foranei quique, ubi commode fieri poterit, ex sui officii debito, suæ regionis clerum convocent, qui ubi conventus, ut vocant, alternatim haberi consueverit, eo expleto, atque omnibus, qui ad eandem rem pertinent, religiose peractis, querelas audiant et componant: clericos admoncant, et si qua sint decernenda vel consulenda proponant ac decernant. Ubi vero conventus huiusmodi non sunt in usu, in unaquaque parochiali suæ regionis Ecclesia congregatio quævis haberi contigerit. Curent autem episcopi, ne excessus aliquis in huiusmodi congregationibus accidat, et si qui abusus in eisdem irrepisissent videantur, eos episcopi ipsi tolli et aboleri curent.

*De examine promovendorum ad parochiales
Ecclesias.*

Parochiali Ecclesia vacante, episcopi habita vacationis notitia, si opus fuerit, idoneum in ea vacarium, cum congrua, ipsius episcopi arbitrio, portionis fructuum assignatione constituent, qui ipsius Ecclesie onera sustineat, donec ei de rectore provideatur, juxta sacri Tridentini Concilii decretum, ac Sanctissimi Domini nostri Pii Quinti Bullam.

Tum per episcopum proponatur edictum ad valvas Cathedralis, et ipsius vacantis Ecclesie, atque aliis opportunis locis, episcopi ipsius arbitrato, quo celerius et vacationis et termini per edictum ad examinandum præfixi notitia haberi possit: qui quidem terminus decem dierum ab eodem Concilio Tridentino statutus, ultra alios decem dies minime prorogetur, ex ejusdem Bullæ prohibitione.

Edicti vero termino durante, episcopus, et qui juspatronatus in vacanti Ecclesia oblinet, clericos aliquos ad regendam Ecclesiam idoneos, examinatoribus juxta ejusdem decreti formam deputatis, nominet, et non nisi ab eisdem examinadoribus per aliorum qui examinati fuerint concursum, tanquam magis idoneo ab episcopo judicato et electo de Ecclesia provideatur, infra terminum, ac sub pœnis in eadem Bulla contentis.

Interrogabuntur autem in primis quicumque examinandi fuerint per diligentem synodaliū examinatorum inquisitionem, de ætate et ordine in quibus sint constituti; qua de re fa-

cile ex eorum promotionis testimonio, ac Baptistini Codice, aut etiam ex aspectu, aut fide dignorum relato, quod ad ætatem pertinet constare poterit.

Tum de promovendi vita et moribus percuñctando, juxta ea quæ supra circa assumendorum ad cathedrales Ecclesias examen, portione servata, statuta sunt, ita inquiretur pro examinatorum prudentia; ut quales sint illius mores, ac vitæ honestas, et integritas facile dignosci possit.

Illud vero generalim super inquirenda scientia promovendorum ad Ecclesias parochiales proponendum censuimus, ut examinadores primum sese de providendi captu ac intelligentia diligenter informant, quod ex responsionibus et interrogationibus eorum, quæ illis legenda proposuerint, liquide patebit: tum studeant etiam nosse, qualis sit examinandi in sacramentorum administratione exercitatio: an eorum vim et virtutem ita calleat, ut vitæ monita ab eo expectari possint, et ad populum ea docendum, quæ scire omnibus ad salutem necessarium est, idoneus comprobetur; atque, si ita videbitur expedire, difficultas aliqua proponetur, vel circa Confessiones audiendas, vel quoad cæterorum sacramentorum peritiam, ex quo facilius illius habitus colligi, et in regenda Ecclesia idoneus deprehendi possit.

Peracto autem examine studeant episcopi, ut non solum dignis, sed magis idoneis repertis, juxta ejusdem Concilii decretum parochiales Ecclesie conferantur, ne si minus habilem, posthabitis magis idoneis præelegerint, appellandi occasio præbeat, ex ejusdem Ecclesie dispositione; si vero duos aliquando, vel plures, quod ad litterarum scientiam pertinet, æque idoneos concurrere contigerit, inspicendum erit, an ætas gravior, aut morum, et vitæ integritas in alio præponderet, quisve eorum, ad Ecclesie vacantis regimen, loci ac personarum qualitate pensata, utilior videatur: cæteris autem paribus et nullo concurrente, quod prægravet, is qui ex eadem diocesi, multo magis, qui etiam e vacantis Ecclesie regione fuerit, extraneo præferri poterit; alioquin episcopus, quem existimabit potiorē deliget: delecto eodem in presentatis, vel nominatis ab his ad quos pertinet, si plures fuerint, habendo.

De parochis et eorum officio.

Clerici omnes curam animarum habentes, gregem sibi creditum ex eorum officio, et sacri Concilii Tridentini præcepto, festis præsertim diebus, salutaribus verbis pascant, et erudiant, vel memoriter per seipsum, si ingenium suppetat, vel ex scripto, vel Homiliario aliquo, a superioribus approbato. Diebus itidem Quadra-

gesimæ, vel ab episcopo præscriptis, vel usu comprobatis, per se, vel alios idoneos, et approbatos viros verbum Dei enuntiant.

Parochi præterea, ex ejusdem Concilii decreto, singulis Dominicis atque aliis Festis diebus suæ parochiæ pueris fidei rudimenta tradant et edoceant. Deo primum ac parentibus obedire, tum quæcumque Christianum hominem decent, ex institutione aliqua eis ab episcopo proposita, pena negligentibus eorum arbitrio imponenda.

Abusus insuper omnes circa divina, parochi populo frequenter improbet et constanti animo refellant: curentque, ut divinis nihil profanum misceatur, sed ut pie ac devote et frequenter illis parochiani omnes intersint, moneant, atque ut Ecclesiæ sacramenta frequenter, quo uberores fructus ex illis consequantur. Casus, in quibus excommunicationis pœna infligitur, ad subditorum memoriam sæpe revocant, ut ab his cavere possint, et alia quæcumque a Christiano homine vitanda vel observanda sint, optime docere non prætermittant.

Parochi una tantum parochiali Ecclesiæ sint contenti, eamque omni jure uti unicam sponsam unice diligant. Quicumque vero duas eodem tempore parochiales Ecclesias obtinere præsumserit, utraque atque aliis quoque beneficiis, ex ejusdem Concilii decreto omnino carebit: quod si ab aliquo duo hactenus, vel plura quoquomodo incompatibilia obtenta sint beneficia, et adhuc obdurato animo obtineantur, ea omnia jam pridem vacasse intelligantur, ac veluti vacantia, quamprimum ab his ad quos attinet, conferantur. Fructus autem interea perceptos, omnes restitui, ac partim vacanlibus Ecclesiis, partim piis locis, ordinarii arbitrio, distribui mandamus. Quod si incompatibilia ipsa in diversis diœcesibus sint constituta: uterque episcopus, et hi ad quos pertinent, quamprimum ea de re certiores redditi, suo jure conferent.

Pro piis locis civitatum et diœcesum quarumcumque elemosynas procurantes; a parochis, absque speciali prælatorum licentia, non admittantur.

Indulgentiæ item nullæ, absque ordinarii licentia, in scriptis obtinenda, servatis tamen conditionibus, quas ordinarius ipse in ea concedenda præscripserit, publicentur. Quando cumque vero a parochiis indulgentiæ aliqua superioris decreto sunt promulgandæ; earum salutarem effectum fideliter explicant. quo majorem populi devotione recipiantur. Si qui vero abusus de cætero circa eas emerserit, episcopos commoneant, qui eos quamprimum tolli curabunt.

In sacramentis autem administrandis, animisque curandis, quod præcipuum est paro-

chorum munus, quam maxime invigilent, atque summopere curent, ne eorum culpa absque sacramentis aliquem e vita migrare contingat; alioquin suspensione ab officio et beneficio, atque aliis, pro modo culpæ, gravissime corripiantur.

De residentia inferiorum.

Parochialium Ecclesiarum rectores, assidue in suis Ecclesiis residentant, suoque gregi pro officio diligenter attendant, sub pœnis in utroque Tridentini Concilii decreto contentis, et in Apostolicis litteris, quæ dudum contra non residentes editæ sunt, expressis: meminerintque sibi nullo pacto licere a propriis Ecclesiis abesse, absque rationabili causa, ab episcopis scripto comprobanda, cum absentia tempore fructus suos nullo modo faciant, ac propterea ad eorum restitutionem omnino teneantur, præter mortale peccatum quod non residendo contrahunt.

Residere autem in suis Ecclesiis intelligantur, qui in domibus Ecclesiæ coherentibus habitant, vel saltem, ubi Ecclesiæ proprias aedes non habet, ubi parochiæ limites unde commode injuncto sibi oneri satisfacere possint; vel etiam prope parochiam, in loco ad curæ exercitium accommodato, episcopi judicio, loci vicinitate et gregis commoditate pensata, quod ordinarii ipsius conscientiæ dijudicandum relinquunt; alioquin pro absentibus habeantur.

Hi quoque qui rejecla in vicarium cura, otio indulgent, et alieni laboris spectatores magis quam Ecclesiæ suæ rectores existunt, cum per seipsos animarum curam administrare possint, ab episcopis redarguantur, et per seipsos curam exercere cogantur; missas celebrando, atque alia peragendo, quæ suo muneri conveniunt.

Si quis, ex repentina causa, absque licentia a propria Ecclesia recesserit, is absentia suæ causam statim superiori per se vel per alium insinuet; quæ si ab eo comprobetur, ac si ab initio approbata fuisset habeatur; alias pro absente reputabitur; et pœnas non residentium perferet.

Quicumque ab Ecclesiâ, discedendi facultate etiam obtenta, aliquandiu abfuerit, infra mensem de suo ad Ecclesiam reditu ordinarium commoneat, alioquin dies mediæ illegitimæ quoque absentia adscribantur.

Non residentium autem per diœceses nomina et cognomina, ubi vicarii foranei desunt, a plebanis, et illis absentibus vel negligentibus, a proximioribus Ecclesiæ derelictæ curatis, quamprimum ad episcopos deferantur, sub eorum arbitrii pœna.

Ubi parochiales Ecclesiæ adeo tenues existunt, ut aedes pro parochi residentia nec instaurari nec de novo constitui possint: si aliter

provideri nequeat, vel ex parochiarum contributione aliqua, vel etiam ex portione de fructibus piorum locorum in parochia, vel prope eam existentium (de consensu tamen eorum qui illis præstant) deducenda erunt. Si quid superest, inuncto onere persoluto, instaurantur vel ædificentur, seu alia quapiam ratione, quæ magis ab episcopo probetur, modo rector resideat.

Si vero Ecclesiæ aliquæ a communi hominum commercio adeo distent, et in recessu aliquo ita sint constitutæ, ut a grassantibus assidue vexentur ac diripiantur, et propterea parochi inibi residere pertimescant; magistratus atque alios locorum rectores contra hujusmodi faciuros homines insurgere monemus et obtestamur, quo tutæ sint parochiæ, nec divinus cultus in illis prætermittatur.

Quicumque præterea Ecclesiastica quælibet alia beneficia obtinent, de jure vel consuetudine personale residentiam requirunt, nisi moniti paruerint, ab episcopis, pœnis ex præfati Concilii decretis et Apostolicis litteris contra non residentes statutis, usque ad privationem inclusive, contumacia crescente, servato juris ordine puniantur.

De sacramentorum administratione.

In sacramentis administrandis parochos primum ex sacri Concilii Tridentini decreto curare oportet, ut cujusque sacramenti vim atque efficaciam, vulgari idiomate populo clarissime demonstrent; quo majore animi devotione ac reverentia ad ea recipienda præparetur.

Cum autem sancta Romana Ecclesiæ, aliarum mater et magistra, merito sit amplectenda, et in suis ritibus imitanda; statuimus et ordinamus, ut in Exorcismis et Catechismis baptismalibus, atque in aliorum omnium sacramentorum administratione et cæteris quibuscumque ad divina pertinentibus, ipsius Romanæ Ecclesiæ ritus, cæremoniæ et consuetudines observentur: quod, propositis etiam ex arbitrio pœnis, episcopi curent.

Sacramenta insuper quæcumque, ne ad alium usum, quam ad eum, cujus causa a Domino sunt instituta, ab aliquo convertantur vel alicui concedantur, episcopi parochos admovent. Quisquis autem, vel eis abusus fuerit, vel alicui eadem abutenda tradiderit, ex arbitrio severissime puniatur.

Sacra olea, anno quolibet ab episcopis consecranda, statuto tempore plebani per dioceses constituti ab eorum matrice Ecclesia recipiant, et Ecclesiis sibi commissis primo quoque tempore distribuant: nisi aliud, pro locorum distantia, vel Ecclesiæ qualitate episcopis ex causa videatur; quæcumque consuetudine non obstante.

Pro novis autem sacramentis accipiendis

vel deferendis, non nisi clericos in sacris constitutos, nisi aliud rei necessitas suadeat, destinandos esse decernimus.

Caveant autem Cathedralium Ecclesiarum ministri plebani, atque alii omnes, ad quorum sacrorum Oleorum distributio spectat, ne quid pro illorum perceptione, vel sponte datum accipiant, quæcumque consuetudine, etiam immemorabili non obstante, sub suspensionis pœna.

Locorum, ubi sacramenta reconduntur, claves diligentissime, ac in tuto loco, per parochos asserventur, neque sub alterius custodia, quam parochi, vel ejus, cui vices suas mandaverit, ex aliqua rationabili causa, teneantur; quæ sane claves ejusmodi sint, ne facile aliqua ex parte vitari possint. Si quis autem hæc in re deliquerit negligendo, severiori pœnæ ab ordinario subiciatur.

Ejusdem diocesis parochiæ, quæ ob incertos fines confusæ sunt, vel in familias, non autem in loca distincta, ut altercandi tollatur occasio, eas episcopi quamprimum certis limitibus disterminent; et quas invicem implicatas compererint, explicent, atque ita distribuunt, ut quilibet curatus, quod ad suum officium pertinet, agnoscat, ne in sacramentis administrandis aliqua hæsitatio contingat.

De Baptismo.

Sacerdos Baptismi sacramentum administraturus, ad tanti muneris functionem sancte graviterque accedat; animadvertendo primum, quidnam per eum fiat, idque compates et commates pie ac religiose doceat, eosque clarissimis verbis admovent, quænam cognatio per Baptismi sacramentum contrahatur, necnon teneri eos, quos e sacro fonte susceperint, si parentes præsertim id prætermiserint, Catholica fide et Christianis moribus instituere.

Curent autem episcopi sacri Baptismatis fontes in suis diocesis, interius et exterius, nitore ac munditia insigni ornatos, rebusque omnibus, quanto magis fieri potest, decenter instructos esse. Sacra vero olea ad Baptismi usum ita parata habeantur, ut et vasculum sit commune, ex decenti materia stanni vel argenti conflatum; et nihilominus alterum ab altero sacro oleo perspicuis litteris, et lamina interposita clarissime distinguatur.

Omnino præterea prohibemus, ne quo tempore sacrum Baptisma celebratur, baptismatis aqua, vel sacrum aliquod oleum a laicis personis quoquomodo tangatur; neve lintea quibus abtersum fuerit infantis caput, alicui lavanda tradantur, aut aliqua hujusmodi fiant, ut inde spiritualis cognatio contrahatur; improbantur propterea abusum illum, transmittendi chirothecas, sive etiam Aquam benedictam compaternitatis contrahendæ gratia, quo-

cumque usu etiam immemorabili non obstante, declarantesque nulla alia ratione spirituales cognationem contrahi, quam apud sacros Canones habeatur, nec inter alias personas, quam sacri Tridentini Concilii decreto comprehensas.

Baptizandis vero, non gentilibus, sed Sanctorum nomina imponi episcopi curent, ne in ipso Christianæ religionis limine cum Ethnicis participare fideles quodammodo videantur; atque ut eorum virtutes imitari studeant, quorum sese patrocinio nominis similitudine committunt.

Provideant quoque episcopi opportune, ne dum Baptismi sacramentum administratur, risus, clamores, atque alia id genus in Ecclesia, vel extra, ea de causa fiant, sed quod astantes devote, et cum silentio atque orantes intersint. Abusus vero quicumque si circa huiusmodi sacramentum forsitan irrepserint, præsentis decreti auctoritate quamprimum tolli curent.

Infantes ad Ecclesiam, legitimo impedimento cessante, ut primum per eorum valetudinem, ac temporum et locorum conditionem liceat, ad minus autem infra octo dies a natalitate numerandos, ad Baptismum suscipiendum deferantur.

Sacerdos vero, qui extra Ecclesiam, necessitate aliqua non imminente, sed vel parentum nobilitatis intuitu, vel aliqua alia ratione, sacrosanctum Baptisma celebraverit; tamdiu suspensus maneat, quamdiu episcopo videatur, et jus arbitrato satisfecerit.

De Confirmatione.

Quod ad Confirmationis sacramentum attinet, episcopi per se vel alium, antequam illud conferant, ipsius virtutem perspicue edoceant ac distincte declarent, ex hoc ipso matrimonia prohiberi inter confirmatos eorumque parentes, ac susceptores ipsos, juxta sacri Tridentini Concilii decretum, non secus atque ex Baptismi sacramento; cognationemque huiusmodi non minoris esse faciendam, nec temere contrahendam ob animarum periculum, quod evidenter imminet, si cognatio ista negligatur.

Ne vero populus ad Confirmationis ipsius sacramentum imparatus accedat, tempus quo sanctum Chrisma ministrandum fuerit, episcopi prænuntiari faciant; populosque moneri, ut adulti, non nisi confessi, vel saltem contriti ad Confirmationem ipsam devotissime suscipiendam se conferant.

Infantes septennio minores non confirmentur atque illi tantummodo adulti vel parvuli inungantur, quos non antea fuisse confirmatos ignoratur, ne Sacramentum huiusmodi reiterari contingat, quod episcopi populos cavere omnino studeant.

Curent præterea episcopi, ut parochi parvulorum confirmatorum parentes admonent.

eos, postquam adoleverint, ea de re certiores facere; ne parentibus postea defunctis, an Confirmationis sacramentum susceperint dubitari contingat; et, si fieri poterit, confirmatorum nomina annotentur, et in peculiari libro conscribantur.

Confirmatorum frontes, antequam ab episcopo recedant, ob sacramenti reverentiam, recte vel bombice vel panno lineo abstergantur; curentque episcopi ipsi, ne sacramentum huiusmodi minus honorifice tractetur, ac propterea pueros a seipsis, minus quam decet, abstergos, nullo pacto dimittant, abusosque, si quos forsitan in hujus quoque sacramenti administratione perpexerint, prorsus tollant.

De sanctissima Eucharistia.

Sacrosanctum Eucharistiae sacramentum in cathedralibus, collegiatis et parochialibus Ecclesiis quibuscumque, ubi commode fieri potest, decentissime collocetur; nihilque quod ad illius ornatum et tutam conservationem pertineat, prætermittatur: quod quamprimum, et quanto honorificentius fieri poterit, in eorum Ecclesiis et parochiis episcopos curaturos esse confidimus.

Episcopi præterea efficiant, ut in quibusvis parochialibus Ecclesiis, ubi non fuerit Societas Corporis Domini nostri Jesu Christi, quamprimum instituat: ubi societates huiusmodi hactenus vigent, eas visitent, reforment, amplificent, et in officio contineant, nihil penitus omittentes, quod ad tanti sacramenti celebritatem, et ipsarum Societatum instituta retinenda et moderanda facere videatur.

Ad agrotos, sacram Eucharistiam præsertim per urbes et oppida sacerdotes allaturi, non nisi decenter ornati prodeant, nec sine umbella, ac honesto fidelium lumina deferentium comitatu. Ut vero populus eo frequentior accedat, crebris per concionem admonitionibus, indulgentiarumque elargitionibus eum excitari episcopi vehementer studeant; cum ex hoc ipso populi devotio ac religio maxime cognoscatur.

Sanctum Eucharistiae sacramentum, ubi id Ecclesiæ qualitas et amplitudo patitur, masculis separatim a feminis administratur; adolescentes vero ad huiusmodi sacramenti usum non admittantur absque diligenti parochorum inquisitione, atque discretionem sint præditi, quæ in tanti sacramenti perceptione requiruntur.

Ne vero sacrosanctam Eucharistiam sumentes, præsertim rudes et imbecilli, sub utraque specie fortasse communicare arbitrentur; statuimus communicantes omnes in vase aliquo, quod non habeat calicis formam esse purificandos.

Non communicatorum in Paschate notulam quamprimum a parochis sibi præferri singulis annis episcopi jubeant, qui postquam

vere contumaces ter a die sancto Paschæ usque ad Pentecostem ejusque anni generatim admoniti publice fuerint; eorum nomina primum in cathedralium Ecclesiarum valvis affixa, tum in propriis parochiis denuntiari episcopi ipsi curent; ac deinceps ab Ecclesiæ ingressu, ut præsentî decreto mandamus, inobedientes hujusmodi omnino arceantur; sub pœnis episcoporum arbitrio contra eos statuendis: quos si interea decedere contigerit, juxta Lateranensis Concilii decretum in Ecclesiis, vel earum cæmeteriis sepeliri prohibemus.

Qui vero diuturna animi obstinatione, episcopi judicio discernenda, inimicitias depone non uerint, ac propterea non communicent, ab Ecclesiæ aditu ac fidelium etiam cœtu, si videbitur, excommunicatione repellantur.

De Pœnitentiâ.

Confessionibus audiendis, diligenti inquisitione prævia, eos præficere episcopi quammaxime studeant, qui recte peccata distinguere et curare, atque oleum et vinum vulneratis conscientiis superinfundere probe calleant: cum ex hoc ipso sacramento, peccatorum conversio, et corruptæ ejusque vite reformatio potissimum pendeat.

Confessiones publice ac in aperto Ecclesiæ loco, non autem in cubiculis etiam Ecclesiæ coherentibus audiantur; quod ut commodius ac decentius effici possit, mandamus in singulis cathedralibus ac parochialibus Ecclesiis, confessionales sedes erigi atque institui, ita ut tabulæ interpositione, cratæ ferrea, vel lignea, aut perforata lamina adjecta, confessores a pœnitentibus separentur, ac distinguantur: extra quas quidem sedes confessoribus quibusque inhihemus, ne confessiones ullas, præsertim mulierum, cujuscumque ætatis vel qualitatis, audiant; nisi rei necessitas aliud postulet, sub pœna episcopi arbitrio imponenda.

Hæc autem a confessoribus vitentur, ne confitentis otiosis interrogationibus aut inutilibus detineant; idque præcipue caveant, ne pueri et puellæ, cæterique rudes, de eo quod ignorant imprudenter interrogati instruantur. Mulieres ante ætatis ortum, vel post occasum, nisi aliud rei necessitas suadeat, ad confessiones non recipiantur. Concubinarij autem, contractus illicitos ineuntes, unde solvant habentes, sub spæ futuræ satisfactionis, ultra primam vicem, nisi satisfactione ipsa præcedente, non absolvantur. In casibus Apostolicæ Sedi vel episcopo reservatis, quos præ oculis semper habeant, confessores ipsi non se immisceant: pœnitentiis pecuniarias non infligant, eas sibi ipsis vel eorum Ecclesiis applicando, sed piis tantum operibus vel locis, nec etiam hujusmodi distributiones sibi committi procurent, verbo aut signo. Confessiones non prodant vel

revelent; pœnitentiis graviôres, et quas verisimile est non esse implendas, evitent; gravissimis tamen delictis non leves imponant. In prædictis autem atque aliis similibus, si confessores deliquerint, illos episcopi, ex arbitrio et conscientia severissime compescant.

Artis Medicæ professores, ægros quos curant, primum omni charitate admoceant, ut divinam prius quam humanam medicinam, Ecclesiastica videlicet Sacramenta, percipiant; quod si facere infirmi ipsi prætermittant, ab eorum curatione medici deficiant. Medicos autem ipsos, qui vel negligenter, vel remissius, quam debent, in hoc se gesserint, canonicis pœnis, atque in Sanctissimi Domini nostri Pii Quinti Bulla contentis, affici mandamus, eurentque episcopi, ut hujusmodi Bulla, ad medicorum memoriam, ob eorum et proximorum animarum salutem sæpius revocetur.

In cathedralibus Ecclesiis, ubi episcoporum judicio fieri poterit, Tridentini Concilii decretum, quoad pœnitentiarij deputationem et præbendæ assignationem observari mandamus; aut aliter provideri, ut in Ecclesiis prædictis officium hujusmodi minime desit. Illic autem pœnitentiario, episcopi ampliorem in casibus sibi reservatis absolventi facultatem concedere poterunt; curabuntque, ut omnia juxta facultatem sibi in eodem decreto concessam, ex sui officii debito diligentissime exequatur.

Quia vero sæpe contingit confessores, ob Bullæ, quæ in singulis annis die Cænæ Domini legi consuevit, ignorationem, a casibus Sanctissimi Domini nostri reservatis frustra et inutiliter absolvere curent; idcirco episcopi, juxta Apostolici mandati formam, præfatam Bullam, semel saltem in anno ad Christi fidelium notitiam deduci ac solemniter publicari, dum major in Ecclesiâ populi multitudo convenerit; atque ita distincte et aperte declarari, ut casus in ea expressi omnibus innotescant; idemque per eorum diœceses fieri mandent, eadem Bulla ad faciliorem et populi et cleri intelligentiam per capita comprehensa, et in Summarium redacta.

De Extrema Unctione.

Ut sanctæ Unctionis Extremæ sacramento debita reverentia præstetur, statuimus ipsius oleum in tuto ac honesto loco, et vasculo ab aliis sacris oleis distincto, honorifice ad inungendos infirmos asservari: ad quos quidem deferri debet, prospiciant episcopi, ut ea, qua decet, veneratione et religione deferatur, in vasculo scilicet argenteo, vel saltem stanneo, quo major munditia in eo conservando adhibeatur.

Parochi vero sæpe dubitantes quinam potissimum hoc sacro oleo sint inungendi, ab episcopis edoceantur, eos præcipue inungi

oportere, qui, cum in mortis articulo vere sint constituti, adhuc tamen quid agant, intelligant, et sensu, quantum fieri potest, polleant. Impœnitentibus vero, et his qui, cum notorii peccatores essent, vel ab Ecclesia alieni, nullum pœnitentiæ signum emiserint; sacram hanc Uncionem, ex sacrorum canonum dispositione, negandum esse non ambigitur.

Episcopi crebro curatos admoncant et obtestentur, ut in extremis constitutos omni pietate et studio tractent: cum nullo unquam tempore spirituali medico magis sit opus, ut vere dici possit totius curæ summam huc spectare, quod in extremo vitæ spiritu fidelium animæ Deo reconciliantur et commendentur; in quo, cum passim parochi tepidiores esse consueverint, eos idcirco sæpe ab episcopis excitari exoptamus, ut circa ægrotos et morti proximis diligentissime suum munus exquantur: gravissima pena negligentibus eorum arbitrio proponenda.

De Ordine.

In Ordinibus quibusque conferendis, sacri Tridentini Concilii decreta omnia, tam quoad temporum interstitia, quam quoad ordinandorum ætatem et qualitatem, ab episcopis exacte observentur.

Cum vero sacrorum Ordinum receptio ad animarum curam exercendam quasi aditus sit, et præparatio quædam, sine qua Ecclesiastica disciplina constare non potest, quam periculosa res sit prospicientes, episcopos omnes obsecramus et obtestamur in Domino, ut omnem in clericis ad Ordines promovendis diligentiam impendant, nec quemquam aliqua ratione a legitimo examine excipiant: habita nihilominus locorum et personarum prudenti distinctione, pro ipsorum ordinantium religione et conscientia.

Inquirant autem episcopi super ordinandorum vita et qualitate, prudentibus viris adhibitis, juxta ejusdem Concilii decretum, ac prout circa assumendos ad parochiales Ecclesias supra statuimus, inferiorum et superiorum Ordinum competenti ratione habita, juxta ejusdem Concilii decretum.

Episcopi sacros Ordines collaturi, si legitime impediti fuerint, teste eorum conscientia, id nominatim alicui probo et erudito viro demandent; qui cum divinæ legis peritis, ad id per episcopos deputatis, ordinandorum examini diligenter incumbat, et suam et mandantis conscientiam exoneret. Nullam autem, quamvis gravem occupationem episcopi huic anteponant, cum de re tanti ponderis agatur, in qua, et clericalis Ordinis dignitas, et ipsorum episcoporum animarum periculum præcipue versatur.

Clericos, ad quoscumque Ordines promotos,

episcopi per suarum diœcesum Ecclesias et pia loca distribuant; illisque, ne incertis vagentur sedibus, adscribant, ex ejusdem Concilii decreto, etque de re in testimonialibus litteris caveatur.

Animadvertant etiam episcopi, ne sacris Ordinibus aliquem intinent, qui vere Ecclesiasticum beneficium, pensionem vel patrimonium ejus victui sufficiens, juxta ejusdem Concilii decretum non obtineat. Patrimonium vero, si ad illius titulum aliquem ordinare episcopo expedire videatur, sit proprium, non autem commentitium vel simulatum, cum mediata vel immediata retrocessione; quod ab episcopis animarum suarum periculo magno opere est præcavendum.

Monentur præterea episcopi, ne indistincte beneficiorum, ad quorum titulum aliqui sint ad sacros Ordines promoti, resignationes admittant, nisi alias habeant; unde se alere possint, ex ejusdem Concilii decreto, ac Sanctissimi Domini nostri Pii Quinti Bulla.

Illud quoque circa patrimonii titulum statuimus, ut de eo non alienando episcopi sibi caveri curent, donec, vel ex Ecclesiæ redditibus, vel aliunde suppetat, ut episcopi judicio, decenter vivat: cujus quidem rei apud acta per episcopalia curiæ scribam testatio fiat.

Minoribus Ordinibus initiati, in præcipuis Domini nostri Jesu Christi ac Beatæ Mariæ Virginis festivitibus sacram Eucharistiam suscipiant; diaconi vero et subdiaconi, etiam si canonici sint, et in dignitatibus constituti, semel saltem in mense, id facere nullo pacto prætermittant.

De Matrimonio.

Quæcumque a sacra Tridentina Synodo pro Matrimonii reformatione statuta sunt, in suis diœcesibus observari diligenter curent, propositis etiam ex arbitrio pœnis, ubi arbitrio opus et locus est; necnon sæpius in anno ad populorum memoriam, præsertim quod ad ipsius sacramenti substantiam et formam pertinet, revocari faciant.

Denuntiationes, quæ Matrimonia antecedere debent ex ejusdem Concilii decreto, tam in parochia viri quam mulieris fiant, eas in totum vel pro parte remittendi facultate parochis penitus interdicta; cum id totum episcoporum arbitrio ab eadem Synodo prorsus committatur.

Parochi quicumque, si vel denuntiationes facere, vel sponso vel sponsa benedicere neglexerint, vel calumniose distulerint, absque rationabili causa ab episcopis comprobanda, graviter eorum judicio mulentur.

Parochus per seipsum, legitimo impedimento cessante, non per alium, et matrimonio celebret, et sponso et sponsa benedicat; quia

impedito, teneatur, qui parochi vices supplet, ipsi parochi mandanti fideliter referre verbo vel scripto Matrimonii per eum celebrati diem, locum, sponsorumque ac testium nomina, ut in proprium sponsorum librum a parochi referri possit: quem quidem librum in parochialibus quibuscumque haberi, ac diligenter conscribi, et custodiri episcopi curent, pœna etiam ex arbitrio negligentibus proposita.

Quoad Matrimonia vero cum vagabundis contrahenda, ejusdem Concilii dispositio accuratissime observetur, exigantque episcopi, de personis hujusmodi authenticam fidem, tum quod solute sint, tum quod a Catholica communione non alienæ: quod si aliqui, non expectata Ordinarii licentia, contraxerint, vel hujusmodi Matrimonia celebraverint, gravissime puniantur, quamvis solemnia intercesse- rint.

Hortamur insuper ac enixe hortari mandamus sponso et sponsas ne cohabitent, donec rite ac recte matrimonium celebretur, ut scandala quæ exinde oriri possint evitentur, præter peccatum quod committitur. Monemusque eosdem, juxta ejusdem Concilii monita, prout etiam ab episcopis moneri exoptamus, ut antequam contrahant, vel triduo saltem ante Matrimonii consummationem, peccata confiteantur, et ad Eucharistiæ Sacramentum pie ac reverenter accedant; quo majore veneratione matrimonii Sacramentum prosequantur.

Meminerint præterea episcopi ad eos spectare, ex ejusdem Concilii decreto, quæcumque hujus Sacramenti sanctitati ac honestati contraria videbuntur, non nisi pie ac sancte tractari debeat.

De Sacrificio Missæ.

Sacrosanctum Missæ sacrificium, debitis horis celebretur, neque post meridiem, neque ante auroram, excepta nocte Nativitatis Domini; nec etiam extra Ecclesiam vel Oratoria rite ab episcopo designata et approbata; sub suspensionis pœna, atque aliis ex arbitrio imponendis, tam contra celebrantes, quam contra eos qui id attentaverint vel curaverint, quacumque dignitate præfulgeant.

Ceremoniis tantum ab Ecclesia comprobatis in Missarum celebratione sacerdotes utantur, ne verbum quidem addendo vel immutando ex his, quæ in cujusque diei Missa continentur, vel etiam in ipsius Missæ ordinario, juxta Lateranensis posterioris Concilii decretum.

Ad Missæ, ut vocant, novæ celebrationem nullus admittatur, quem per diligentem episcopi vel ejus vicarii inquisitionem non constet, recte caremonias didicisse, ut uniformis sit ubique celebrandi ratio; eo autem tempore, ludos, choreas, aut alia hujusmodi profana re-

presentari, sub suspensionis et arbitrii pœna omnino prohibemus.

Studeant autem magnopere sacerdotes, ut inter celebrandum omnia recte et composite, nec nimis celeriter quam decet, aut nimis tarde peragantur; ac propterea Missam prælegant, quo partes singulæ ita sint in promptu, ut neque error, neque hæsitatio aliqua contingat, quod sine populi offensione accedere non potest.

Missam celebraturi prius peccata confiteantur, caveantque, ne, cum se reos mortalis delicti ex conscientia agnoscant, quantumcumque sese contritos existiment, habita confessoris copia, sacramentalem confessionem prætermittant: aliter enim sentiens, vel asserens, ex sacri Tridentini Concilii decreto excommunicationi subiacet. Quod si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum, juxta ejusdem sanctæ Synodi præceptum, confiteatur.

In Monialium Ecclesiis, absque earum superiorum licentia, nemo celebret, sub suspensionis pœna, atque alia Ordinarii arbitrio infligenda.

Illud autem maxime a populo in Missæ celebratione episcopi vitari curent, ne quis tam ad altare accedat, ut sacerdoti celebranti sit molestiæ vel impedimento; ut etiam erecti aut eversi: sed omni cum devotione, atque animo ad Deum propenso, fideles quique Missæ Sacrificio intersint; necnon detecto capite, et genibus flexis, capita reverenter inclinantes, quancumque nomen Domini nostri Jesu Christi memorari contingat; sub pœnis a Sanctissimo Domino nostro Pio Quinto per ejus Bullam statutis.

Peregrinum sacerdotem incognitum, ad celebrandum, absque Ordinarii licentia Ecclesiarum rectores ex Tridentini Concilii decreto non admittant. Ordinarii vero ipsi diligenter invigilent, ac bene prospiciant, quenam dimissoriæ sint comprobandæ vel rejiciendæ; cum exemplo constet innumerabiles fraudes hac in re committi consuevisse.

In unaquaque Ecclesia provideant episcopi, ut omnia ad Missæ sacrificium opportuna, ea munditia ac puritate conserventur, quæ domum Dei maxime deceat, et Ecclesiæ ejusque dignitati conveniat.

Inter Missarum solemnia quæstus fieri, vel quoquomodo in Ecclesiis mendicari, ex eadem Sanctissimi Domini nostri Bulla, sub pœnis quæ in ea continentur, tam clericis quam laicis prohibeatur. Quod et concionum tempore minime est permittendum, nisi aliud ex causa quandoque episcopo videatur.

De dignitatibus et canonicis.

Ubicumque sacri Tridentini Concilii decretum, quo cavetur, majorem saltem Capituli

ejusque partem in presbyteratu esse constitutam, haecenus non est in usu; debita executioni demaudetur, ita tamen, ut deinceps Ordinis prerogativa inter eos perpetuo servetur, quacumque consuetudine non obstante, nempe ut presbyteri diaconi, subdiaconis vero diaconi, donec ad superiores Ordines promoti fuerint, de cætero præferantur.

Ad dignitates vero vel canonicatus in quibusque Ecclesiis, ii assumantur, qui episcopos opera et officio juvare valeant; eaque morum integritate præditi, ut eorum Capitulum ejusque Ecclesiæ senatus merito dici possit, atque aliis existant qualitatibus ornati, tam a jure quam ab eodem Tridentino Concilio requisitis: super quo episcoporum conscientias oneramus.

Canonici atque alii, dignitates vel personatus quoscumque in Cathedralibus Ecclesiis vel collegiatis obtinentes, prælatis suis omnem obedientiam ac reverentiam præstent, quacumque exemptione non obstante, quod ad honorem eis exhibendum pertinet. Quare eos ad Ecclesiam divinorum causa deducere, et domum reducere in habitu, loco, tempore ac eorum dignitati congruenti dignitates et canonicatus obtinentes, Capitulaque ipsa omnino teneantur; salvis quoad alia ejusque Capituli ac dignitatum juribus, exemptionibus ac privilegiis quibuscumque.

Expediret maxime, ut Cathedralium Ecclesiarum ac insignium Collegiarum dignitates et canonici omnibus Dominicis festivis diebus, et aliis quam sæpissime, Missas publice in eorum Ecclesiis celebrarent; ad minus tamen in majoribus quibuscumque anni Solemnitatibus, in quibus episcopi in Pontificalibus non celebraverint, necnon et singulis B. M. V. et Sanctorum Apostolorum Festivitatibus, ac Dedicacionibus Ecclesiæ, et sanctorum Protectorum civitatis ejusque, atque in quibusvis tam Quadragesimæ, quam Adventus Dominicis diebus, Missarum solemnia in majori Ecclesiarum ipsarum altari per seipsos omnino celebrare teneantur eo ordine et lege, qua inter se ipsos, intra mensem, ab harum constitutionum publicatione, convenerint: alioquin ipsimet episcopi, pro suo arbitrio deputent, qua die singuli celebrare debeant, nec liceat eisdem ab illorum præscripto recedere, quacumque consuetudine, etiam immemorabili non obstante, sub suspensionis, atque aliis ex arbitrio pœnis infligendis, salvis tamen earum Ecclesiarum constitutionibus seu consuetudinibus, in quibus iidem publice et solemniter frequentius celebrare tenentur.

Divinorum tempore, a canonicis vel aliis Ecclesiæ ministris, conventus seu capitula, ut vocant, non habeantur: alioquin distributionibus illius diei careant, quas episcopi piis usibus

ex arbitrio tribuant; et, si major contumacia intervenerit, episcopi iudicio aliter pro modo culpæ præterea puniantur.

Cappæ vel Almutiæ, tam a canonicis quam ab aliis Ecclesiæ ministris, juxta ejusque loci consuetudinem deferri solitæ deserantur; alioquin eas deferre omitteutes, uti non residentes puncentur. In Altari statim depouantur, non autem super sacris vestibus ullatenus habeantur, nisi tantum in incessu sub eadem pœna.

De mansionariis.

Mansionarii in Ecclesiis, ubi adsunt, per se ipsos munus suum obeuntes (sicut et cæteros Ecclesiæ ministros, quoscumque gradus, qualitatibus et dignitatibus existant, propria ejusque munia similiter per se ipsos obire mandamus) illud ipsum accuratissime implere satagant, ne deficientes annotentur; necnon pro rata portionum vel præbendarum suarum, si distributionibus careant, punctationes in proprio libro annotandas persolvant; atque eadem in illis ratio servetur, quæ in canonicorum punctationibus ac distributionibus infra proxime statuetur, nisi aliud Ecclesiæ suæ magis expedire episcopo videatur.

Illud autem Mansionarii semper observent, ut ea hora qua sibi injunctum ex Mansionaria munus incumbit, a cæteris curis in Ecclesia, nedum extra eam, prorsus sint expediti: alioquin, ac si ea hora defecerint, a punctatore notentur; sciantque ab eorum officii necessitate, quod et in canendo et psallendo præcipue versatur, festis diebus punctaturas eisdem esse duplicandas, nisi majori pœna ex alicujus Ecclesiæ instituto plectantur.

De distributionibus quotidianis.

Quotidianæ distributiones, his tantummodo qui stalis horis divinis interfuerint, ex sacerorum canonum dispositione ac Tridentini Concilii decreto tribuantur: cujus quidem Concilii auctoritate prohibemus collusionem aliquam, vel remissionem de eis fieri, sub duplici pœna a camerario Capituli, si capitulariter omnes deliquerint, persolvenda. Si vero aliqui de Capitulo hac in re excesserint, ipsi delinquentes tantumdem ex suis distributionibus amittant, et episcopi arbitrio utraque pœna piis usibus applicetur; his dumtaxat exceptis, quos vel corporis infirmitas, vel Ecclesiæ utilitas excusat, ex eorumdem canonum dispositione.

Provideant autem episcopi, ut ubi tennes vel nullæ distributiones existunt; vel per tertiam fructuum, dignitatum ac præbendarum partem in distributiones convertendam, vel per simplicium beneficiorum unionem adeo augeantur, ut servitium usui sufficere possint; idque quamprimum efficiant, juxta ejusdem Concilii præceptum.

Non constitutos in sacris, de distributionibus participare, necnon vocem in Capitulo habere, ex ejusdem Concilii prohibitione penitus interdiximus. Qui vero secus fecerint, distributionibus ipsis tamdiu careant, donec episcoporum arbitrio satisfecerint.

De punctatore.

Punctationes pro quotidianis distributionibus consequendis quam diligentissime per eum ad quem spectat, ac distincte annotentur, et sine aliqua personarum exceptione.

Punctatores vero singulo quoque anno per episcopos vel alios ad quos juxta Ecclesiarum consuetudinem ea res pertinet, modo ab eisdem comprobentur, constituantur, quibus quidem juramentum deferatur de bene ac legitime officium suum exercendo, sub dupli, quanti id fuerit, et perjurii pœna.

Singulis autem mensibus nisi aliud episcopo videatur, ex sui officii debito superiori suo punctationum librum punctatores ipsi præsentare teneantur; quæ si non recte se habere superior ipse cognoverit, eos negligentia suæ pœnas, dupli scilicet et perjurii dare compellat. Idem quoque punctator quisque facere debeat, antequam alieni Ecclesie ministro, qui de distributionibus participet ejus servitio, portio assignetur; quo certior fiat episcopus, an aliqua collusio ea in re intercesserit.

De chori præfecto.

Chori præfecti officium, juxta cujusque Ecclesie consuetudinem, a deputatis exerceatur; ubi vero aliqua consuetudo non viget, episcopus ex dignitatibus, vel canonicis, seu aliis Ecclesie ministris, eum qui sibi aptior videbitur huic muneris præficiat; quod et prompte suscipere, et diligenter exercere, quicumque idoneus fuerit habitus, sub pœna ipsius Ordinarii arbitrio statuenda, teneatur.

In primis vero chori præfectum curare oportet, ut Missarum solemnia, atque alia divina officia congruis horis, et qua decet religione ac studio persolvantur; atque ea omnia in Ecclesia observentur, quæ ad rectam divinorum celebrationem pertinent, negligentiumque clericorum culpas annotare, arguere, et si sit opus, deferre, præfectus ipse satagat, ut ab episcopo redarguantur, vel pro modo culpæ ex arbitrio puniantur.

Illud autem episcopi meminerint, nullum in Ecclesia officium, hoc ipso fere præstantius esse aut magis necessarium; ac propterea ab ipsis quam sæpissime commendos esse, qui illud in Ecclesia pro tempore gerunt, cum ab eo potissimum pendeat recta Ecclesiarum ordinatio, ac divini cultus propagatio: eurentque præfecti ipsi, a clericis omnibus, in his quæ

ad eorum officium pertinent, obedientiam sibi præstari; inobedientes vero deferant ac pro culpæ qualitate ab episcopis eurent puniri.

De cæremoniarum magistro.

Cæremoniarum magister, ubi ex Ecclesie alienius instituto non adest, in Cathedralibus et Collegiatis, præsertim insignibus, is ab episcopis eligatur, qui in divinorum celebratione optime sit versatus, atque huic muneri satisfacere possit. Is vero quæcumque ad cæremonias pertinent, curare debet, ut quam diligentissime, rite et ex ordine in Ecclesia pergantur; cui, ut ab omnibus, quoad cæremonias ipsas, pareatur, quicumque ille sit, episcopi efficiant: et quos contumaces invenerint, quamvis canonici sint, vel in alia Ecclesiastica dignitate constituti; ex officio corripiant, ac debitis pœnis afficiant: quemadmodum et ipse, si in his, quæ sui muneris sunt, quovis modo deliquerit, episcopi arbitrato puniatur vel emendetur.

De chori magistro.

In unaquaque cathedrali vel collegiali Ecclesia, chori magister instituitur, ubi mansionarii non sint, vel alius quispiam, ab episcopo vel Capitulo ad id deputatis, qui præceptoris officium exerceat, et in Ecclesiastico cantu sit eruditus: congrua sibi mercede, juxta cujusque Ecclesie institutum vel episcopi præscriptum, constituta.

Chori autem magistri officium id erit, quæ sunt in Ecclesia canenda, vel legenda proponere, ac prævidere, ut promptius recitari vel cantari possint. Item aliis in cantu præire, ut dissonantiæ vitentur, necnon curare, ut tam antiphonæ, quam gradualia et his similia concorditer ac recte canantur, quo minus audientium aures offendantur. Ad eundem quoque spectabit efficere, ut alta et intelligibili voce canonice horæ recitentur, voces depressas extollende, vel nimis elatas remittende, prout sibi magis conducere videbitur.

Omnes vero clerici, qualescumque sint, in his, quæ ad ipsius chori magistrum pertinere videbuntur, eidem assentiri et obedire teneantur. Quisquis autem illius officium perturbare, aut quoquo pacto eidem in suo munere molestus esse præsumperit, ab episcopo graviter, pro modo culpæ, ex arbitrio corripatur.

De musicæ magistro.

Musicæ magister, pro Ecclesie facultatibus et instituto, congrua ei mercede proposita, qua videbitur episcopo tutiori via, ubi Ecclesie consuetudo aliqua non apparet, in unaquaque Ecclesia constituatur. Is vero, vel idem sit, qui seminarii pueros Ecclesiasticos cantus edoceat, vel alius, pro Ecclesie cujusque dig-

nitate et qualitate, episcopi iudicio adhibeatur.

In Ecclesiis autem, ubi musici redditus pro cantorum mercede sunt instituti, eurent episcopi, ut vere musicae artis peritis clericis, ubi haberi possunt, tribuantur; alioquin laicis, qui tamen clericatibus vestibus sacrorum tempore, si commode fieri poterit, induantur, pro stipendio assignentur. Qui si statis diebus, quicumque sint, suo muneri defuerint, ex eorum mercede portio aliqua, episcopi arbitrio, detrahatur: eademque ratio in musicae magistro, atque aliis hujusmodi Ecclesiae ministris servetur, quo majore in suis officiis sollicitudine ulantur.

Musici cantus ejusmodi in Ecclesia adhibeantur, qui populum ad devotionem provocent. Divinae laudes, musicis ritibus non involvantur aut implicentur, sed explicitè proferantur, atque ita ut clare intelligi possint. Gradualia vero, Introitus, atque alia hujusmodi, plano cantu (ut vocant) annotata, juxta canonicas sanctiones, a suo originali tono minime alterentur: liberum tamen sit cantoribus consonantias aliquas adjungere, non mutata cantus origine.

De organo.

In Cathedralibus praesertim Ecclesiis organa, divinatorum causa, ex vetusto Ecclesiae instituto, non desint; necnon qui ea pro Ecclesiae dignitate atque ea arte pulsent adhibeantur: mercede eisdem, juxta Ecclesiarum consuetudinem, et ea deficiente, pro episcoporum taxatione persolvenda.

In organis autem lascivum quid vel impurum, ex sacri Concilii Tridentini praecepto, minime canatur, nec pulsando misceatur: quod qui neglexerint, severiori poena, ex arbitrio plectantur: sitque organorum sonus, et vocum in illis modulatio ejusmodi, quae ad pietatem et religionem audientes excitet, non aures vulgi tantummodo mulceat.

Alia vero instrumentorum genera praeter organa non adhibeantur, nisi aliud, ex causa episcopo videatur, qui pro temporis et loci qualitate, quod religioni congruere judicaverit, pro sua prudentia statuat.

De horis canonicis.

Horae canonicae, pro dierum et Festorum qualitate legantur, vel cantentur; prout chori praefectus, ex Ecclesiae instituto, vel episcopi praescripto expedire arbitrabitur.

Ea autem psallendi ratio comprobetur, ut concorditer psallatur, et sive verbo, sive cantu agatur, voce non nimis depressa, nec nimis arguta, Dei laudes proferantur. Fiat autem in medio cujusque Psalmi versiculo suspensio conveniens, qua pars a parte distinguatur: quod valde ad bene psallendum conferre exem-

plo constat, contineantque psallentes ipsi eorum voces, intra tonos et modulos, quicumque contingerit; nec vocibus ea agantur, quo nihil est indecentius; necnon inter festivum et feriatum officium congrua differentia fiat, pro ipsius chori praefecti arbitrio.

Singulae quaeque Horae opportunis temporibus, ex universali Ecclesiae instituto recitentur. Matutinum vero eurent episcopi, ut summo mane dicatur, atque ea circumspeditione habita, ut aliae Horae commode persolvi possint.

Quod vero ad canonicas Horas a clericis recitandas attinet, statutum ab omnibus et singulis in sacris constitutis, vel Ecclesiastica beneficia obtinentibus, quotidie recitari debere: alioquin beneficiati divinum Officium omitentes, juxta Lateranensis posterioris Concilii decretum, fructus suos non faciant, qui quidem in pios usus converti debeant; et post debitam monitionem, beneficium priventur quoque, praeter grave peccatum quod continue committunt. Item quicumque in sacris constituti, illud sine causa praetermiserint, praeter peccati reatum, quem contrahunt, etiam severissime ex arbitrio puniantur.

Si quis autem error inter psallendum, aut orandum, vel omitendo, vel subnectendo contigerit; is non ab omnibus, sed a chori praefecto tantummodo corrigatur; qui pro sua prudentia, vel suppleri, vel repeti, aut progredi mandabit, prout sibi magis expedire videbitur.

Ad Matutinum officium, quicumque Responsoria, vel Lectiones, pro suo munere est in Ecclesia recitaturus, ea praefectus, ac praevideat, ut promptius legat, errores inter legendum vitet; divinatorumque officiorum continuatio cunctando non impediatur.

De choro.

Clerici quique, sub Cathedralis vel Collegiatae Ecclesiae stipendio militantes, ad consuetum campanae signum, ea qua decet gravitate, ad Ecclesiam accedentes, oratione peracta ante sanctissimum Domini nostri Corpus, sacristiam ingressi, ut vestibus suo ordini ad psallendum congruentibus induantur, postquam omnes convenerint, hora adveniente, praecedentibus luminibus, e sacristia bini, a minoribus ad majores progredientes, saltem solemnibus diebus, ac in majoribus anni Festivitatibus, ad Missam majorem, et Vesperas, ad chorum tacite ac modeste accedant.

Chorum ingressi, ac in propriis sedibus consistentes, concorditer psallant, eodemque tempore, cum opus fuerit, singuli assurgant, sedeant, genuflectant et capita detegant: nihil extraneum divinis immisceant, privatum officium non recitent, nec colloquantur, obstrepant, aut litteras legant; non evagentur, nec a propria sede recedant, nisi divinae rei gratia.

Non in composito modo sedibus cohæreant, aut dormitent, aut rideant; nec a choro, nisi petita a prefecto licentia, aut expletis omnibus recedant; sed toto corde in rem divinam incumbant. Si qui vero in his atque aliis hujusmodi quomodo deliquerint, ad prefecti arbitrium, pro non residentibus habeantur, et alias, pro modo culpæ, ab episcopis quoque puniantur.

Ne vero clerici, dum divinis incumbunt, ab aliquo impediantur, curent episcopi, ut loca clericorum usui in Ecclesiis destinata, a laicis non occupentur; sed seorsum a clericis omnino divinis intersint, nec chorum, ad psallendum institutum, præsertim ubi commode fieri potest, occupent: pœna in negligentes vel impediendes quoscumque ab episcopis ex arbitrio proponenda.

Alia vero, quæ ad chori legem atque alios Ecclesiæ ministros, de quibus in præsentibus nulla sit mentio, pertinere videbuntur; pro Ecclesiæ ejusque qualitate, adhibitis in consilio duobus de Capitulo, ex sacri Concilii Tridentini decreto, episcopi suppleant.

De vita et honestate clericorum.

Non solum in sacris constituti, aut Ecclesiastica quæcumque beneficia obtinentes, verum etiam minoribus Ordinibus initiati, qui clericibus privilegiis potiri velint, clericalem habitum, suo Ordini et qualitati congruentem, necnon tonsuram conspicuam, continue gerant, sub pœnis per episcopos jam statutis, vel imposterum statuendis. Sacerdotes vero barbam præterea, e superiore labro ita detonsam, et in aliis sui partibus aptatam semper habeant; ut sumentibus Christi Corpus et Sanguinem, nullatenus sit impedimento.

Clerici vestes sericas nullo modo deferant; superiores vero semper usque ad talos protensam gerant. Inferiores autem vestes, sive subtanae, ut vocant, per canonicos et alios in Ecclesiastica dignitate constitutos pariter longe usque ad talos, deferantur; ceteri vero, præsertim pauperes et rurales clerici protensas, ad minus ultra genua, sub eadem tamen forma gestare debeant. In itinere nihilominus clericis quibuscumque, brevioribus vestibus uli liceat; ita tamen, ut a clericali honestate non abhorreant. Sit autem vestium color omnino niger, præterquam in constitutis in dignitate, qui et leonato et violaceo uti poterunt.

Clericorum caligæ non sint inflatæ, nec ullatenus incisæ; necnon calcei et crepidæ sint simplices, non autem incisæ vel sericæ. Camisiæ, in nulla sui parte exteriori sint crispatæ, vel laetucatæ, nec arte aliqua ullo modo elaboratæ. Pilei quoque simplices existant, nec acuti sive turbinati, nec eis utantur clerici, nisi necessitatis gratia, ac pro temporum et locorum qualitate; non autem intra

Ecclesiam, præsertim dum divinis intersint. Subbirreta pariter, et ipsa simplicitate et honesta, quæ tamen dum Missæ Sacrificium per eos celebratur, semper deponantur; annulosque, nisi id dignitas postulet, clerici ipsi non deferant. In præmissis autem omnibus ad clericalem ornatum pertinentibus, præter rerum, quibus deliquerint, amissionem, episcoporum arbitrio, aliter quoque pro modo culpæ puniantur.

A taxillis, tesseris, pictarumque pagellarum lusu, et alio quocumque ludi genere sacris canonibus improbatum, penitus abstineant, nec sint etiam prohibitorum Indorum spectatores. Choreas non ducant aut spectent, nec larvali incedant: publice quoque, si scandalum ex eo oriri potest, ludis etiam permissis non utantur, sub arbitrii pœna.

Ab omni prorsus suspectarum mulierum familiaritate, conversatione et habitatione clerici abstineant, sub pœnis in sacri Concilii Tridentini decreto comprehensis, atque aliis a sacris canonibus inflictis, vel episcoporum arbitrio intelligendis; ita sane, ut mulieres omnes pro suspectis habeantur, illis tantum exceptis, quarum conversatio a jure permittitur: quas tamen, absque speciali ordinarii licentia, domi retinere non audeant.

Caveant insuper clerici, ne vel in ædibus eorum patrimonialibus feminae quovis modo suspectæ commorentur aut detineantur, vel infamibus personis eas locent: quod multo magis in suarum Ecclesiarum domibus prohibitum esse intelligant; sub pœnis in eisdem ex arbitrio statuendis.

Venationem quoque, contra sacrorum canonum formam clerici minime exerceant, ab illicitisque actibus et officiis quibuscumque caveant, tabernas non adeant, nec diversoria frequentent, nisi itineris ac necessitatis gratia. Qui vero in prædictis offenderint, gravissime episcoporum arbitrio plectantur.

Arma, sive ad offendendum sive ad defendendum parata, non obtenta ab ordinario licentia, ex urgenti tantummodo causa concedenda, clerici præcipue in sacris constituti, tam per civitates et oppida, quam per villas non deferant; nisi per loca minus tuta iter faciant. Inobedientes autem prima vice, pecuniaria pœna episcopi arbitratu muletentur, secunda vero carceris maceratione, ac suspensione ad arbitrium afficiantur. Postremo, si se enormibus præsertim immisceant, nec respiciant, fructuum Ecclesiasticorum privatione, ac etiam beneficii amissione, vel depositione, pro modo culpæ, et personæ qualitate puniantur; ea semper circumspeditione adhibita, ut noctis causa pœna duplicetur et aggravetur.

Clerici quoque noctu, sine causa, vel minus quam honesta ac rationabili evagantes, ab

episcopis corripiantur, et abstinere cogantur. Quod si, vel canendo, vel instrumenta aliqua pulsando per noctem deambulaverint, aut id agentibus comites sese præbuerint, carcerentur, et pœnis ab ordinario congruentibus subjiciantur.

In sacris constituti clerici, in famulatu laicorum, etiam principum, nisi ad officium aliquod non indecens, et suo Ordine non indignum, ac de episcoporum suorum licentia, non admittantur, sub suspensionis et arbitrii pœna.

Generatim vero præterea, quæcumque alia clericis, ex sacris canonibus, generalibus Conciliis, vel Apostolicis ordinationibus ad eorum vitam et honestatem pertinentia, statuta sunt, ab eis observari mandamus, sub pœnis in eisdem contentis; quas sacri Concilii Tridentini auctoritate innovamus, atque aliis, ordinariorum arbitrio, pro delicti qualitate statutis vel statuendis. Meminerintque clerici omnes, nihil esse quod magis alios ad pietatem ac Dei cultum instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio manciparunt: ac propterea ita vitam et mores suos componere debere, ut eorum actiones cunctis venerationem afferre possint.

De sacrosanctis Ecclesiis.

Ecclesie quæcumque, per diœceses constitutæ, sacra oratoria, sacellaque, aut diruta, aut ruinosa, instaurari, reedificari, atque ea reverentia teneri ac custodiri episcopi curent, quæ ex sacrorum canonum dispositione requiruntur. Quod si Ecclesie vel loci paupertas obstet, juxta sacri Tridentini Concilii decreti formam, ordinarii provideant, ut vel diruta reficiantur, vel transferantur.

Nemo autem divinatorum præsertim Officiorum aut prædicationum tempore, per Ecclesias deambulare, aut ibidem negotia tractare, clamores, risus, dissolutiones, confabulationes, atque alia hujusmodi profana; neque etiam cum suspectis mulieribus colloquia habere præsumat: sub pœnis, quæ in Sanctissimi Domini nostri Pii Quinti Bulla continentur.

Prohibemus insuper, ne in sacrosanctis Ecclesiis, commestiones sive computationes quovis anni tempore fiant: aut in earum porticibus ac cæmeteriis, aliqua ad cibum vel potum venalia habeantur; nec etiam prope Ecclesiam, quantum fieri potest, sub pœna per ordinarios ipsos statuenda.

Ecclesie cujusque parietibus, nihil profanum vel immundum adhæreat: ac præcipue tabernæ et Judæorum familiæ procul absint; ne sacra profanis misceantur, sub pœna episcopi arbitrio proponenda.

Allaria in Ecclesiis quibusque constituta, si dotata sint, per eorum rectores, tam in temporalibus quam in spiritualibus recte curari

episcopi studeant; nec eadem a quoquam usurpari permittant. Indotata vero, vel ab his a quibus erecta fuerint, instaurari, ac exornari, vel amoveri curent.

Ecclesiarum fabricæ, bona, aut redditus omnes, in destinatos usus a deputatis converti, ordinarii quique provideant: nec ullo modo patiantur, ab aliqua, vel sæculari, vel Ecclesiastica persona usurpari, aut in alios usus converti; sub dupli pœna, atque animarum suarum periculo.

Ecclesiarum præterea indemnitati prospicere cupientes, personis Ecclesiasticis, quavis dignitate fulgentibus, atque aliis quibuscumque Ecclesiastica beneficia, quocumque nomine censeantur, obinentibus; ac Hospitalium, aliorumque piorum locorum gubernatoribus, rectoribus, seu administratoribus universis injungimus, ut infra annum, a presentis Synodi fine connumerandum, Inventarium bonorum omnium mobilium et immobilium, juriumque et actionum, ac nominum debitorum ad Ecclesias ipsas, vel pia loca, quæ obtinent, aut regunt, quovis modo pertinentium; cum ipsorum bonorum qualitatis, situationibus, vocabulis, et confinibus, coram honestis ac fide dignis testibus, in forma probante conficiant. Quorum quidem bonorum duo publica fiant Instrumenta, ex quibus unum in propria Ecclesia, Hospitali, vel pio loco; alterum apud episcopum in Archivio perpetuo custodiatur. Quicumque vero in hoc exequendo vel negligens vel parum fidelis extiterit; graviter episcopi, ad quem hujus rei cura pertinet, arbitrio puniatur.

De rebus Ecclesiasticis non usurpandis ac male alienatis recuperandis.

Mandamus insuper sacri Concilii Tridentini auctoritate, ut singuli episcopi, seu ejus vicarii, simul cum uno de Capitulo, et altero de clero, ex his qui aptiores et probatiores eis videbuntur, ab ipsis de Capitulo et clero civitatis respective deligendis, recognoscant etiam ex officio, quascumque locationes rerum Ecclesiasticarum, ad longum tempus, seu ad viginti novem annos, aut bis viginti novem, a triginta annis citra, ante publicationem Tridentini Concilii factas, etiam auctoritate Apostolica confirmatas: judicentque an in damnum Ecclesie et contra canonicas sanctiones factæ fuerint; absque tamen aliquo causarum de præsentibus pendentium præjudicio.

Quod si res, de qua agitur, ad episcopum, seu illius mensam pertineat, ad episcopum ipse, vel ejus vicarius locationis ejusdem commissarii seu executores fuerint; tunc ad episcopum, qui magis vicinus sit, una cum deputatis ab eisdem Capitulo et clero, hæc recognitio et judicatio pertineat. Si autem delectorum a Capitulo seu a clero legitima forsitan aliquo

casu esset recusatio; tunc ab eisdem de Capitulo et cetero alii in ea causa substituuntur.

Quoniam vero usu compertum est, alienationes bonorum Ecclesiasticorum fieri saepe sub conditione, ut illarum confirmatio ab Apostolica Sede obtineatur; interim autem possideri, non oblenta antea confirmatione ejusmodi, in grave Ecclesiarum damnum, animarum ipsorum contrabitionem præjudicium: ideo ordinariis quibuscumque mandamus, ut diligenter super hujusmodi alienationibus quoruncumque bonorum Ecclesiasticorum, etiam Hospitalium, et ad fabricas, sive ad luminarium, ut aiunt, usum deputatorum, et aliorum quocumque nomine censeantur, inquirent; et si quas sub jam dicta conditione nondum impleta, a triginta annis ut supra factas repererint, irritas et inanes declarent: in eosque, qui in possessionem vel detentionem, ante obtentam confirmationem, ut supra se intrudere ausi fuerint, penas a canonibus et Summorum Pontificum Constitutionibus adversus eosdem inflictas exequi omnino studeant.

Generaliter tam in his, quam in aliis quibuscumque Ecclesiasticarum rerum alienationibus, quas in futurum auctoritate Apostolica fieri contingat, animadvertant episcopi et eorum vicarii, ut omnia rite et recte, maturaque ac diligenti investigatione adhibita, peragantur; etiam in rem præsentis accedendo, indemnitati Ecclesiarum prospiciant: admonentes etiam frequenter populum, eos excommunicationi fore subjectos, aliisque pœnis teneri, qui contra sacrorum canonum decreta, Ecclesiastica bona alienare, aut indebite delinere præsumant; monemusque propterea episcopos omnes, ac enixe in Domino obsecramus, ut ad minus semel in anno, sacri Concilii decretum, sub Sessione vigesima secunda, Capitulo undecimo de reformatione, quod incipit: Si quem Clericorum, vulgari idiomate, per prædicatores in Dominica Lætare, frequenti populo publicari, aut ad memoriam revocari curent: quo certiores fiant Ecclesiasticarum rerum quaruncumque usurpatores, ipso jure excommunicatos esse, nec ab alio, quam a Romano Pontifice absolvi posse.

De monialibus.

Quod vero ad moniales ac deo dicatas virgines attinet, id solum nobis commemorandum censuimus, ut episcopi potissimum curent, eos modis omnibus, ad regulæ quam sunt professæ præscriptum inducere, ac earum vitam et mores ex illa componere, fideliterque ab eisdem præcipue servari studeant quæcumque ipsarum peculiaria vota, vel circa ea præcepta respiciunt. Illarum clausuram, ubi violata est, ex injuncto sibi proprio munere diligenter restituat, et inviolatam conservari provideant; necnon quæcumque ad eas perti-

nent, diligentissime exequantur et exequi faciant, juxta sacri Tridentini Concilii saluberrima decreta, ac Sanctissimi Domini nostri Pii Quinti Bullam; atque evitentur in primis, a monialium monasteriis quæcumque castitatis proposito adversari videbuntur, opportunis ordinationibus avertere, atque eas in viam Domini omni studio ac vigilantia dirigere.

De locorum piorum administratione.

Circa locorum piorum administrationem, diligenter animadvertant episcopi, ut probatissimi viri, timorateque conscientie, ad hujusmodi regimen assumantur, qui suæ familiæ bene præsent, quive in operibus charitatis sese consueverint exercere; necnon recte calculandi rationem teneant, nec locorum ipsorum debitores existant; riteque caveant, se fideliter Christi patrimonium administraturos. Illi vero, non ultra triennium, ex sacri Tridentini Concilii decreto, nisi rei necessitas aliud suadeat, administrent; male ablata vel alienata recuperent, fractus in destinatos usus convertant; his præcipue quibus, ex loci instituto tenentur, præsto sint, singulis annis accepti et expensi tabulas proferant, et a deputatis cum ordinarii interventu calculari studeant: ruinosæ ædificia reparent, bonaque ac redditus ipsorum locorum ita gubernari et dispensari satagant, ut vere boni administratores dici possint.

In Hospitalibus ad peregrinorum usum paratis, vere egeni et pauperes recipiantur, circulatores, præstigiatores simulato habitu incedentes, berbularii, atque alii id genus homines, ab hospitio arceantur. Qui vero puellas nobiles ac juvenes secum ducunt, nec de eorum matrimonio constat, ultra unam dormitionem non accipiant. Mares a fœminis prorsus distinguantur, nec viris ad mulieres, vel contra, quamvis jugales sint, honestatis gratia pateat aditus; neque aliqui in Hospitio alantur, nisi necessitatis causa. Pueri quoque a viris, ubi commode fieri potest, secerantur. Immodesti, blasphemæ et inquieti eliminantur, nec validi mendicantes ultra unam noctem recipientur.

Quod ad pauperes infirmos attinet, in locis ad eorum usum deputatis ministri non desint, Christiana pietate præditi, qui necessaria omnia illis subministrent, ea, qua decet charitate, ex his quæ medici decreverint nihil penitus prætermittentes, quod ad infirmorum salutem procurandum pertineat; horas et momenta, rerum qualitates et quantitates diligenter attendant, totque ministros adhibeant, quot infirmorum numero, usui sufficere possint; illud vero maxime ad infirmorum regimen, deputati curent, ut cum primum infirmi ipsi possint, peccata confiteantur, sacramque Eucharistiam sumant.

Illud præterea Hospitalium infirmorum

rectores ac præfecti ipsi animadvertant, ne valetudinarii et convalescentes, nisi posteaquam bene se habuerint ab Hospitio dimittantur, ne vel eos recidivare contingat, atque ita sumptus augeantur, vel in itinere delicere cogantur, quod ipsi Hospitii præfecti quam diligentissime curabunt. Ne vero, dum corporibus fit medicina, animarum cura negligi videatur, sacerdotes non desint, qui Missas, saltem Festis diebus, in loco infirmis ipsis accommodato celebrent, sacramentaque rite et opportune languentibus administrent, atque infirmantibus ad mortem, ad animæ salutem necessaria commemorent, et charitatis officium usque ad vitæ exitum in eos exercent, illorumque nomina, genus et patriam diligenter annotent. Defunctos vero Ecclesiasticæ sepulturae, sacris precibus adhibitis, pie ac religiose mandent.

Circa orphanorum domos, invigilent episcopi atque provideant, propositis excommunicationis atque aliis ex arbitrio pœnis, ne infantes ab illis parentibus exponantur, qui eos, vel ex industria, vel ære proprio alere possunt: fiatque ea de re ab ipsis loci curatoribus diligentissima inquisitio; nec a confessoribus, nisi satisfecerint, absolvantur.

Omnia vero ad ipsorum infantium expositionem usum opportuna, parata et instructa habeantur. Nutrices, præsertim subsidiariæ, donec infantes ipsi baptizentur, et ad alendum tradantur; quod quamprimum a præfectis curatur, debitaque merces nutricibus nullo pacto desit, atque alia pueris necessaria, ne eorum defectu, aut culpa aliqua periclitentur.

Postquam autem ad eam ætatem pervenerint, ut disciplinae sint capaces, tam mares, quam femine, ubi fieri potest et facultates suppetunt, bonis moribus atque artibus, ætati et sexui congruentibus instruantur, donec illis aliter, Deo adjuvante, fuerit provisum.

Curent autem episcopi ne Mendicantes aliqui parochias circumveant, morbum aliquem simulantes, vel aliud quidpiam falso jaectantes, ad decipiendum simplicium animas; sed quod sedate ac pie, sine longa verborum serie eleemosynas petant, sub eorum arbitrii pœna.

Insuper episcopi omnes diligenter sese informare studeant, de vita et moribus Mendicantium, providentes omnino, ut in Paschate communicent; alioquin eos ejici curent. Mandantes Hospitalium præfectis, ne post Pascha aliquos in Hospitio recipiant, quos non constet, aut verissimile sit, eo anno fuisse confessos et Sacram Eucharistiam sumpsisse, vel paratos Ecclesiæ præcepto statim satisfacere.

Montes quoque Pietatis, ubi adsunt, episcopi visitent, et recte administrari curent: ubi vero desunt, eos erigi, atque institui faciant; nec ex mutuo aliquid ultra recipi ab eorum ministris patiantur, quam quod, ex Apostolica

indulgentia, pro eorum labore dari conceditur. Pignora recte ac tuto in loco serventur, debita illis pecuniæ exigantur, necnon legata quæcumque in eam causam facta persolvantur, ac bona stabilia, si qua habent, usurpari minime permittant.

Disciplinatorum præterea Confraternitates, seu Societates, quocumque nomine nuncupentur, ex Sacri Tridentini Concilii præcepto, episcopi visitare non prætermittant, provideantque, ut ab eis charitatis opera, ad quæ tenentur, impleantur, atque ad suarum regularum, si probatæ sint, formam disciplinæ ipsi redigantur ac reformentur; nec ullo pacto differant, si quos in eisdem invenerint, abusus tollere; arctantes eosdem, et ad processiones ordinarias, etiam non vocatos, ad alias vero, quandocumque fuerint evocati, frequenti numero convenire; ac binos graviter, et modeste, compositèque procedere. Quæ si facere neglexerint, atque alia ad eorum officium spectantia implere renuerint, debilis pœnis afficiant. Quod si incorrigibiles sint, ipsorum episcoporum arbitrio extinguantur, atque alia eorum substituantur, prout illis magis expedire videbitur.

Quicumque vero tam in præmissis, quam in aliis quibuscumque Locis Pii administrandis, quovis modo deliquerint; et præsertim, si rationes cum Ordinarii interventu reddere omiserint: duplici pœna, quanti ea res fuerit, atque aliter, pro modo culpæ episcoporum arbitrio afficiantur.

Nolarii quicumque de testamentis, atque aliis dispositionibus, qualescumque sint, in in quibus aliquid Ecclesiis, Hospitalibus, Montibus Pietatis, atque aliis Pii Locis, vel causis relictum fuerit, rogati: teneantur relicta, ac dispositiones hujusmodi his ad quos pertinet, infra mensem, a die quo dispositio aliqua effectum sortiri, ac irrevocabiliter ligare incipit, computandum, deferre, sub dupli pœna, et excommunicationis in subsidium: moneantque eosdem persæpe episcopi, ut in legatis ac dispositionibus hujusmodi opportune deferendis, ea, qua decet solertia, utantur, nec aliqua ratione in suarum animarum perniciem, et ipsorum locorum ac piarum causarum præjudicium, id facere prætermittant.

De Usuris.

Detestabile usurariæ pravitatis crimen abolere cupientes, Ordinarios hortamur enixe, ut a suis ovibus pro eorum prudentia, venenum hoc avertere et extirpare contendant, curantes, ut usurarii ipsi, et quicumque contractus quoquomodo illicitos celebraverint, juxta Canonicas Sanctiones puniantur; necnon et proximate seu mediatores omnes, quicumque sint, ad illicitos contractus, quoscumque fideles

ipsum trahentes, Canonice pœnis afficiantur.

Notariis vero, de contractibus illicitis rogatis, qui ex conscientia plane perspicunt contractuum pravitatem, nihilominus se id scire dissimulantes, instrumenta conticiunt, quæ in eorum superficie suspicione carere videntur, cum tamen venenum latitet; sub pœna juxta sacrorum Canonum formam imponenda, mandamus, et per episcopos mandari exoptamus, ne ullo pacto contractibus, quos ipsi ex animo et conscientia suspectos existimant, vel suspicantur, adstipulari præsumant, præter divinam ultionem, quam incurrent.

De meretricibus et concubinis.

Mulieres quæstum in suo corpore facientes, quæ abominabile sui ipsius præbent exemplum, ab honestarum mulierum viciniis segregari, ac in peculiarias, quo citius fieri poterit, redigi: neenon ubi signum deferre solent, quo ab honestis mulieribus distinguantur, ad illud ferendum cogi mandamus; hortamurque cur jusque loci rectores ac magistratus, ut in hoc tam pro opere exequendo, episcopis præsto esse velint, et quas a fide dignis, diligenti inquisitione adhibita, pro meretricibus haberi compererint, secerni curent, nec aliquorum impietatis defensorum importunas voces audiant.

Digna quoque animadversione concubinariorum et concubinas quascumque, sive soluti, sive conjugati sint, notandos esse præcipimus, juxta sacri Tridentini Concilii decretum; pœnis quoque sacrorum Canonum in eosdem infligendis. Quæ vero conjugatæ mulieres, amatoribus vivere, nec a turpi vita discedere proposuerint; vel e civitatibus et diœcesibus

arceantur, præsertim si notorie incontinenter vivant, vel etiam post triam monitionem pro infamibus habeantur et tractentur.

De Judæis.

Episcopos monemus et hortamur in Domino, ut mandatorum Apostolicorum memores, Bullam a Sanctissimo Domino Nostro Pio Quinto contra Judæos editam, ex sui officii debito publicent, ac pro viribus observari curent.

De Cingaris.

Cingaros, vagorum hominum genus, atque omni impietate referunt, nisi Christiane vixerint, et a superstitionibus ac improbatis vitæ ritibus abstinuerint; ab eorum diœcesibus episcopi, quantum fieri potest, longe arceri curent.

De Bullis Apostolicis publicandis.

Considerantes, quam maxime expediat Apostolicarum Bullarum quarumcumque notitiam ab omnibus haberi, tum ob præcepta, quæ in illis continentur, ut ab omnibus servari possint; tum ob pœnas, quæ in illis infliguntur, ut a singulis evitentur: episcopos a nobis, quam maxime commonendos esse decernimus, prout eodem ex animo commonemus, ut non solum Bullas, de quibus in præsentibus Synodi Decretis sit mentio, publicari, ac pro eorum viribus observari faciant; sed etiam quascumque alias pro tempore promulgari contigerit, easdem summam etiam, ac per capita populis vernacula lingua insinuari, atque illas observandas proponi, sæpiusque eisdem in memoriam revocari studeant.

DECRETUM GENERALE

Postremo, non solum omnia et singula in his Decretis comprehensa, sed et alia quæcumque, tam a sacris Canonibus et Apostolicis Ordinationibus, quam a Generalibus quibusque Conciliis, præsertim a sacrosancta Tridentina Synodo statuta ac definita sunt, sive Dogmata, sive Reformationem, et morum correctionem respiciant, plene atque integre ab omnibus comprovincialibus, episcopis, abbatibus, Capitulis, et aliis Ecclesiasticis personis, quæ etiam ex propria electione huic nostræ metropoli, ex ejusdem Concilii præcepto,

adhæserunt, et quoquo pacto per se, vel eorum idoneos procuratores interfuerunt, aut interesse debuerunt: ac etiam secularibus quibuscumque, quod ad eos attinet, servari debere declaramus sub juris et arbitrii pœnis, salvis in omnibus Constitutionibus ac consuetudinibus Ecclesiarum ætioribus et laudabilioribus.

Hortantes, ac in Domino monentes quoscumque sæculi principes ac potestates, ut Ecclesiasticam immunitatem, quod decet favore, prosequentes, ut juxta ejusdem Tridentini

Concilii Decretum, non solum episcopis munus suum exequi volentibus præsto esse velint; sed nec a magistratibus, et eorum officialibus quibuscumque ullatenus eisdem impediri paliantur, debitis penis eos afficientes, præter excommunicationem, quam ipso facto incurrunr, ex Bulla in Cæna Domini et sacrorum Canonum dispositione.

Mandantes præterea, ut hæc ipsa Decreta, postquam rite publicata fuerint, in suis civitatibus et diocesisbus episcopi quoque publicari ac observari curent: salvo semper ac reservato in omnibus Sanctæ Sedis Apostolicæ, ac Sanctissimæ Domini Nostri Pii Quinti beneplacito, cujus iudicio hæc ipsa emendanda et corrigenda, debita obedientia et reverentia submittimus, ad Dei gloriam et Catholicæ fidei exaltationem.

Ego Julius card. Urbin. archiepiscopus Ravennæ subscripsi.

Ego Joannes card. Moronus episcopus Portuensis, et Ecclesiæ Mutinensis perpetuus administrator eligens, juxta decretum sacri Concilii Tridentini, non subjectus, subscripsi.

Ego Alexander cardinalis Sfortia episcopus Parmen, tanquam eligens, et non suffraganeus, ac repetitis protestationibus alias factis, et non aliter, subscripsi.

Ego Gabriel Paleottus tit. Sancti Joannis et Pauli presbyt. card. Bonon. et princeps, tanquam eligens, juxta decretum Tridentini Concilii, et non subjectus, ac repetitis protestationibus alias factis, et non aliter, subscripsi.

Ego Lelius episcopus Sarsinæ, subscripsi.

Ego Baptista de Grassis episcopus Regien, et princeps, qui ad hanc sanctam Synodum accessi sponte, ex mera electione, juxta formam sacri Concilii Tridentini, et non subjectus, subscripsi.

Ego Alfonsus Roffettus, episcopus Ferrarien. immediate subjectus S. Sedi Apostolicæ soli, juxta formam Concilii Tridentini tanquam eligens, et non aliter, repetitis protestationibus meis alias factis, subscripsi.

Ego Scipio Santacrucius episcopus Cerviensis, qui ad hanc Ravennaten. Synodum, ex electione, juxta Concilium Tridentinum, protestans insuper me non teneri tanquam subjectum, subscripsi.

Ego Julius Parisanus episcopus Ariminensis, immediate subjectus Sedi Apostolicæ, et non suffraganeus, tanquam eligens, semper repetitis protestationibus alias factis, et non aliter, subscripsi.

Ego Julius episcopus Adrien., subscripsi.

Ego Odovardus episcopus Cæsatenen., subscripsi.

Ego Franciscus episcopus Imolen. eligens, juxta decretum sacri Concilii Tridentini, et non subjectus, subscripsi.

Ego Hercules episcopus Comaclen., subscripsi.

Ego Joannes Baptista episcopus Faventia, subscripsi.

Ego Antonius episcopus Forolivien., subscripsi.

Ego Franciscus Rusticucci episcopus Fanen. Sedi Apostolicæ immediate subjectus, metropolitanam Ravenn. Ecclesiam, pro Synodis provincialibus sponte eligens decreta in proxima Synodo approbo et confirmo: conditionibus ac protestationibus meis antea factis semper salvis, et propria, subscripsi.

Ego Joannes Baptista episcopus Ulicen. suffraganeus S. Ravenn. Ecclesiæ, subscripsi.

Ego Joannes Franciscus Abbatia Nonantulen. perpetuus Commendatarius, qui neque monitus, neque citatus, ex libera interfui electione, subscripsi.

Ego Thomas Christinus vicarius, et procurator Reverendissimi Domini Augustini Molignati episcopi Brifinoriensis, nomine d. Reverendissimi Domini episcopi, suscipiens decreta omnia facta et publicata in proxima præterita Provinciali Synodo Ravennaten., subscripsi.

Die X mensis Maii MDLXVIII.

Suprascriptus Illustrissimus et Reverendissimus Dominus archiepiscopus, habita quamprimum notitia de supradictis suprascriptionibus in ejus absentia factis, acceptavit easdem in parte, et partibus, sibi, ac Ecclesiæ suæ favorabilibus tantum: cæteris vero præjudicialibus, inhaerendo respunctionibus, ac protestationibus alias pro ejus parte datis, de quibus in Actis nostrorum notariorum ab initio ab ipsa Provinciali Synodo deputatorum, quas hic pro repetitis habere intendit; nec illas acceptare ullo pacto intendit, nisi quatenus de jure teneatur, et non aliter, alias nec alio modo, necnon omni meliori modo, etc., et propterea intimari mandavit, per publicum Edictum valvis Ecclesiæ suæ Cathedralis Ravennaten. affigen., etc., necnon respective, etc.

Acta fuerunt hæc Ravennæ in palatio archiepiscopali, in mansionibus prædicti Illustrissimi Domini Nostri archiepiscopi, præsentibus ibidem Rev. Domino Gregorio Formicino, et magnifico Equite Flaminio Casabeno Ferrariense, testibus ad prædicta habitis, vocatis atque rogatis.

Et ego Silvester Bondem. Ravenn. notarius archiepiscopalis rogatus fui, una cum infra-scripto domino Petro Tizzono.

Et Ego Petrus Tizzonus Ravenn. notarius curiæ archiepiscopalis, una cum prædicto Silvestro rogatus fui, etc.

Lecta et publicata fuerunt supradicta omnia decreta, et Constitutiones in Provinciali Ravennaten. Synodo, ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino Julio Feltrio de Ruvère,

tituli S. Petri ad Vincula S. R. E. presbytero cardinali de Urbin. nuncupato, ac Sanctæ Ravennat. Ecclesie archiepiscopo congregata in dicta Ecclesia metropolitana Ravennat. in secunda, scilicet, et ultima Sessione ejusdem Synodi, celebratis sub die sexta, et nona respective mensis Maii anni millesimi quingentesimi sexagesimi octavi, currente Indictione xi, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, et Domini Nostri D. Pii Divina providentia Papa Quinti, anno ejus tertio, presentibus, consentientibus, approbantibus, et recipientibus infrascriptis reverendissimis patribus, videlicet Illustrissimo, et Reverendissimo D. Archiepiscopo prefato, Illustrissimo, et Reverendissimo D. Joanne Morono, perpetuo administratore Ecclesie Mutinen., Illustrissimo, et Reverendissimo Alexandro Cardinali Sfortia episcopo Parmen., Illustrissimo, et Reverendissimo D. Gabriele Paleotto episcopo Bononien., Reverendissimis episcopis Lelio Sarsinaten., Baptista Regiense, Alfonso Ferrarien.; Scipione Cervien., Julio Ariminen., Julio Adrien., Odoardo Casenaten., Francisco Imolen., Hercule Comaclen., Joanne Baptista Faventin., Antonio Forolivien., Francisco Faven., Joanne Baptista Uticen. suffraganeo Ravennat., et Reverend. Domino Joanne Francisco Abbate Nonantulano; ac presente Reverend. Domino Thoma Christino, procuratore Illumi, et Rmi. D. episcopi Britinorien. absentis, ad ipsius D. episcopi absentie causas allegandum, et Synodi Decreta ejus nomine suscipiendum destinato; prout constat de ejus procuræ mandato, ex Instrumento rogato per Ser. Baldassarem Frailiglerum notarium publicum Britinorien. per eum in publicam formam exhibito, et existente penes nos notarios Synodales infrascriptos: de premissa lectione et publicatione rogatos, sub diebus, anno, et loco, ac currente Indictione et Pontificatu suprascriptis.

Præsentibus vero ibidem, quoad dictam diem sextam, Domino Hieronymo Rubeo,

Artium, et Med. Doc. egregio. Not., Ser. Petro Bellramino civibus Ravennat., et D. Joanne Maltheo Benato Pisaorien. continuo habitatore d. Civitatis Ravennæ. Quo vero ad diem nonam predictam, presentibus magnifico Domino Scipione Forastiero L. V. Doct. Fanen. locumtenente Generali Reverendissimi D. Præsidis Romandiolæ. Reverend. Domino Gregorio Formicino, et L. V. Doc. et Clerico Romano. Magistro Equite D. Francisco Maria Sanfercolo Urbinaten., necnon, et prefato Ser. Petro Bellramino notario, et cive predicto, testibus ad premissa omnia, et singula respective et per nos ipsos notarios vocatis, habitique, et specialiter rogatis.

Et ego Sylvester filius quondam magnifici viri D. Vincentii de Bondemanis civis Ravennæ publ. utraque auctoritate notarius ac iudex ordinarius, et in Archivio Rom. Cur. matriculatus die viii Martii MDLXVI, ut patet in libro sexto Matriculorum d. Archivii, fol. 73, necnon Curie archiepiscopalis Ravennæ cancellarius, et scriba, dictæque Provincialis Synodi Ravennat. una cum infrascripto Ser. Petro Tizzono altero notario deputatus, quia premissis lectioni et publicationi sic, ut premititur, factis deputatus fui, et præsens una cum testibus prænominatis, et de eis rogatus extiti: ideo præinsertum Instrumentum mea manu scriptum subscripsi, et publicavi in fidem præmissorum omnium rogatus et requisitus, etc.

Et ego Petrus filius quondam magistri viri D. Alberti de Tizzonis, civis Ravennas, publicus Apostolica auctoritate notarius et iudex ordinarius, necnon ejusdem Synodi una cum prefato Ser. Silvestro Bondemano notarius deputatus, prædictis omnibus et singulis, dum legerentur et publicarentur, ut supra, una cum prænominatis testibus præsens fui, et de eis rogatus extiti, una cum prefato Ser. Silvestro, ideo hic manu propria me subscripsi, et signum meum consuetum in margine apposui, in fidem præmissorum rogatus et requisitus, etc.

CONGREGATIONIS
SANCTÆ CRUCIS
FONTIS AVELLANÆ
A PIO V PONT. MAX.
sub anno 1569 suppressæ
VETERA MONUMENTA
EX TABULARIO
ECCLESIAE EUGUBINÆ
ACCEPTA

Fridericus, divina favente clementia, Romanorum imperator Augustus.

Ad temporalis regni gloriam, et æternæ retributionis meritum apud Regem regum, nobis proficere credimus, si piis et religiosis locis sollicitè provideamus, et Deo in his famulantes, ab infestatione malorum hominum securos et quietos nostræ defensionis munimine reddamus. Quia ergo Fratres de Eremo Fontis Avellanæ, sacris operibus jugiter insudare, et bona fama in domo Dei flagrare intelleximus; dignum duximus ampliori Nostræ Serenitatis clementia, locum et possessiones eorum intueri, et propensioris gratiæ beneficio, personas et res eorum manutene. Notum igitur facimus omnibus Christi et imperii nostri fidelibus, tam futuris quam presentibus, quod nos præfatam Ecclesiam, scilicet Eremum Fontis Avellanæ, cum universis ejus pertinentiis, in nostræ tuitionis speciale patrocinium, tanta benevolentia suscepimus, ut omnia eidem Ecclesiæ et Fratribus inibi Deo servientibus spectantia, ea pace, quæ rebus fisci nostri debeat, semper perfrui velimus. Quapropter omnibus imperii nostri fidelibus, Marchionibus, Comitibus, Civitatum Consulibus, Capitaneis, Vasasoribus, et universis publicam administrationem gerentibus, et cæteris quibuslibet hominibus, sub debito fidelitatis, qua imperio adstricti sunt, firmiter præcipiendo, mandamus, quatenus nihil unquam de omnibus possessionibus, quæ præfatis attinent fratribus, violenter, aut contra voluntatem eorundem fratrum contingant, aut tollant; ac eos, tam in hominibus, quam in animalibus, tam in ædibus quam in agris, in omnibus omnino rebus, et locis

ad eorum jus pertinentibus, nulla prorsus tributorum, vel angariarum, aliorumve servitorum exactione molestant: quoniam nos eosdem fratres, et eorum homines, ac possessiones ipsorum, ab his exactioibus liberos esse decernimus, et immunes fore statuimus. De Fodro autem Regali, hanc eisdem Fratribus indulgemus et concedimus commoditatem, quatenus id de eorum manualibus, et quibuslibet ipsorum Ecclesiis, ac terris, et hominibus, ubicumque proprias, et eis specialiter pertinentes habent possessiones; nec Marchio, nec Comes, nec Capitaneus, nec ullus Consulatus, aut Potestas, nec aliqua penitus exigat persona; sed tempore, quo illud dandum est, fratres prædicti, id per omnes suos homines fideliter colligant, ac inde nulli hominum, nisi aut certo misso nostro, ad hoc nominatim a nobis destinato, respondeant. In ejusdem quoque Fodri collectione, talem eis modum, ex gratia nostra imponimus, et definimus, ut a singulis hominum suorum focis, qui ipsis, scilicet fratribus specialiter attinent, denarios tantum duodecim recipiant, et eos misso nostro præsentent; et ultra hanc mensuram, nulla hac ratione graventur. Insuper jubemus, ut liceat eisdem fratribus, homines ipsorum super sua, id est, Ecclesiæ illius bona, de loco ad locum, pro libito suo tranferre, et ad utilitatem Ecclesiæ transmutare, nullo vetante vel impediante. Præterea statuimus, ut nullus judicium, tam de civitatibus, quam de forinsecis locis, habeat potestatem vindicandi, vel ad iudicium vocandi homines prædictæ Ecclesiæ, nisi causa prius

fuerit ad priorem, et fratres perlata, et ab eis emendatio, vel secundum iustitiam, vel amicabilem compositionem, reverenter et benigne requisita. Præcipimus etiam firmissime omnibus iudicibus, tam in civitatibus, quam extra per castella et villas constitutis, si quando contigerit prædictos fratres proclamationem super illatis sibi injuriis facere; ut statim iudices celeri eis iustitia subveniant, et præsens promptumque juris auxilium, contra adversantium violentias, eis efficaciter impendant. Insuper statuimus, ut ipsi fratres, in causis civilibus sacramentum calumnie præstare non cogantur, et quod eis nulla temporis præscriptio objiciatur, nisi centum annorum. Præcipimus etiam ejusdem Ecclesiæ patronis, firmiter injungentes, qualenus prædictam Ecclesiam, nec in hominibus, nec in ullis rebus aliqua molestia vexare præsumant. Eisdem patronis, et nostris simul nuntiis et cæteris imperii fidelibus diligenter injungimus, ut eandem S. Crucis Ecclesiam de Eremo Fontis Avellanæ, per omnes personas ac pertinentias ejus manuteneant, fovere, et ab omni incursu violentiæ semper defendere studeant. Confirmamus etiam eidem Ecclesiæ omnes ejus possessiones, et quascumque deinceps juste et rationabiliter acquirat, ac ipsi pacem, in eis, et quietem, nostræ auctoritatis edicto stabilimus. Si quis vero prætaxatis elementis nostræ statuti ausu temerario contraire præsumperit, pœna quinquaginta librarum auri sit condemnatus: quarum medietas fisco nostro, residua præfate Ecclesiæ exhibeatur. Et autem hæc nostra Institutio rata in perpetuum habeatur, præsentis Privilegii paginam fecimus inde scribi, et aurea bulla de Nostræ Majestatis sigillo roborari. Volumus autem prædictos fratres hujus Privilegii donationibus uti in bonis illis, quæ ipsi jure proprio ad manus suas tenent, non autem in his, quæ, ex oblationibus fidelium, pro certo Canone perceperunt. Hujus testes sunt:

Christianus Maguntinæ sedis archiepiscopus.

Berardus Merseburgensis episcopus.

Adelo Hildelheim episcopus.

Florentius comes Hollandiæ.

Couradus de Belal.

Signum D. Friderici, Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Godefridus cancellarius, vice Philippi Coloniensis archiepiscopi, et Italici regni Archi-Cancellarii recognovi.

Notarii. Rodolphus Henricus Wiricus, et Burchardus; qui scripsit privilegium, Valters Comes Fanensis, Rodigerius Comes Eugubinus, Paganellus de Montelboto, Germanus Judex de Fano, et alii quamplures.

Acta sunt hæc anno Domini MCLXXVII, Indictione decima, regnante D. Friderico, Ro-

manorum imperatore gloriosissimo, anno regni ejus xxvi Imperii. Datum Cucurani XI Kalend. Aprilis.

Fridericus Dei gratia, Romanorum imperator, et semper Augustus.

DIPLOMA SECUNDUM

Cum Ecclesiis, et Ecclesiasticis personis, præcipue autem viris Deo et hominibus probatæ Religionis, virtutem atque favorem imperatoris Majestatis impendimus, indubitanter gratum Deo nos præstare credimus obsequium, ut præsentis vitæ curriculum feliciori prosperitate peragamus, et æternæ retributionis merita certiori fiducia recipere valeamus. Eapropter notum facimus universis fidelibus imperii, præsentibus et futuris, et nominatim dilectis nostris Bertoldo legato Italiae, et Conrado Duci Spoletano, et Marchioni Duci Anconitano, eorumque successoribus, et omnibus Majestatis nostræ legalis, qui nunc sunt, et postmodum in Italia futuri sunt. Quod nos Monasterium S. Crucis, et Heremum Fontis Avellanæ, et Fratres inibi divinis mancipatos et mancipandos obsequiis, sub protectione Majestatis nostræ suscepimus, et omnia ipsorum bona mobilia ac immobilia, quæ nunc habent, vel imposterum, præstante Domino, sunt habituri, et nominatim hospitale apud Æsinum cum pertinentiis suis similiter eidem tuitioni nostræ subijcimus. Ad augmentum quoque nostræ imperialis gratiæ concedimus eis, quidquid juris habemus in bonis et possessionibus eorum, salva dignitate, et fodo imperialis justitiæ, sicuti in privilegio continetur, a Majestate nostra eis indulto. Statuimus itaque et imperiali auctoritate sancimus, ut omnes nuntii, et principes nostri, qui nunc in Italia sunt, et eis undecumque successuri sunt, personas, et omnia ipsorum bona pie manuteneant, et ab omni incursu et direptione malignantium viriliter defendant. Ad hoc autem præcipimus, ut nullus Dux, nullus Marchio, nullus Comes, neque capitaneus, nullus consulatus, nullum commune, nulla civitas, sive potestas, nulla denique persona parva vel magna, sæcularis vel Ecclesiastica, hanc propitiacionis nostræ paginam audeat violare, nec aliquibus calumniis injuriarum seu damnis præsumat attentare. Quod qui fecerit, in ultionem temeritatis suæ sexaginta libras auri puri pro pœna componat: dimidium imperiali cameræ, et reliquam personis injuriam passis. Hujus rei testes sunt:

Bonifacius Novariensis episcopus.

Anselmus Fulginensis episcopus.

Bertoldus legatus Italiae.

Anselmus frater ejus.

Fridericus præpositus S. Thomæ in Argentina.

Bertoldus de Rotuvil.

Gherardus de Eistede Ottobellus.

Albertus Ferrariensis et Grossus iudices curie.

Datum apud Fulgineum anno Dominicæ Incarnationis MCLXXXV, Indictione IV, secundo kal. Septembris.

DIPLOMA TERTIUM

Philippus Dei gratia Dux Tusciae.

Ad temporalis regni gloriam, et aeternae retributionis meritum, apud Regem regum nobis proficere credimus, si piis et religiosis locis sollicitè provideamus, et Deo in his famulantes, ab infestatione malorum hominum securos et quietos, nostræ defensionis munimine reddamus. His autem præcipue nostræ benignitatis clementia libentius debemus imperitari, quibus suæ religionis et honestæ conversationis intuitu, Serenissimum Principem nostrum Federicum, et fratrem nostrum Henricum imperatores Romanorum Augustos, propensiore imperialis excellentiæ suæ gratiam, et defensionis suæ protectionem contulisse cognoscimus. Quia ergo fratres de Heremo Fontis Avellanæ, sacris operibus jugiter insudare, et bona fama in domo Dei flagrare intelleximus; dignum duximus, ampliori nostræ serenitatis clementia, locum et possessiones eorum tueri, et propensioris gratiæ beneficio, personas et res ipsorum una cum excellentissimo principe nostro, et fratre nostro Romanorum imperatoribus Augustis manuteneri. Notam igitur facimus omnibus Christi et imperii fidelibus, tam futuris quam presentibus, quod nos præfatam Ecclesiam, scilicet Heremum Fontis Avellanæ, cum universis ejus pertinentiis in nostræ tuitionis speciale patrocinium, una cum prædictis patre nostro et fratre tanta benevolentia suscepimus, ut omnia eidem Ecclesiæ et fratribus omnibus Deo servantibus spectantia, ea pace, quæ rebus fisci nostri debetur semper perfrui velimus. Eapropter omnibus imperii fidelibus Marchionibus, Comitibus, civitatum Consulibus, Capitaneis, Valvasoribus, et universis publicam administrationem gerentibus, et cæteris quibuslibet hominibus, sub debito fidelitatis, quo adstricti sunt, firmiter præcipiendo, mandamus, quatenus nihil unquam de omnibus possessionibus, quæ præfatis pertinent fratribus violenter, aut contra voluntates eorundem fratrum, contingant, aut tollant, ac eos tam in hominibus, quam in animalibus, tam in ædibus, quam in agris, in omnibus omnino rebus et locis, ad jus eorum pertinentibus, nulla prorsus tributorum vel angariarum, aliorumve servitiorum exactione molestant, quoniam nos eosdem fratres, ac possessiones ipsorum, liberas de

cætero et immunes fore statuimus. Ad augmentum quoque nostræ gratiæ, de Fodro Regali hanc eidem fratribus indulgentis, et concedimus commoditatem, quatenus id de eorum manualibus, et quibuslibet ipsorum Ecclesiis et terris, et omnibus ubicumque proprias et eis specialiter pertinentes habent possessiones, nec Marchio, nec Comes, nec Capitaneus, nec ullus Consulatus, aut Potestas, nec aliqua penitus exigat persona; sed tempore quo illud dandum est, fratres id per omnes homines, quos fideliter colligant, et de ipso ob salutem animæ nostræ, ad utilitatem Ecclesiæ suæ disponant. In ejusdem quoque Fodri collectione, talem eis modum imponimus, et definimus, ut a singulis hominum suorum focis, qui ipsis scilicet fratribus specialiter attinent, denarios duodecim recipiant, et de his ad utilitatem Ecclesiæ suæ disponant, ut supra dictum est, ac provideant; et ipsi fratres, vel eorum homines, ultra hanc mensuram a nostris nuntiis, vel a quibuscumque aliis, nulla datione graventur. Insuper jubemus, ut liceat eidem fratribus homines ipsorum, super sua, id est, Ecclesiæ illius bona, de loco ad locum, pro libito suo transferre, et ad utilitatem suam transmittere, nullo vetante vel impediante. Præterea statuimus, ut nullus iudicium, tam de civitatibus, quam de forinsecis locis habeat potestatem judicandi, vel ad iudicium vocandi homines prædictæ Ecclesiæ, nisi causa prius fuerit ad priorem et fratres perlata, et ab eis emendatio, vel secundum justitiam, vel secundum amicabilem compositionem reverenter et benigne requisita. Præcipimus etiam firmissime omnibus iudicibus, tam in civitatibus, quam extra castella et villas constitutis, si quando contigerit prædictis fratribus proclamationem super illatis sibi injuriis facere; ut statim iudices celeri eis justitia subveniant, et præsens promptumque juris auxilium, contra adversantium violentias eis efficaciter impendant. Insuper statuimus, ut ipsi fratres, in causis civilibus sacramentum calumniæ præstare non cogantur, et quod eis nulla præscriptio temporis obiciatur, nisi centum annorum. Præcipimus etiam ejusdem Ecclesiæ principibus firmiter injungentes, quatenus prædictam Ecclesiam, vel in hominibus, vel in ullis eorum rebus ipsius, aliqua molestia vexare non præsumant; eidem principibus, et nostris simul nuntiis, et cæteris fidelibus ditigenter injungimus, ut eandem S. Crucis Ecclesiam de Heremo Fontis Avellanæ, per omnes personas, ac pertinentias ejus, et ab omni incurso violentiæ semper defendere studeant. Confirmamus etiam eidem Ecclesiæ, omnes ejus possessiones, quas hætenus tenuit et possedit, et quas deinceps juste et rationabiliter acquirat, ac ipsi pacem et quietem in eis nostræ auctoritatis Edicto

stabilimus. Præterea concedimus et confirmamus ipsius Ecclesiæ omnes homines, et possessiones, quas nunc habet, vel imposterum juste est habitura, et quidquid in eis juris habemus, ipsi conferimus. Si quis vero prænaratis clementiæ nostræ statutis, ausu temerario, contraire præsumperit, pœna quinquaginta librarum auri puri sit condemnatus: quarum medietas fisco nostro, residua præfatæ Ecclesiæ exhibeatur. Et autem hæc nostra institutio rata in perpetuum habeatur, præsentis privilegii paginam fecimus inde conscribi, et nostræ Majestatis sigillo roborari. Volumus autem prædictos fratres hujus privilegii donationibus uti in bonis illis, quæ ipsi jure proprio ad manus suas tenent; non autem in his, quæ ex oblationibus fidelium, pro certo canone receperunt.

Hujus rei testes sunt:

Petrus urbis præfectus, et
Comes Ildibrandinus, et
Comes Manente,
Armanus de Catena seneschalcus.
Raynaldus de Castilione.
Ugolinus Latini.

Wido de Cisterna, et alii quamplures.

Acta sunt hæc, anno Dominice Incarnationis mxcv, Indictione xiii, anno ii, Ducatus ejus primo, in obsidione Perusie, kalendis Julii.

DIPLOMA QUARTUM

Otho IV, divina favente clementia, Romanorum imperator semper Augustus.

Ad temporalis regni gloriam, et æternæ retributionis meritum apud Regem regum nobis proficere credimus, si piis et religiosis locis sollicitè provideamus, et Domino in his famulantes, ab infestatione malorum hominum securos et quietos, nostræ defensionis munimine reddamus. His autem præcipue imperialis benignitatis clementia libentius debemus impartiri, quibus suæ religionis, et honestæ conversationis intuitu, prædecessores nostros Federicum et Henricum imperatores Augustos, propensiorum imperialis eminentiæ gratiam, et defensionis suæ protectionem contulisse cognoscimus. Quia ergo Fratres de Heremo Fontis Avellanæ, sacris operibus jugiter insudare, et bona fama in domo Domini flagrare intelleximus, dignum duximus ampliori nostræ serenitatis clementia, locum et possessiones eorum tueri, et propensioris gratiæ beneficio, personas et res ipsorum commendatas habere, et specialiter semper manu tenere. Notum igitur facimus omnibus Christi et imperii nostri fidelibus tam præsentibus quam futuris, quod nos præfatam Ecclesiam, scilicet Heremum Fontis Avellanæ, cum universis ejus pertinentiis, in nostræ tuitionis speciale patrocinium tanta benevolentia suscepimus, ut omnia eidem

Ecclesiæ et Fratribus omnibus Deo servientibus, tam in capite quam in membris spectantia, ea pace quæ rebus fisci nostri debetur, semper perfrui velimus. Eapropter omnibus imperii nostri fidelibus Marchionibus, Comitibus, civitatum Consulibus, Capitaneis, Valvasoribus, et universis publicam administrationem gerentibus, et cæteris quibuscumque hominibus, sub debito fidelitatis, quo imperio adstricti sunt, firmiter præcipiendo mandamus, quatenus, nihil unquam de omnibus possessionibus, quæ præfatis attinent Fratribus, violenter, aut contra voluntatem ipsorum contingant, aut tollant, et eos tam in hominibus, quam in animalibus, tam in ædibus quam in agris, in omnibus omnino rebus, et locis ad jus eorum pertinentibus, nulla prorsus tributorum vel angariarum aliorumve serviliorum exactio molestent; quoniam nos eosdem fratres, ac possessiones eorum, ab his exactioibus, decreto hoc, immunes fore statuimus. Ad augmentum quoque imperialis gratiæ, de fœdore imperiali hæc eisdem Fratribus indulgemus et concedimus commoditatem, quatenus id de eorum manualibus et quibuscumque ipsorum Ecclesiis, et terris, et hominibus, ubicumque proprias et eis specialiter attinentes habent possessiones, nec Marchio, nec Comes, nec Capitaneus, nec ullus Consulatus, aut Potestas, nec aliqua penitus exigat persona, sed tempore quo illud dandum est, Fratres prædicti id per omnes homines suos fideliter colligant, et de ipso, ob salutem animæ nostræ, ad utilitatem Ecclesiæ suæ disponent, et ipsi Fratres, et eorum homines, a nostris nuntiis, vel a quibuscumque aliis, nulla datione graventur. Insuper jubemus, ut liceat eisdem Fratribus homines ipsorum super sua, id est, Ecclesiæ illius bona, de loco ad locum pro libito suo transferre, et ad utilitatem suam transmittere, nullo vetante, vel impediante. Præterea statuimus, ut nullus judicium tam de civitatibus, quam de forinsecis locis habeat potestatem judicandi, vel ad judicium vocandi homines prædictæ Ecclesiæ, nisi causa prius fuerit ad priorem et Fratres perlata, et ab eis commendatio, vel secundum justitiam, aut secundum amicabilem compositionem reverenter et benigne requisita. Præcipimus etiam firmissime omnibus judicibus, tam in civitatibus quam extra, per castella et villas constitutis, si quando confligerit prædictos Fratres proclamationem super illatis injuriis facere, ut statim iudices ceteri eis justitia subveniant, et præsens promptumque juris auxilium, contra adversantium molestias eis efficaciter impendant. Insuper statuimus, ut ipsi Fratres in causis civilibus juramentum calumniæ præstare non cogantur, et quod eis nulla præscriptio temporis obijciatur, nisi centum annorum, quæ

tam præterita tempora quam futura complectatur; et nulla civitas vel castrum suo statuto vel consuetudine possit contra ista in aliquo venire, et hæc omnia ex certa nostra scientia concedimus, et proprio motu statuimus. Præcipimus etiam, ejusdem Ecclesiæ personis firmiter injungentes, quatenus prædictam Ecclesiam, vel in omnibus, vel in ullis eorum rebus ipsius, aliqua molestia vexare non præsumant, eisdem personis, et nostris simul nuntiis, et cæteris imperii fidelibus diligenter injungimus, ut eandem S. Crucis Ecclesiam de Heremo Fontis Avellanæ, per omnes personas, ac pertinentias ejus, et ab omni incurso violentiæ semper defensare studeant. Confirmamus etiam eidem Ecclesiæ omnes ejus possessiones, quas hactenus tenuit et possedit, et quas deinceps juste et rationabiliter acquirat, ac ipsi pacem in eis et quietem nostræ auctoritatis edicto stabilimus; propterea concedimus et confirmamus ipsi Ecclesiæ omnes homines et possessiones, quas nunc habet, vel imposterum juste est habitura, et quidquid in eis juris habemus, ipsi conferimus, et nominatim hospitale apud Æsinum cum universis suis pertinentiis. Præcipimus quoque, ut nulla omnino persona, super homines, Monasteria, Capellas, et possessiones, ac res ipsorum usufructuarias vel commendatitias, vel alia indebita præsumat imponere, vel injuste imposita exercere. Insuper priori, et Fratibus ejusdem Monasterii, de nostra benignitate concedimus, quatenus possessiones Monasterii, cum ad ipsum juste et legitime devolvuntur, auctoritate sua earum inirent possessionem, et attestaciones, quas produxerint in suis postquam fuerint authenticæ, super eisdem causis, postmodum sine iteratione juramenti licite perducant. Si quis vero prænarratis clementiæ nostræ statutis, ausu temerario contraire præsumpserit, pœna quinquaginta librarum auri puri sit condemnatus. Quarum medietas fisco nostro, residua præfate Ecclesiæ exhibeatur. Ut autem hæc nostra confirmatio rata in perpetuum habeatur; præsentis Privilegii paginam fecimus inde conscribi, et nostræ majestatis sigillo roborari. Volumus autem prædictos Fratres hujus Privilegii donationibus uti in bonis illis, quæ ipsi jure proprio ad manus suas habent, non autem in his quæ ex oblationibus fidelium pro certo canone receperunt.

Hujus rei testes sunt:

Wolfgangus patriarcha Aquileiens.
 Albertus Magdeburgens. archiepiscopus.
 Otho Wirzebergen. episcopus.
 Manegoldus Patavien. episcopus.
 Ludovicus Dux Baviariæ.
 Bernardus Dux Carinthiæ.
 Azzo Marchio Asten.
 Comes Armannus de Witgimber.

Comes Albertus de Diligne.

Ezzellinus de Tanesio.

Enricus Marescalchus imperii.

Enricus Camerarius imperii.

Passaverra et Monachus de Villa iudices curiæ nostræ, et alii quamplures.

Signum D. Othonis IV Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Corradus Spiren. episcopus, imperialis aula cancellarius vice domini Theodorici Coloniensis archiepiscopi, et totius Italiæ archicancellarii, recognovi.

Acta sunt autem hæc anno Domini MCCXVII, regnante domino Othone, glorioso Romanorum imperatore, anno imperii ejus primo. Datum in Castro S. Miniatis, IV kalend. Novembris Indict. XIII.

BULLA PRIMA

Bonifacius episcopus, servus servorum Dei.

Dilectis filiis Priori et Conventui Heremi S. Crucis Fontis Avellanæ, per Priorem solitiæ gubernari, Ordinis S. Benedicti, Eugubiniæ diœcesis, salutem, et Apostolicam benedictionem. Suadet honestas, et debitum multiplicis rationis exposcit, ut loca religiosa, et personæ, sub religionis observantia in eis, virtutum Domino famulantes, quæ sub asperitatum sarcina circa divina obsequia, devota sedulitate laborant, benignis favoribus, et gratiarum ac privilegiorum exhibitionibus per Sedem Apostolicam foveantur, ut eo suavius personæ ipsæ jugum Domini perferant, quo quietius vivere poterunt, dum se, ac hujusmodi loca, eorum prærogativa libertatum immunitatumque noverint communita. Quapropter ejusdem Sedis circumspicua benignitas agendorum conditionem locorum, et merita personarum cum summa deliberatione discutens, et nonnunquam in specialitate ad id extendens piæ ac providæ considerationis intuitum, quamvis super universas orbis Ecclesias ordinariæ potestatis obtineat principatum, aliquas tamen interdum, de suæ potestatis plenitudine specialius sibi subdit, sic eas a cujuslibet alterius jurisdictione prorsus eripiens, ut nullum sibi, nisi Romanum Pontificem superiorem et dominum recognoscant: constituere ipsas quodam singulari Privilegio, liberas penitus et exemptas. Nos quidem ad Apostolicæ dignitatis apicem superna dispositione vocati, ex incumbenti nobis Pastoralis Officii debito, circa omnium Ecclesiarum statum solertem considerationem, gentium ad vos et heremum vestram instantiam, propensioris sollicitudinis excitamur, et tanto libentius et favorabilius quietis vestræ commoda vestraq; incrementa promovemus, quanto peramplius venerandæ Crucis, et beati Benedicti recolendas memorias revereremur, quantoque benigne vos et heremum prælibatam, de quorum fama laudabili virtutum

exercitio fragantia suavitatis accepimus, paternæ complectimur affectibus charitatis. Sane intimantibus vobis nuper accepimus quod licet ipsa heremus vestra, et vos, ac prædecessores vestri, qui fuerunt pro tempore, cuius memoria non existit, quia tamen venerabilis Fr. noster Eugubinus episcopus diocæsanus vester, et nonnulli alii diocæsani episcopi, in quorum civitatibus et diocæsibus, Monasteria, Prioratus Ecclesiæ, Cappellæ membra, et alia loca ad heremum ipsam spectantia consistere dignoscuntur, vos super Monasteriis, Prioratibus, Ecclesiis, Cappellis, membris, et locis prædictis, ac possessionibus, et bonis eorum, necnon personis in illis morantibus nonnunquam molestiis impetere, gravaminibus opprimere, ac iniuriis et jacturis affligere multipliciter præsumperunt vos, ob hoc nunc hinc, nunc inde in vobis et prædictis personis, vexationibus et angustiis fatigati; vos, ut personas easdem, a vexationibus hujusmodi redimentes, nonnullas pactiones et conventiones, ratione Monasteriorum, Prioratum, Ecclesiarum, Cappellarum, membrorum, locorum, possessionum, et bonorum prædictorum, estis cum diocæsani ipsius, vel eorum aliquibus inire coacti, et cessare frequenter etiam a divinis. Quare nobis humiliter supplicastis, ut providere vobis imposte-
 rum super his, per exemptionis privilegium misericorditer dignemur. Nos itaque pio vobis et personis præfatis compatientes affectu, ut vos ac prædictam vestram heremum condignis efferre honoribus, et communire libertatibus cupientes, ut quominus aliorum molestiis turbati fueritis, eo amplius valeatis, divina favente gratia, spiritualiter et specialiter prosperari, ut in d. Sedis sinu plenius quiescatis: vos, et ipsam heremum cum prædictis et omnibus aliis vestris Monasteriis, Prioratibus, membris, Ecclesiis, Cappellis, Hospitalibus, castris, villis, massariis, domibus, grangiis, terris, possessionibus, redditibus, et quibuscumque bonis ad vos et heremum ipsam impræsentiarum spectantibus, ac his quæ, et largitione principum, collatione fidelium, et aliis justis modis et titulis in posterum, dante Domino, poteritis adipisci, in quibuscumque sint, vel fuerint, diocæsibus constituta, et omnibus personis vestri Ordinis vobis subjectis degen-
 tibus, in eisdem ab omni potestate, jurisdictione atque dominio tam prædicti episcopi Eugubini, quam dilector. filior. Capituli Ecclesiæ Eugubinæ, et quorumlibet episcoporum, archiepiscoporum, Capitulorum, Abbatum, et Prælatorum, ac Officialium suorum, et aliarum quarumlibet Ecclesiasticarum personarum absolvimus, eximimus et perpetuo liberamus, de Apostolicæ plenitudine potestatis, ac ea omnia totaliter ac immediate soli dumtaxat Romano Pontifici, et præfate Sedi decernimus subjacere

et specialiter juris Beati Petri existere. Itaque nec idem episcopus Eugubinus, nec quivis alius ex eisdem archiepiscopis, episcopis, Capitulis, Abbatibus, Prælatibus, et Officialibus jure ordinario, seu diocæsano, nec quævis alia persona Ecclesiastica in vos Priorem, et Conventum, et præfatam heremum, aut quævis alia Monasteria, Prioratus, membra, Ecclesias, cappellas, vel loca, seu bona prædicta ad vos et heremum eandem spectantia, seu quæ spectabunt imposterum quoquo modo, vel in vestros et heremi prædictæ subjectos; et personas præfatas, cujuscumque status et conditionis existant et potestatis, omnino libera, et exempta, et præfate Sedi Apostolicæ immediate subjecta, possint ullatenus, et quacumque occasione, vel ea jurisdictionem aliquam, vel potestatem, sive dominium sibi vindicare, executionem facere, collectas imponere, obedientias vel procuraciones exigere, visitationes et correctiones facere, aut censuram Ecclesiasticam quomodolibet exercere, aut in vestris Ecclesiis cappellanos, seu vicarios eligere, vel substituere, vel vos, aut alios, supradicta ratione delicti, vel contractus, aut rei, de qua contra vos, vel ipsos in tempore ageretur in loco exemplo, vel non exempto, ad iudicium evocare, aut parochianos prædictarum Ecclesiarum subiectarum vobis directe vel indirecte quomodolibet cohibere, quod ad Ecclesias ipsas non accedant ad divina officia audiendi, seu quod non sepeliatur in eis, quarum sepulturas liberas esse decernimus, tam ipsis parochianis, quam aliis qui ex devotione ibi elegerint sepeliri, salva tamen quoad tales iustitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur, quod quam in parochiis Ecclesiarum vestrarum nulli liceat Ecclesiam, Oratorium, Campanile, vel Altare erigere, seu impetrate Ecclesias, vel Cappellas ejusdem heremi, et membrorum ipsius, sine mandato prædictæ Sedi Apostolicæ specialiter faciente plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de præsentem Privilegium mentionem. Concedimus etiam vobis, ut in prædiis propriis ob necessitatem vestram Ecclesias construere valeatis. Nos enim excommunicationum, suspensionum, interdicti sententias quas, contra tenorem exemptionis hujusmodi promulgari, et processus quoslibet, quos contra præmissa fieri contigerit, et haberi, ex nunc irritos decernimus, et inanes, et nullius penitus existere firmitatis. Præterea Chrisma, Oleum Sacrum, consecrationes Altarium, Ordinationes monachorum et clericorum qui fuerint ad Ordines promovendi vos a prædicto episcopo Eugubino, et alii prædicti vobis subjecti qui sunt, et qui fuerint imposterum a diocæsani suis suscipietis, si episcopus, et diocæsani prædicti gratiam cognitione præfate Sedi habuerit, et ea gratis, et absque pravitate aliqua vobis et

illis voluerint impartiri. Alioquin vos, et ipsi quoscumque matueritis Catholicos adeatis anastites, qui nostra freti auctoritate, quod postulatur indulgeant, nec id vobis, vel eis audeant aliquatenus denegare. Non obstantibus prædictis et quibuscumque compositionibus, pactionibus, ordinationibus, processibus, sententiis, Constitutionibus, et consuetudinibus super his in quantum, quocumque modo vel tempore hactenus habitis, editis, vel obtentis, etiam si causa pendeat super eis, in quocumque foro, vel coram quocumque iudice aut quibuscumque litteris et indultis Apostolicis, generalibus vel specialibus, sub quacumque forma verborum obtentis, de quibus, quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum deberet in nostris litteris fieri mentio specialis, vel per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectum earum impediri possit quomodolibet vel differri. Ad iudicium autem perpetuæ libertatis a Sede prædicta, volumus, ut præfata vestra heremus tres libras usualis monete nostræ census in Festo Apostolorum Petri, et Pauli persolvat nobis, nostrisque successoribus annuatim. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, exemptionis, liberationis, constitutionis, et concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem attemperare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Lateran. X kalend. Januarii mccc, Pontificatus nostr. ann. septimo.

BULLA SECUNDA

Joannes episcopus, servus servorum Dei.

Dilectis filiis S. Petri Perusini, et et S. Crucis de Tripuria, ac S. Savini Camerinen., et Firmanæ diœcesis monasteriorum abbatibus, salutem et Apostolicam benedictionem. Militanti Ecclesiæ, licet immeriti, disponente Domino præsidentes, omnia jura Ecclesiarum et monaster. omni solertia reddendi indefesse solliciti, ut juxta debitum Pastoralis Officii eorum occurramus dispendiis et profectibus, divina cooperante elementia, salubriter intendimus. Sane dilectorum filiorum prioris, et Conventus Heremi S. Crucis Fontis Avellanæ Eugubinæ diœcesis, ad Romanam Ecclesiam, nullo medio, pertinentis, Ordinis S. Benedicti conquestionem percepimus, quod nonnulli archiepiscopi, episcopi, abbates, et alii clerici, Ecclesiasticæ personæ, tam religiosæ, quam sæculares, necnon Duces, Marchiones, Comites, et Barones, Capitanei, Potestates, Antiani, Milites, Universitates, et Communia, et alii sæculares tam civitatis et diœcesis Eugubinæ, quam aliarum civitatum et diœcesum, ac locorum, in quibus d. heremus, necnon Ecclesiæ, Monasteria, Prioratus, Hospitalia, domus, grancie,

aliaque membra, et loca eidem heremo immediate subjecta consistere dignoscuntur, et præsertim vicinarum occuparunt, et occupari fecerunt Prioratus, Ecclesiæ, Hospitalia, domos, grancias, castra, casalia, prata, pascua, necnon molendina, terras, vineas, possessiones, census, redditus et proventus, jurisdictiones et jura, et nonnulla alia bona mobilia et immobilia ad dictum heremum, et ad alia prælibata ejus membra, Ecclesiæ, et loca spectantia, seu ea detinentibus præstant auxilium, consilium vel favorem: nonnulli etiam civit. et diœces.; ac potius prædictarum, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, eidem Priori, et Conventui in Ecclesiis, Cappellis, Monasteriis, prioratibus, hospitalibus, domibus, castris, granciis, casalibus, pratis, pascuis, vineis, nemoribus, molendinis, censibus, redditibus, et proventibus, terris, jurisdictionibus, juribus, bonis, et aliis rebus ad dictam heremum spectantibus multiplices molestiam et injurias inferunt et jacturas. Quare dictus prior et Conventus nobis humiliter supplicarunt, ut cum valde difficile reddatur eidem pro singulis querelis ad Apostolicam Sedem habere recursum, providere eis super hac paterna indulgentia dignaremur. Nos igitur adversus occupatores, detentores, præsumptores, molestatores et injuriatores hujusmodi illo volentes remedio eis subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas, et aliis aditus committendi similia præcludatur; discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos duo aut unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios etiamsi sint extra loca, in quibus deputati estis, conservatores et iudices, priori et Conventui supradictis efficacis defensionis præsidio adsistentes, non permittatis eosdem super his pro quibuslibet aliis bonis et juribus ad ipsos spectantibus ab eisdem, seu quibuscumque aliis, indebite molestari, vel sibi gravamina, seu damna, seu injurias irrogari, facturi ipsis cum ab eis, vel eorum aliquo, seu procuratore, vel procuratoribus eorumdem, vel alicujus eorum fueritis requisiti, de prædictis, et aliis personis quibuslibet super restitutionibus Prioratum, hospitalium, Ecclesiarum, domorum, cappellarum, granciarum, castrorum, casalium, pratorum, pascuorum, vinearum, nemorum, molendinorum, terrarum, possessionum, censuum, jurisdictionum, jurium, honorum mobilium et immobilium, reddituum et proventuum, ac aliorum omnium prædictorum, et aliorum quorumcumque bonorum, necnon de quibuslibet injuriis, molestiis, atque damnis præsentibus et futuris in illis, videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem, de plano, sine strepitu et figura iudicii; in aliis vero, prout qualitas ipsorum exegerit justitiæ complementum, occupatores, detentores, mo-

lestatores, præsumptores, et injuriatores hujusmodi, necnon contradictores quoslibet, vel rebelles, cujuscumque præminentia, vel religionis, status, ordinis vel conditionis, ac etiam si archiepiscopalis vel episcopalis dignitatis extiterint, quodcumque vel quotiescumque expeditur, auctoritate nostra, appellatione postposita compscendi, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis; non obstante litteris fel. rec. Bonifacii PP. VIII, prædecessoris nostri, in quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem et diœcesim, nisi incertis et exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suæ diœcesis ad iudicium evocetur; seu, ne iudices et conservatores a Sede deputati prædicta, extra civitatem et diœcesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere; sive alii vel aliis vices suas committentes, aut aliquos ultra unam dietam a fine diœcesis eorundem trahere præsumant; seu quod de aliis quam manifestis injuriis, et molestiis, et aliis quæ judicialem indaginem exigunt pœnis, in eos si secus egerint, et in id procurantes adjectis se nullatenus intromittant, et tam de duabus dietis in Concilio generali, dummodo ultra tertiam vel quartam dietam aliquis extra suam civitatem, et diœcesim, auctoritate præsentium, ad iudicium non trahatur; quam aliis quibuscumque constitutionibus a prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, tam de iudiciis delegatis, et conservatoribus, quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandum, aut edictis quo vestre possent in hac parte jurisdictioni aut cuique libero exercitio quolibet obviare; seu, si aliquibus communiter vel divisim a prædicta sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint, per litteras Apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi, et de eorum personis, et locis, et ordinibus Monast. et nominibus propriis mentionem, et quolibet alia de Sedis indulgentia generalis vel specialis, cujuscumque tenoris existat, pro qua præsentibus, non expressam, vel totaliter non insertam vestre jurisdictionis explicatio valeat retardari; seu quomodolibet impediri, de qua ejusque toto tenore, de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis. Cæterum volumus, et auctoritate Apostolica determinamus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoatus nullo fuerit impedimento canonico impeditus, quodque ex data præsentium, sit vobis et unicuique vestrum in præmissis omnibus, et eorum singulis cæptis præsentibus, et futuris perpetua potestas et iudicatio attributa; ut eo vigore, eaque firmitate possitis in præmissis omnibus cæptis et

non cæptis, præsentibus, et futuris, et in prædictis procedere, ac si prædicta omnia et singula coram nobis cæpta fuissent, et jurisdictione vestra, et cuilibet vestrum in prædictis omnibus et singulis per citationem, vel per alium modum perpetuum legitimum extitisset constitutum prædicta de conservationibus, et quolibet alia in contrarium edita non obstan. Datum Avinion. non. Julii mcccxxi, Pontificat nostr. ann. quinto.

BULLA TERTIA

Pius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Becet Romanum Pontificem suum unicuique illesum conservare, et ne aliqui præsertim clerici vel monachi indebite molestentur, seu per potentiores, quibus resistere non possunt, opprimantur, salubriter providere. Cum itaque Monasterium S. Crucis Fontis Avellanæ Ordinis S. Benedicti Eugubinae diœcesis, quod venerabilis frater noster Hilarion, Episcopus Tusculanus cardinalis, interim in commendam obtinet, variis privilegiis tamdiu decoratum fuerit, ac nonnulla et varia Marchiam nostram Anconitanam, et alibi beneficia Ecclesiastica, etiam parochiales Ecclesiæ, Abbatia, et Prioratus ab eadem Abbatia principali Sanctæ Crucis dependentia constituta sint, quæ monachos d. Monasterii, qui in Abbates, Priores, seu rectores dictarum Ecclesiarum, per Abbatem, seu commendatarium pro tempore principalis Abbatia Sanctæ Crucis promoventur, et ad nutum ejus, cum ei libuerit, revocantur, regi et gubernari consueverint, quibus cura manet animarum; et sicut fide dignorum relatione percepimus, nonnulli locorum illorum ordinarii, præfatos monachos sæpe numero molestare, et super beneficiis ipsis inquietare, et ne ipsi monachi, Abbates, Priores, et Rectores, beneficia et parochiales Ecclesias obtinentes, Sacramenta Ecclesiastica, secundum ipsorum privilegia, ex antiqua consuetudine, ministrent, inhibere non vereantur, contra iustitiam pariter et æquitatem; ac in ipsius Monasterii et monachorum hujusmodi scandala pariter et detrincentur; nos omnia et singula privilegia præfati Monasterii illæsa conservare, ac indemnitati d. Monasterii, et ipsorum monachorum, Abbatum, Priorum, et Rectorum prædictorum iustitiæ et æquitati favere volentes; omnibus et singulis episcopis, et locorum prædictorum Ordinariis, ac aliis quibuscumque, cujuscumque status, gradus, Ordinis vel conditionis existant, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, inhibemus, ne contra monachos et Officiales dicti Monasterii, nobis, et Apostolicæ Sedi immediate subjectis, aut eorum Ecclesiæ, seu Abbatias, Prioratus, et beneficia quæcumque, quocumque nomine nuncupentur, ad ipsum

Monasterium spectantia, aliquid contra eadem privilegia attentare præsumant; quinimo tam in animarum cura gerenda, et baptizando, quam alia Ecclesiastica Sacramenta ministrando, præfatos monachos, seu beneficiatos, et Ecclesiarum ipsi Monasterio subjectarum rectores, eorum privilegiis ac laudabili consuetudine pacifice gaudere permittant; nec aliquid contra justitiam ac ipsorum privilegia, et antiquam ac laudabilem consuetudinem innovare audeant. Et insuper ipsis monachis, carum Ecclesiarum, seu beneficiorum hujusmodi prædictis rectoribus Sacramenta prædicta ministrandum, quam quibuscumque fidelibus, sub eisdem Beneficiis, Abbatibus, Prioratibus, et parochialibus Ecclesiis prædictis comprehensis, secundum antiquam et laudabilem consuetudinem inviolabiliter observari, Contradictores quoslibet et rebelles, cujuscumque dignitatis, status, gradus, et conditionis, vel ordinis extiterint, quandocumque et quotiescumque expedierit, auctoritate nostra, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo : invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis : non obstantibus felic. record. Bonifacii Papæ VIII prædecessoris nostri litteris, in quibus cavetur, ne aliquis extra civitatem, et diœcesim, ad judicium evocetur; seu, ne judices a Sede deputati, extra civitatem, et diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque prætere, sive alii, vel alii, vices suas committere, aut aliquos, ultra unam dietam, absque decreto eorumdem fratre præsumant, ac aliis institutionibus, et ordinationibus Apostolicis; nec non quorumcumque Romanorum Pontificum inhibitionibus, contra privilegia, consuetudines hujusmodi emanatis, seu emanandis, cæterisque contrariis quibuscumque, etiamsi, de ipsis, eorumque totis tenoribus præsentibus habenda foret mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum hanc paginam nostræ voluntatis, inhibitionis, elargitionis, commissionis, et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire præsumat; si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli ejusdem, se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCDLXIX, quarto kal. Maii, Pontific. nostri anno quarto.

BULLA QUARTA

Paulus episcopus, servus servorum Dei.

Dilecto filio Philippo de Rodulphis clerico, seu sæculari Florentino, salutem et Apostolicam benedictionem. Romani Pontificis providentia circumspecta Ecclesiis et Monasteriis, singulisque vacationis incomoda deplorare noscuntur, ut gubernatorum utilium fulciantur præsidio, prospicit diligenter, et personis Ecclesiasticis quibuslibet, ut in suis opportuni-

tatibus congruum suscipiant relevamen, de subventionis auxilio, prout decens est, providet opportuno. Cum itaque Monasterium S. Crucis Fontis Avellanæ, Ordinis S. Benedicti, Eugubinae diœcesis, quod dilectus filius noster Nicolaus S. Mariæ in Via Lata diaconus cardinalis, de Rodulphis nuncupatus, ex concessione et dispensatione Apostolica in commendam nuper obtinebat, commenda hujusmodi, ex eo quod d. Nicolaus cardinalis illi hodie in manibus nostris sponte et libere cessit, nosque cessionem hujusmodi duximus admittendam, cessante adhuc eo, quod cum eidem Nicolao cardinali commendatum fuit, vacabat, modo vacare noscatur ad præsens : nos, tam eidem Monasterio de gubernatore utili et idoneo, a quo circumspecte regi et salubriter dirigi valeat, quam tibi, qui, ut asseris, ipsius Nicolai cardinalis, ex fratre germano nepos, et in septimo tuæ ætatis anno constitutus existis; et ex cujus laudabilibus infantilis ætatis indicibus, prout fide dignorum testimoniis accepimus, verisimiliter concipitur, quod succedentibus tibi annis, te in virum debeas producere virtuosum, ut commodius sustentari valeas, de alicujus subventionis auxilio providere volentes; necnon verum et ultimum dicti Monasterii vacationis modum, etiamsi ex illo quævis generalis reservatio, etiam in corpore juris clausa resultat: præsentibus pro expresso habentibus; Monasterium prædictum, cujus fructus, redditus et proventus, ad mille florenos auri in libris Camera Apostolicæ taxatis reperiuntur; quovis modo, et ex cujuscumque persona, seu per liberam cessionem cujusvis, de illius regimine et administratione in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram notario publico et testibus sponte factam, vacet : etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus provisio juxta Lateranen. statuta Concilii, aut alias canonicas sanctiones, ad Sedem Apostolicam legitime devoluta existat; et illa ex quavis causa ad Sedem eandem specialiter vel generaliter pertineat, ac de illo consistorialiter disponi consueverit seu debeat; et super regimine ac administratione præfatis inter aliquos lis, cujus statum præsentibus habere volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datæ præsentium eidem Monasterio de Abbate provivum aut illud alteri commendatum canonice non existat, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, sibi per te ex nunc, si clericali caractere rite insignitus existas, alioquin, postquam eo rite insignitus fueris, quoad vixeris, etiam una cum omnibus et singulis beneficiis Ecclesiasticis, cum cura, et sine cura, sæcularibus, et quorumvis Ordinum Regularibus, quæ te etiam, ex quibusvis concessionibus et dispensationibus Apostolicis, in titulum vel commendam, aut alias obtinere, ac quibuscumque pensionibus annuis, quas

tibi super quibusvis fructibus, redditibus, e proventibus Ecclesiasticis pro tempore assignari contingerit, tenendum, regendum et gubernandum. Itaque liceat tibi, debitis et consuetis ipsius Monasterii, ac dilectorum filiorum illius Conventus supportatis oneribus, ac quarta, si Abbatialis separata, et seorsum a conventuali; si vero communis inibi mensa fuerit, tertia parte omnium et singulorum fructuum, reddituum ac proventuum Monasterii hujusmodi, in restaurationem illius fabricæ, seu ornamentorum emptionem, vel fulcimentum, aut pauperum alimoniam, prout major exegerit et suaserit necessitas; omnibus aliis deductis oneribus annis singulis impartita, de residuis fructibus, redditibus et proventibus ipsius Monasterii, disponere et ordinare, sicut ipsius Monasterii Abbates, qui pro tempore fuerunt, de illis disponere et ordinare potuerunt, seu etiam debuerunt; alienatione tamen quorumcumque bonorum immobilium, et pretiosorum mobilium ipsius Monasterii, tibi penitus interdicta, auctoritate Apostolica commendamus, ac tecum, ut postquam dicto caractere insignitus fueris, si eo nondum insignitus existas, ut præfertur, Monasterium prædictum recipere, et in commendam hujusmodi, quoad vixeris, ut præfertur, retinere, libere et licite valeas, auctoritate prædicta, tenore præsentium, de specialis dono gratiæ dispensamus, curam, regimen et administrationem ipsius Monasterii, tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendum. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Albiganens., et Foroliviens. episcopis ac dilecto filio vicario ven. fratris nostri episcopi Engubini in spiritualibus generali, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios, tibi ex nunc, si eodem caractere insignitus sis, alias cum illo, ut præfertur, insignitus fueris, in adipiscenda possessione, seu quasi regiminis, et administrationis prædictorum, ac bonorum ipsius Monasterii, auctoritate nostra assistentes, faciant tibi a conventu prædicti. obedientiam et reverentiam congruentes; necnon a dilectis filiis vassallis et aliis subditis d. Monasterii, consueta servilia et jura tibi ab eis debita integre exhiberi, contradictores, auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus defectu ætatis præmissæ, quem adhuc pateris, in illius anno prædicto constitutus, ut præfertur; et Lateranensis Concilii, ac felic. record. Bonifacii Papæ VIII prædecessoris nostri et aliis Apostolicis Constitutionibus, necnon Monasterii, et Ordinis prædictorum curam confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et litteris Apostolicis Monasterio et Ordinis prædictis, in genere vel in specie, sub


quibuscumque tenoribus vel formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis irritantibus, et aliis decretis, etiam per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ad quorumcumque etiam regum vel aliorum principum instantiam, seu eorum contemplatione, vel intuitu, aut etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac ex quibusvis causis, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis et innovatis, etiamsi in eis, ac statutis prædictis caveatur expresse, quod occurrente pro tempore ipsius Monasterii vacatione, unus ex illius monachis per conventum præfatum in Abbatem ejusdem Monasterii eligi debeat; quodque prædictum, et alia ejusdem Ordinis Monasteria, quovis modo vacantia, nullatenus, aut non nisi Ordinem ipsum expresse professis, ac juxta illius regularia instituta, ac forsitan alias certo modo in illis expresso, qualificatis personis commendari possint; et alias de illis, etiam per Sedem prædictam, etiam cum statutorum, ac privilegiorum, et indultorum hujusmodi expressa derogatione, quolibet tempore facte commenda nullius sint roboris vel momenti. Quodque statutis, privilegiis, et indultis hujusmodi nullatenus, aut non nisi modis et formis, ac cum expressionibus in eis contentis derogari possint, et si aliter derogari contingat, derogationes hujusmodi nemini suffragent. Quibus omnibus etiamsi alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, contrariis quibuscumque, etc. Aut si conventui, vassallis et subditis præfatis, vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem quod propter commendam nostram hujusmodi in dicto Monasterio divinus cultus, ac solitus monachorum et ministrorum numerus nullatenus minuatur, sed illius, et Conventus prædictor. congrue supportentur onera antedicta. Quodque tu, antequam regimini, et administrationi dicti Monasterii te in aliquo immisceas, in manibus episcoporum, et vicarii prædictorum, vel alicujus eorum, nostro et Romanæ Ecclesiæ nomine fidelitatis debitum solitum præstes juramentum, juxta formam,

quam sub Bulla nostra mittimus introclusam, ac formam iuramenti huiusmodi, quod præstabis, nobis de verbo ad verbum, per tuas patentes litteras, tuo sigillo munitas per proprium nuntium, quam citius destinare procures; et insuper, ex nunc irritum decernimus et inane,

si secus super iis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDLXV, quarto non. Martii, Pontificatus nostri anno XII.

FINIS



The image shows a cream-colored envelope flap with a marbled paper background. The marbling features a pattern of irregular, interconnected shapes in shades of yellow, orange, and blue on a light beige base. The envelope flap is positioned in the center-right of the frame, with its top edge slightly curved. A small white rectangular label is affixed to the left side of the flap, containing the following text:

BP
145
B37
1864
T.36
C.1
ROBA

